DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI, PER DUODECIM EVIDENTIA...

Daniel Beguin

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
25 K
9

M. 5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8, 25, K 7

DE VERITATE
DIVINITATIS
CHRISTI,

PER DUODECIM EVIDENTIA credibilitatis argumenta demonſtratæ.

Auctore P. DANIELE BEGUIN, *Societatis Ieſu Theologo.*

Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. *Matth.* 10.*v.*32.

PARISIIS,
Apud STEPHANUM MICHALLET, via Jacobeâ, ſub ſigno Sancti Pauli.

M. DC. LXXX.

CUM PRIVILEGIO, ET APPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

De fine hujus Operis; & modo illud utiliter legendi.

CUM mihi ſæpe in mentem veniſſet cogitatio, (Lector benevole) de hoc ſublimi argumento ſcribendi; diù ſuſpenſus hæſi, dubitans utrùm magis utile, quàm pernicioſum foret. Sicut enim ædificiorum fundamenta non ſunt temerè ſuccutienda, ne tota moles ſuperſtructa in ruinam pertrahatur: ita forſan exiſtimet quiſpiam, non ſine exitij animarum periculo fieri poſſe, ut veritates Religionis fundamentales, quæ omnium animis ab omni retrò vetuſtate penitùs inſederunt, diſputando agitentur; & agitatæ, quaſi in dubium revocentur: Qualis eſt veritas Divinitatis Chriſti, quæ totius Religionis Chriſtianæ fundamentum eſt; & omnium Chriſtianorum mentes tantâ certitudine jampridem occupavit; ut qui velit illam pluribus argumentis firmare; ejus firmitatem non tam ſtabilire, quàm concutere videatur: pronum quippè eſt, ut putetur nutare, quod fulcitur.

Ratio abducens à ſcribendo de Divinitate Chriſti.

Nihilominùs, ſi de veritate propoſitâ diſſerere aggrediar, non agam præter morem Sapientum, & Theologorum qui res certas interdùm in quæſtionem vocant; non ut de iis diſputent, quaſi dubiæ ſint; ſed ut earum certitudo pleniori cognitione illuſtrata roboretur. Idcircò non verentur in quæſtione ponere, utrùm ſit Deus; utrùm mundus aliquâ providentiâ gubernetur; utrùm anima rationalis ſit immorta-

lis ; & alia ejuſmodi primaria fidei dogmata ; de quibus dubitare quidem non licet ; licet tamen citra dubitationem diſputare.

Ratio ſcribendi de hoc argumento.

Verùm nec inutilis videtur fore hæc diſſertatio ; imò à nonnullis ſapientibus viris, hoc tempore judicata eſt peropportuna, ad pleroſque nutantes in fide confirmandos ; & ad fideles Chriſtianos contra impiorum cavillationes muniendos. Sunt enim plerique hodie, (utinam pauciores eſſent) quos, Deiſtas, ſeu ſemi-Atheos vocant, qui ex proprio præjudicio, & impiâ temeritate affectant ſibi perſuadere, ſatis eſſe, Deum unum credere & colere ; cætera in minimis ponenda ; parúmque Deo curæ eſſe, quo cultu honoretur. Iſti cum Mahumetanis & Judæis, vel Chriſto Divinitatem prorsùs abrogant, vel valdè ſuſpectam habent : adeóque renuunt credere quod totus Orbis Chriſtianus firmiſſimè credit ; Chriſtum eſſe humani generis Redemptorem, & Filium Dei : Cæci voluntarij qui ad lumen Solis omnibus perſpecti, oculos claudunt ; homines digni tum execratione, tum commiſeratione ; execratione, quòd tam impiè de ſuo Salvatore ſentiant; commiſeratione verò, quòd tam inféliciter, & tanto ſuo diſpendio cæcutiant.

Sunt impii qui Chriſti Divinitatem negant.

Sunt ſemi-Chriſtiani, qui eam non firmiter credũt.

Ab iis non longè abſunt multi hujus ætatis ſemi-Chriſtiani, homines conſcientiæ juſto liberioris, voluptatibus addicti, rebuſque terrenis ; qui cùm ſe Chriſtianos profiteantur, Eccleſias, ut cæteri, frequentent, uſurpentque identidem ſacramenta: tamen ad minimam difficultatem occurrentem, vacillant in fide, quaſi dubij inter aſſenſum & diſſenſum. Cùm tamen fides vera & Catholica, ita firmiter ac certò debeat per imperium voluntatis, rebus à Deo revelatis, & ſub evidenti credibilitate propoſitis adhærere, ut omne dubium voluntarium excludat, & rejiciat ; ut docent omnes Theologi cum Concilio Trident.

Digitized by Google

ſeſſ. 6. cap. 9. ad finem. Quare hoc ipſo, quòd quis voluntariam circa res revelatas dubitationem admittit; ejus deſtruitur fides, & deſinit eſſe fidelis, ut habetur in cap. 7. de Hæreticis.

Cauſæ autem, ex quibus prædicta incredulitas gignitur, multæ quidem poſſunt recenſeri, quæ tamen ad has tres præcipuas revocantur. *Tres cauſæ unde infidelitas naſcitur.*

Prima eſt, vita diſſoluta, dedita deliciis ventris, comeſſationibus, & impudicitiis; quæ poſtquàm in conſuetudinem verſa eſt, hominem rectâ ducit ad infidelitatem, & ad Atheïſmum, ut teſtatur Apoſtolus, dicens; *Quidam repellentes bonam conſcientiam, circa fidem naufragaverunt.* Et S. Ambroſius; *Vbi* inquit, *cœperit quis luxuriari, incipit deviare à fide.* Quod experientiâ quotidianâ ſatis patet; Inde enim Lutherus, Calvinus, Beza, aliique multi, noſtri temporis Hæretici, homines impuriſſimi, & carnis voluptatibus immerſi, in hæreſis barathrum pro apſi ſunt. *Prima, vita diſſoluta.* 1. Ad Timot. c. 1. S. Ambroſ. Epiſt. 1. ad Sabinum.

Contingit enim illis, quod miſero Samſoni, qui ex infami Dalilæ amore, captus à Philiſthæis, ſtatim oculis erutis excæcatus eſt. Excæcantur quippè à Dæmone, cujus, libidinosè vivendo, mancipia efficiuntur; ut ſcilicet evulsâ fide, (quæ radix eſt juſtificationis & virtutum,) nullos deinceps vitæ ſalutaris fructus edere poſſint. Deo aliunde in pœnam peccatorum brutalium, ſuas illuſtrationes ſubtrahente; ac permittente, ut in profundum Abyſſi ſpiritualis demergantur.

Quam in rem, vim quoque magnam habet, voluntas vitiis corrupta. Cùm enim intellectus nequeat rebus fidei, ut plurimùm inevidentibus aſſentiri, niſi per imperium piæ voluntatis: tantùm abeſt ut eum impellat ad aſſentiendum ejuſmodi veritatibus, quarum pleræque, judiciorum Dei timorem incutiunt; ut

Digitized by Google

potiùs eum indè avertat, quantùm poteſt; quò liberiùs peccet. Magnum quippè peccanti frænum eſt fides; & nemo jucundè peccat, qui credit, quod omnes timent.

Secunda infidelitatis cauſa, eſt ſuperbia. Altera infidelitatis cauſa, eſt ſuperbia, & præſumptio mentis, quâ homo neſcio quis, in rebus fidei dijudicandis, proprij ſensûs hallucinationem, omnium ſanctorum Patrum, ac Doctorum, omniumque Conciliorum Oecumenicorum, totiuſque Eccleſiæ Definitionibus præfert. Cæteri omnes errant, & erraverunt hactenùs, ut ipſe putat, ille ſolus rectè ſentit; quo quid dementius dici poteſt? Quam cauſam hæreſum optimè agnovit S. Auguſtinus, dùm ait; *Alia ſecta in Africâ, alia hæreſis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Meſopotamiâ, diverſis locis ſunt diverſa; ſed una mater, ſuperbia omnes genuit. Nec mirum ſi ſuperbia pariat diſſenſionem, ſicut charitas unitatem.*

S. Aug. de Cantico novo, cap. 8.

Hâc vertigine inſigniter, inter cæteros Hæreſiarchas, agitabatur peſtifer ille, Religionis in Germaniâ profligator, Lutherus; qui eò tandem inſolentiæ venerat, ut omnium Theologorum, & totius Orbis auctoritatem, non pluris faceret, quàm feſtucam: Principes Catholicos ac Reges, diceret ſe habere pro morionibus ſuis; & dignos non eſſe qui ſibi corrigiam calceamenti ſolverent. Cúmque cerneret, ſanctorum Patrum doctrinam ſibi adverſari, non eſt veritus ſæpè dicere; ſe mille Auguſtinos, mille Cyprianos, ac Chryſoſtomos, præ ſe nihili facere. Ecce modeſtiam hominis, Eccleſiæ Reformatoris. Sed ne in illo uno hæreamus, generatim dici poteſt, omnes hæreticos & infideles, Eccleſiæ auctoritati pertinaciter reſiſtentes, ſuperbiæ labe infectos eſſe. Siquidem pertinacia, quæ eſt genuinus hæreſis character, non aliundè quàm ex ſuperbiâ gignitur. Fides autem,

Spondanus ad an. Chriſti 1621. 1623. &c.

Digitized by Google

quæ ſita eſt in voluntariâ intellectûs noſtri ſubmiſſione ad veritates ab Eccleſiâ, cum ſufficienti credibilitate propoſitas, piam mentis humilitatem requirit; unde fit ut ſuperbia, quæ ſubmiſſionem averſatur, abnuat credere.

Tertia denique cauſa incredulitatis, aut fidei nutantis in pleriſque, eſt motivorum efficacium, quæ nos ad credendum inducunt, ignorantia. Cùm enim ad prudenter credendum, illorum notitia ſit neceſſaria, eò quòd vera fides debeat eſſe ſolidè fundata; non autem ſuſcepta temerè & leviter; à multis nolentibus de iis edoceri, vel per oſcitantiam culpabilem negligentibus, ignorantur. Ex quo fit, non modò ut ipſi fluctuent in fide: ſed etiam Religio Chriſtiana ipſis nutare & malè ſtabilita videatur. *Tertia cauſa incredulitatis, eſt ignorātia motivorum credendi.*

Quamobrem plurimùm, uti ad fidem, ita ad ſalutem intereſt, benè noſſe, quantis & quàm ſolidis argumentis, tum Divinitas Chriſti, tum cæteræ veritates Evangelicæ demonſtrentur. Loquor autem hîc, non de demonſtratione Metaphyſicâ aut Phyſicâ myſteriorum fidei; fides enim ejuſmodi evidentiam non patitur, (alioqui nullo modo libera eſſet, nec meritoria;) ſed loquor de demonſtratione quadam morali; ita ut prudenter de revelatione divinâ, aut de re revelatâ dubitari non poſſit.

Hoc eſt, mi Lector, quod in hoc Opere, tuâ cauſâ, & ad Chriſti Salvatoris gloriam, præſtandum aggredior; ut intelligas, non ſolùm inexcuſabilem eſſe coram Deo; ſed etiam inſanum, qui iis perſpectis non credit. Peto autem ut hæc legas, non animo pertinaciter contradicendi; (pertinacia enim præjudiciis armata domari non poteſt); ſed animo docili, & ad veritatem, cum omni probabilitate ſe offerentem, amplectendam parato. Poſtulo item, ut ſi quæ, ex ſuprà memoratis, impedimenta credendi in te reſi- *Quâ animi diſpoſitione hæc ſint legēda.*

Digitized by Google

dêre noveris, ea quantocyùs removeas; fruſtrà enim ſol domum perfundit, quæ undequaque clauſa eſt.

Cæterùm, quia fides eſt donum Dei, id eſt, quod homo ſuis viribus naturalibus, conſequi nullatenùs poteſt: ſed ex peculiari Spiritûs Sancti gratiâ, animam illuſtrantis, & ad volendum credere, piè inclinantis; donum iſtud à Deo ſæpiùs & enixè flagitandum eſt, cum ardenti deſiderio, & ſpe ſanctâ illud obtinendi.

Duodecim motiva credibilitatis, ſuſcipiuntur exponenda.

Ad perſuadendam igitur tibi funditùs Divinitatem Chriſti, & ad tollendam omnem de eâ dubitationem; ſelegi duodecim argumenta credibilitatis evidentia, (tanquàm duodecim radios noſtri Solis Divini, quibus ſe omnibus intueri volentibus manifeſtat) quorum vis & ſoliditas maturè conſiderata, tanta eſt, ut non tantùm omnia ſimul collecta, (quod tamen ſatis eſſet:) ſed etiam ſingula valeant hominem non malè affectum, & ſuæ ſalutis amantem convincere. Iis fruere, ſi lubet, & vale.

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM ET SECTIONUM.

CAPUT I. PRimum Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Prophetiæ veteris Teſtamenti, pag. 1
Sectio 1. *De triplici luminis genere, quo Chriſti Divinitas eluceſcit*, pag. 1
Sect. 2. *Quòd Chriſtus ſit Meſſias olim promiſſus*, 3
Sect. 3. *Judæorum Objectionibus occurritur*, 19
Sect. 4. *Quòd Chriſtus, ſeu Meſſias promiſſus, ſit Deus*, 22
Sect. 5. *Sibyllarum prædictiones de Chriſto*, 26

CAP. II. Secundum Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Prodigia, 31
Sect. 1. *De Prodigiis in Nativitate Chriſti*, 31 & ſeq.
Sect. 2. *De Prodigiis in vitâ Chriſti*, 44
Sect. 3. *De Prodigiis, quæ in Paſſione & morte Chriſti contigerunt*, 57

CAP. III. Tertium Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Teſtes ſacri, & profani, 81
Sect. 1. *Quadruplex ſancti Joannis Baptiſtæ teſtimonium de Divinitate Chriſti*, 81
Sect. 2. *Teſtimonium ipſius Chriſti de ſuâ Divinitate*, 86

Digitized by Google

Sect. 3. *Teſtimonium Evangeliſtarum de ejuſdem Divinitate*, 89
Sect. 4. *Teſtes profani de Chriſto*, 93

CAP. IV. Quartum Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Miracula. 97
Sect. 1. *Quid ſit & quotuplex miraculum*, 97
Sect. 2. *Quod Deus veris miraculis atteſtatur, illud certiſſimè eſt verum*, 100
Sect. 3. *Chriſtus plurimis miraculis ſuam Divinitatem comprobavit*, 106
Sect. 4. *Miracula Chriſti non poſſunt alteri potentiæ adſcribi, quàm Divinæ*, 113
Sect. 5. *Chriſtus ſua miracula edidit in atteſtationem ſuæ Divinitatis*, 125
Sect. 6. *Ex prædictis veritas Divinitatis Chriſti manifeſtè concluditur*, 129
Sect. 7. *Eadem veritas confirmatur* 1. *ex conſideratione multitudinis Miraculorum Chriſti*, 130
Sect. 8. *Confirmatur* 2. *eadem veritas, ex continuatione miraculorum, per Apoſtolos, & Diſcipulos Chriſti, poſt ejus mortem*, 132
Sect. 9. *Confirmatur* 3. *eadem veritas, ex continuatione miraculorum in Eccleſia, per Apoſtolorum ſucceſſores, & miniſtros Chriſti*, 135
Sect. 10. *Confirmatur* 4. *eadem veritas ex miraculis in Eccleſiâ permanentibus*, 153
Sect. 11. *Solvuntur Objectiones contra miracula Chriſtiana, & primam Propoſitionem*, 161
Sect. 12. *Solvuntur Objectiones contra ſecundam Propoſitionem, de veritate miraculorum Chriſti*, 170

Digitized by Google

CAP. V. Quintum Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Prædictiones, & cogitationum internarum cognitio, 176

Sect. 1. *Quòd ſolius Dei proprium ſit, res liberè futuras certò præcognoſcere,* 176

Sect. 2. *Quòd ille ſit Deus, qui ſecreta cordium novit.* 180

Sect. 3. *Chriſtus futura liberè contingentia, longè antè cognovit.* 182

Sect. 4. *Chriſtus cogitationes merè internas agnovit,* 196

CAP. VI. Sextum Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Reſurrectio Chriſti, 199

Sect. 1. *Ad ſtabiliendam fidem Divinitatis Chriſti, neceſſaria fuit ejus Reſurrectio; Eſtque illius ſignum indubitatum,* 199

Sect. 2. *Quòd Chriſtus verè, & certò Reſurrexit,* 202

CAP. VII. Septimum Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Mirabilis per univerſum Orbem, Religionis Chriſtianæ propagatio, 216

Sect. 1. *Fides Chriſti, poſt ejus mortem, fuit per totum mundum diſſeminata.* 216

Sect. 2. *Fidei Chriſtianæ propagatio fuit planè mirabilis multas ob cauſas,* 219

Sect. 3. *Secta Mahometana, modo longè diverſo, nullatenùs divino, fuit propagata,* 236

CAP. VIII. Octavum Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Judæorum extrema deſolatio, 246

Digitized by Google

Sect. 1. *Everſio Hieroſolymæ & Templi,* 246
Sect. 2. *Judæi ſolo ejecti, apud omnes gentes in ſervitutem diſperguntur,* 253
Sect. 3. *Quinque differentiæ, inter hanc poſtremam Judæorum calamitatem, & priores,* 257
Sect. 4. *Cauſa tantæ calamitatis & deſolationis Judæorum non fuit alia, quam Deicidium in Chriſto commiſſum,* 259

CAP. IX. Nonum Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Martyres Eccleſiæ, 266
Sect. 1. *Deus juſtè permiſit eſſe in Eccleſiâ Martyres,* 266
Sect. 2. *Martyrum teſtimonium eſt illuſtre argumentum Divinitatis Chriſti,* 273
Sect. 3. *Multitudo innumerabilis Martyrum Chriſtianorum,* 275
Sect. 4. *Integritas vitæ, & ſanctitas Martyrum,* 281
Sect. 5. *Mirabilis conſtantia Martyrum generatim,* 286
Sect. 6. *Conſtantia quorundam, præſertim ſub Diocletiano & Maximiano,* 289
Sect. 7. *Aliquot alia exempla conſtantiæ Martyrum ſub aliis Imperatoribus,* 299
Sect. 8. *Fortitudo & conſtantia Martyrum, non aliundè proceſſit, quàm à virtute divinâ,* 307
Sect. 9. *Miracula ab ipſis Martyribus, vel in eorum gratiam edita,* 310
Sect. 10. *Ex Martyrum ſanguine, multiplicatio Chriſtianorum,* 321
Sect. 11. *Solvitur Objectio de Pſeudo-Martyribus,* 323

Digitized by Google

Cap. X. Decimum Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Conſtans perpetuitas, & ſtabilitas Religionis Chriſtianæ, 328
Sect. 1. *Firma ſtabilitas Religionis Chriſtianæ, undique oppugnatæ, certum eſt indicium, quòd ſit à Deo inſtituta,* 328
Sect. 2. *Eccleſiæ Chriſti ſtabilitas perpetua, eſt admirabilis multis ex cauſis,* 331
Sect, 3. *Multitudo perſecutionum, quibus Eccleſia fuit impugnata,* 336
Sect. 4. *Atrocitas, univerſalitas & diuturnitas perſecutionum Eccleſiæ.* 348
Sect. 5. *Concluſio hujus argumenti,* 455

Cap. XI. Undecimum Argumentum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Infortunati exitus eorum, qui Chriſtum, vel ejus Eccleſiam perſecuti ſunt, 459
Sect. 1. *Deus utitur malis, ut bonos ad tempus puniat, aut exerceat,* 459
Sect. 2. *Infauſti exitus eorum qui Chriſtum ipſum perſecuti ſunt,* 461
Sect. 3. *Infauſti exitus Imperatorum Romanorum, qui Eccleſiam Chriſti perſecuti ſunt,* 463
Sect. 4. *Infauſti exitus Imperatorum hæreticorum, qui Eccleſiam Chriſti inſectati ſunt,* 472
Sect. 5. *Infauſti exitus Hæreticorum, qui ſuis erroribus Eccleſiam Chriſti dilacerarunt,* 479
Sect. 6. *Proſperitas & felix obitus eorum qui Eccleſiam Chriſti promoverunt, aut defenderunt,* 481
Sect. 7. *Concluſio hujus argumenti,* 482

Digitized by Google

CAP. XII. Duodecimum Argumenttum Divinitatis Chriſti demonſtrativum.

Unanimis conſenſus ſanctorum Patrum, ac totius Eccleſiæ, 483
Sect. 1. *Authoritas ſanctorum Patrum eſt magni ponderis, ad veritatem fidei ſtabiliendam,* 483
Sect. 2. *Summa vis eſt auctoritatis totius Eccleſiæ, & Conciliorum generalium ad veritates fidei confirmandas,* 488
Sect. 3. *Conciliorum & totius Eccleſiæ definitiones, de Divinitate Chriſti,* 491

Concluſio I. Totius Operis.

Ad Impios, & ſemifideles Chriſtianos, 500

Concluſio II. Totius Operis.

Ad Fideles Chriſtianos, 508
Sect. 1. *Fidei Chriſtianæ, bona Opera ſunt adjungenda,* 508
Sect. 2. *Pietatis Officia, Chriſto à Fidelibus exhibenda,* 515

Digitized by Google

Approbation.

J'Ay leu un Livre intitulé *De veritate Divinitatis Chriſti, par le R. P, Daniel Beguin de la Compagnie de Ieſus.* Fait à Paris le 22. Juin 1679.

M. GRANDIN.

Digitized by Google

Extrait du Privilege du Roy.

PAr grace & Privilege du Roy, en date du 8. Juillet 1679. Signé, DALANCE: Il eſt permis à ESTIENNE MICHALLET, Marchand Libraire à Paris, d'imprimer ou faire imprimer pendant le temps de ſix années, un Livre intitulé, *De veritate Divinitatis Chriſti, compoſé par le Reverend Pere Daniel Beguin, de la Compagnie de Jeſus*; Avec defenſes à tous Imprimeurs, Libraires & autres, de l'imprimer, vendre, ny debiter pendant ledit temps, ſans le conſentement de l'Expoſant, à peine de mille livres d'amende, de confiſcation des Exemplaires, & de tous dépens, dommages & intereſts.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Marchands Imprimeurs Libraires de Paris, le 15. Juillet 1679. Signé COUTEROT, Syndic.

Digitized by Google

DE VERITATE

DIVINITATIS CHRISTI,

per duodecim evidentia credibilitatis argumenta demonſtratæ.

CAPUT PRIMUM.

Primum argumentum illius demonſtrativum.

PROPHETIÆ VETERIS TESTAMENTI.

SECTIO PRIMA.

De triplici luminis genere, quo Chriſti divinitas eluceſcit.

DIVINITATEM CHRISTI triplici potiſſimum argumento demonſtrare, & quaſi triplici radiorum genere poſſumus intueri; iis nimirùm qui illi nondum exiſtenti prælnxerunt; cujuſmodi ſunt prophetiæ veteris Teſtamenti, & figuræ antiquæ, quibus Deus Meſſiam futurum,

Digitized by Google

&Filium ſuum in carne venturum, ſub propriis notis & characteribus, poſterioribus ſæculis indicavit. Deinde iis quibus quaſi veſtitus & lucens, in aſſumpta carne viſibilis apparuit. Qualia fuerunt prodigia quæ illius nativitatem, vitam, mortemque illuſtrarunt; innumera miracula; teſtimonia ſacra & cœleſtia; ſanctitas vitæ & doctrinæ eximia; ſcientia ſine magiſtro, ſine ſtudio mirabiliter comparata; præcognitio eventuum liberorum, diu poſt futurorum; cogitationum cordis intimarum intuitio; Reſurrectio omnibus ſæculis inaudita; Aſcenſio in cœlum in conſpectu pluſquàm quingentorum teſtium, ſtupenda; aliáque ejuſmodi, de quibus ſigillatim infrà, ſuo loco diſſeremus.

3. Superſtitibus poſt diſceſſum radiis, quibus, quamvis non ampliùs aſpectabilis, fulgere non deſtitit; ſcilicet per miracula ſuorum Diſcipulorum, ubique gentium; per prodigioſam converſionem mundi, ſive incredibilem Fidei per univerſum orbem propagationem, & idololatriæ ſubverſionem; per calamitoſam Judæorum, ob necem Chriſti, reprobationem ac diſperſionem; per innumerabilium Martyrum pro fide Chriſtianâ morientium conſtantiam admirabilem; per ſtabilitatem inconcuſſam Religionis Chriſtianæ, inter horrendas perſecutionum tempeſtates; per conſenſum unanimem omnium ſanctorum Patrum, ac totius Eccleſiæ, à Chriſto ad nos uſque decurrentis; ac denique per infortunatos exitus eorum, qui Chriſtum, ejuſque cultores perſecuti ſunt.

Hi ſunt radij, quibus illuſtri modo, Divinitas Chriſti omnibus in medio lumine cæcutire nolentibus, ſeſe ſenſibiliter exhibet: ut inexcuſabiles ſint, ſi qui adhuc poſt tantam probationum multitudinem, támque evidentem hujus primariæ veritatis credibilitatem, vacillant in fide.

Nunc ordior à primo argumento propoſito; ex

Digitized by Google

Prophetiis veteris Teſtamenti deſumpto; quibus hæc duo nobis probanda ſunt; 1. Chriſtum eſſe Meſſiam in antiqua lege promiſſum à Deo, ad redimendum genus humanum. Deinde Meſſiam promiſſum eſſe Deum. Undè evidenter conficitur, Chriſtum qui eſt Meſſias, Deum eſſe.

Primū argum. divinit. Chriſti; ſumitur à proph. antiq.

SECTIO SECUNDA.

Quòd Chriſtus ſit Meſſias olim promiſſus.

ID probatur 1. ex illis Prophetiis quæ deſignant tempus Meſſiæ venturi.

Prima Prophetia quæ deſignat tempus venturi Meſſiæ.

Prima eſt Geneſ. 49. v. 10. prolata à Jacob benedicente filio ſuo Judæ, his verbis; *Non auferetur ſceptrum de Iuda; & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio gentium.* Hebraïcè legitur, (*donec veniat Sciloh.*) quo nomine ſignificatur Meſſias. Ut patet 1. quia dicitur *Expectatio gentium*; quod eſt proprium nomen Meſſiæ, ut conſtat ex Aggæi cap. 2. v. 2. ita illum exprimentis; *Veniet deſideratus cunctis gentibus*: 2. quia Chaldæa paraphraſis vertit; *donec veniat Meſſias, cujus eſt regnum*: 3. quia ſic intellexerunt hunc locum omnes antiqui Rabbini, Chriſto anteriores, ut teſtatur, & oſtendit Galatinus libro 4. de arcanis Theologicæ veritatis, cap. 4.

Quibus verbis duo prædicuntur; 1. fore ut Judas, quem ſingulariter alloquebatur Jacob, regnaret in ſuis poſteris; quod in Davide primùm impletum eſt. 2. Ut deinceps non deficeret Rex & Dux de femore ejus; ita ut alius à prognatis ejus, neque Rex eſſet, neque Dux, qui principatum populi Judaïci obtineret, quin ſtatim veniret Meſſias. Atqui jam à mille ſexcentis & ampliùs annis, ablatum eſſe conſtat principatum, non ſolùm à tribu Juda, ſed etiam à toto populo Iſraëlitico: ergo ut vera ſit Prophetia, quam

Digitized by Google

Judæi divinam eſſe fatentur, neceſſe eſt Meſſiam jampridem veniſſe.

Prædict. Prophetiæ, variæ Interpretationes

Id quod certum eſt, quocunque modo intelligantur verba Prophetiæ, de ablatione ſceptri Judaïci à Juda. Sunt enim variæ Authorum interpretationes ad enodandam gravem de illa re difficultatem; quomodo ſcilicet Regia vel Ducalis poteſtas permanſerit in Judæ prognatis, uſque ad Herodem Idumæum, cujus anno circiter XXXV. natus eſt Jesus-Christus, quem Meſſiam eſſe contendimus. Multis quippe ante Chriſti adventum annis, ablatum fuiſſe conſtat Principatum de Juda, nempe à temporibus Machabæorum: qui cùm eſſent Sacerdotes, & conſequenter de tribu Levi, non autem de tribu Juda, etiam in politicis præfuerunt, & dominatum tenuerunt annis CLXV. ut teſtantur Joſephus, aliique Hiſtorici & Interpretes. Et liquet ex libro primo Machabæorum cap. 2. v. 1. Mathathiam, unum de duobus Machabæis, ſive Aſſamonæis, fuiſſe Sacerdotem. Unde videtur effici, ſceptrum & ducatum jamdiù ante Chriſtum & Herodem defeciſſe de femore Judæ.

Prima Interpretatio

Prima explicatio eſt, per (Judam,) intelligi populum Iudaïcum, qui à tribu Iuda nobiliori, & cæteras ferè omnes Tribus in ſua ditione amplectente, atque adeò in electionibus Ducum maximè prævalente, cognominationem accepit. In quo populo jus eligendi Principem, & gubernandi, fuit conſervatum uſque ad adventum Chriſti. Intellige, moraliter; nam quamvis tempore captivitatum, amiſſus fuerit Principatus ratione libertatis ablatæ: quia tamen intereà nemo alius, Rex aut Dux Iudææ ſuffectus eſt; idque contigit ad breve tempus; & poſteà mox recuperatus eſt Principatus: idcircò magis videtur tunc fuiſſe ſuſpenſus, quàm ademptus; & interregnum illud, moraliter pro non ablato cenſetur. Ita

Digitized by Google

interpretantur Iuſtinus Martyr, dialogo contra Triphonem, circa medium. Auguſtinus lib. 18. de civitate Dei, cap. 45. Euſebius lib. 1. Hiſtor. cap. 6. & lib. 6. de Demonſtratione Evangelica. Item Chryſoſtomus, Theodoretus & Rupertus. Quos ſequuntur è recentioribus Interpretibus, Cornelius à Lapide, & Tyrinus in cap. 49. Geneſ. in hunc locum. Et in eundem Pererius, titulo de benedictionibus Patriarcharum, num. 92. & ſequentibus, ubi hanc interpretationem fusè & doctè perſequitur.

Altera Interpretatio.

Altera explicatio quam alij Doctores ſuperiori præferendam putant, in quibus Martinon diſput. prima de Incarnatione; ſect. 5. num 49. & 53. Leſſius de Incarnatione quæſt. 1. art. 1. dub. 4. num. 15. Baronius in Apparatu ad Annal. num. 4. poſt Liranum, Abulenſem, Carthuſianum, alioſque. Et approbat Suares diſputat. 1. de Incarnatione, ſect. 1. Per (Iudam) intelligi Tribum Iuda. Nam ibi Iacob ſpecialiter benedicebat Iudæ, filio ſuo, & poſteris ejus, tanquàm aliis filiis ſuis.

Iuxta quam opinionem, quamvis ſceptrum & Principatus Iudæorum non ſemper manſerit in poſteris Iudæ, ſecundùm lineam maſculinam, uſque ad Herodem Idumæum & alienigenam, qui nequidem ex matre originem à Iuda ducebat: Pontifices, qui poſterioribus ſæculis præfuerunt, nempe Machabæi, cùm ex genere paterno fuerint Levitæ; materno tamen genere orti ſunt ex Tribu Iuda. Id quod non videtur aſſeri leviter; nam licet ex parte genitorum prognati ſint ex Levi, (quod inconſideratè negavit Genebrardus, contra Ioſephum, omnes Hiſtoricos, & contra Scripturam ipſam, Machab. 2. v. 1.) licitum erat Tribui Levi, jungi cum Tribu Iuda fœdere nuptiarum, ut colligitur ex cap. 16. Exodi; ubi dicitur Aaronem primum Pontificem ſummum duxiſſe in matrimonium

Digitized by Google

Elizabetham, filiam Aminadab Principis Tribus Iudæ. Et ſecundo Paralipom. cap. 22. habetur, Ioiadam Pontificem junxiſſe ſibi matrimonio Ioſabeth, filiam Regis Iuda. Et Luc. 1. Beata Virgo quæ ſupponitur fuiſſe de Tribu Iuda, habebat cognatam Elizabeth de Tribu Levi, & de filiabus Aaron. Licebat, inquam, duabus illis Tribubus, propter nobilitatem, mutua inire connubia, Ut colligitur etiam ex Philone Iudæo, lib. 2. de Monarchia, non procul à fine; quamvis aliæ non poſſent, niſi contribulibus ſuis.

Machabæi ex Tribu Iuda oriundi per maternum genus.

Machabæos autem procreatos fuiſſe ex tali conjunctione, ac deſcendiſſe ex Tribu Iuda, per maternum genus, teſtantur ipſi Rabbini, ut affirmat Baronius ſuprà. Nec alio jure licuiſſet illis, abſque tyrannidis labe, unà cum ſacerdotio, regnum ſibi vindicare. Quippe quod Deus promiſerat Davidi, ejuſque poſteris in perpetuum; quodque ex jure divino ad Davidis poſteros pertinebat hæreditariâ ſucceſſione. Contra quod jus, Machabæi injuſtè regnum occupaſſent; & tum Dei promiſſionem, tum prædictionem irritam feciſſent. Quare illi debuerunt per maternum genus, eſſe conjuncti Davidi, & conſequenter Iudæ, progenitori Davidis.

Quo ſenſu S. Hieronymus in cap. 1. Sophoniæ, affirmat uſque ad tempus Paſſionis & mortis Domini noſtri Ieſu-Chriſti, (moraliter ſcilicet) id eſt, uſque ad Herodem, & adventum Chriſti, perſeveraſſe Reges Iuda de ſtirpe David; utique ex materno ſaltem genere, ſecundùm prædictam Iacobi vaticinationem, *Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c.* Et Cyrillus Alexandr. libr. 8. adversùs Iulianum, longè poſt initium dixit poſt Zorobabelem, qui fuit de Tribu Iudæ & Davidis, transmiſſum fuiſſe ſceptrum per poſteros illius, uſque ad tempus Herodis. Et Rupertus libr. 9. in Geneſ. cap. 20. dicit Hircanum & Ariſtobulum,

Digitized by Google

Machabæorum poſtremos ex conjunctis Tribubus, ſacerdotali ſcilicet & regiâ, ortos fuiſſe.

Porrò cùm Herode regnante, notum omnibus eſſet, regnum & Principatum populi Judaïci ablatum eſſe à poſteris Judæ; tempuſque eſſe, ut impleretur prophetia de adventu Meſſiæ: ideò nonnulli ex Judæis, nempe Herodiani, ipſum Herodem, Meſſiam eſſe affirmarunt. Alij, & ferè omnes, non tantùm Judæi, ſed etiam Gentiles, mox venturum putaverunt. Quidam ad Veſpaſianum poſteà, ut Ioſephus ipſe lib. 7. de bello Iudaïco, cap. 12. prophetias retulerunt: eò quòd poſt Herodem Idumæum, Archelaüm, & Herodem Antipam, viderent regnaſſe Agrippam, Ariſtobuli filium, qui ab Herode genitus erat ex Mariamne, Nepte Hircani, Aſſamonæi Pontificis; ex eâque ſtirpe Reges uſque ad Veſpaſianum Imperatorem, imperaſſe. Verùm hic Agrippa, magis fuit præfectus à Claudio Imperatore, tanquam Tetrarchâ Iudææ, quàm Rex; nec niſi precariò regnavit ſub authoritate Romana, non verò ex electione Iudæorum, aut ex vi alicujus reſiduæ poteſtatis creandi ſibi Regem in iis permanentis. Quare tota authoritas Regia ante Agrippam, jam penitùs extincta erat.

Tempus venturi Meſſiæ ab omnibus putatū.

Sed ut ut ſit, certum eſt poteſtatem dominandi jam à pluribus ſæculis ablatam eſſe Iudæis; & conſequenter, jampridem Meſſiam promiſſum in lege, venire debuiſſe.

Altera prophetia illuſtris ad ſtabiliendam veritatem adventus Meſſiæ, habetur Danielis 9. v. 24. ubi Angelus Gabriel ſignificavit Danieli, fore ut poſt 70. hebdomadas veniret Meſſias promiſſus, his verbis; *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur*

Prophetia Danielis de adventu Meſſiæ.

Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte, ab exitu ſermonis, ut iterùm ædificetur Ieruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt. Et rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas, occidetur Chriſtus; & non erit populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo; & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli, ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ; & in dimidio hebdomadis, deficiet hoſtia & ſacrificium. Et erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio. Hactenus Angelus Danieli.

Quem locum, non tantùm omnes Doctores Chriſtiani, ſed etiam omnes antiqui Rabbini, exponunt de Meſſia. Id quod patet ex illis verbis; *Et ungatur Sanctus Sanctorum.* Quod eſt proprium nomen Meſſiæ; ſicut & (*Chriſtus*) qui hîc exprimitur. Item ex iſtis, *ut conſummetur prævaricatio, & adducatur juſtitia ſempiterna.* Quod eſt officium Meſſiæ; *& impleatur viſio & prophetia*; id eſt, prædictiones & figuræ veteris Teſtamenti.

Apertè autem indicatur tempus adventus ejus, per 70. hebdomadas. Pro quo obſervandum eſt hebdomadas in Scripturis, dupliciter tantùm accipi; primò pro ſpatio 7. dierum, ut Geneſ. 29. v. 27. & 28. Et Levitici 23. ubi dicitur ſeptem hebdomadas à Paſchate eſſe numerandas, quæ efficiunt dies 49. & quinquageſimum, eſſe diem Pentecoſtes. 2. Pro ſpatio 7. annorum, ut Levitici 25. v. 8. *Numerabis ſeptem hebdomadas annorum, & proximè ſequens (qui erit quinquageſimus annus) erit Iubilæus, qui erit annus remiſſionis.* Certum eſt autem, hebdomades Danielis non eſſe hebdomades dierum; quia ſic ejus prophetia

Hebdomadæ

fuiſſet intra ſeſquiannum completa. Ergo accipitur pro hebdomadibus, ſeu ſeptenariis annorum. Figmentum verò eſt aliter hebdomadas velle accipere; cùm nullum extet de hoc fundamentum in Scripturis. At ſeptuaginta hebdomades annorum efficiunt 490. annos; quos conſtat eſſe completos circa tempora Chriſti.

Danielis ſunt hebdomadæ annorũ.

Porrò cùm anni, alij ſint ſolares, nempe 365. dierum, & ſex circiter horarum; alij lunares, nempe 354. dierum, minores noſtris annis ſolaribus, undecim diebus, & ſex horis. Unde 490. anni lunares, efficiunt ſolares annos 475. & dimidium cum 23. diebus & ſex horis. Exiſtimat Pererius libro 10. in Danielem, cum pleriſque gravibus Auctoribus, in prædicta prophetia Danielis, ſermonem eſſe de hebdomadibus annorum lunarium; & ideò Scripturam ibi dixiſſe; *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*; id eſt, breves conſtitutæ, & ad annos lunares contractæ.

Quandonam inceperint 70. hebdomadæ Daniel.

Cæterùm hebdomadæ illæ, ut expreſsè notat Angelus c. 9. Danielis v. 25. incipiunt *ab exitu ſermonis, ut iterùm ædificetur Ieruſalem*, id eſt, ab eo tempore quo data eſt poteſtas rursùs inſtaurandi Jeruſalem & templum. Quam poteſtatem nuſquam legimus datam, niſi lib. 2. Eſdræ, c. 4. & 6. Senſus igitur Prophetiæ eſt, quòd ab exitu ſermonis, de Urbe & Templo reparandis, *Vſque ad Chriſtum Ducem, hebdomades ſeptem effluent*, id eſt, 49. anni. *Et hebdomades ſexaginta duæ*, aliæ ſcilicet, quæ præcedentibus additæ, facient hebdomadas ſexaginta novem. In prioribus verò ſeptem hebdomadibus, *tunc rursùm*, (*juxta Nehemiam*) *ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum.* Nimirùm brevi illo ſpatio ſeptem hebdomadarum, præ alio majori ſexaginta duarum hebdomadarum, quæ, ut dictum eſt, cum ſeptem præcedentibus facient 69. Poſt quas, hebdomadâ ſeptuageſimâ Chriſtus palàm apparebit; cùm ſcilicet ſtatim poſt baptiſ-

mum, Evangelium incipiet prædicare, ſéque ipſum Iudæis patefacere.

Atque in medio illius hebdomadæ Septuageſimæ occidetur Chriſtus, confirmans pactum & Teſtamentum novum ſanguine ſuo & morte, quâ lex antiqua, & ſacrificia Moſaïca (utpotè figuræ novæ legis, & ſacrificij crucis Chriſti) erant abolenda.

Et poſt ejus occiſionem, non quidem ſtatim mathematicè, ſed moraliter, 40. nempe pòſt annis, ſequetur in ejus pœnam, & perfidiæ Iudæorum, Chriſtum agnoſcere recuſantium, templi ſtrages, & profanatio ſacrorum, urbis excidium, & ſempiterna populi deſolatio, quæ huc uſque manifeſtè perſeverat.

Iuxta hanc ſupputationem quam accuratè tradunt Petavius libr. 12. de doctrina temporum c. 35. Martinon diſput. 1. de Incarnatione, quæſt. 1. dub. 4. num. 16. & alij; ſeptuaginta hebdomades incipiunt ab anno mundi 3529. Olympiadis octogeſimæ primæ ſecundo, deſinuntque in annum mundi 4018. qui eſt annus poſt Paſſionem Domini, quartus; ita ut in medio hebdomadis ſeptuageſimæ, anno ejus tertio, Chriſtus occiſus ſit, ut Angelus prædixerat.

Prophetia Daniel. impletio.

Quare cùm iſta videamus in Chriſto fuiſſe impleta; & poſteà ſecutam eſſe perpetuam urbis, & templi deſolationem, ac totius Reipublicæ everſionem, quæ ibi ſecutura prædicuntur: jam inde evidens eſt, non tantùm Meſſiam veniſſe jampridem: ſed etiàm Meſſiam, non alium eſſe quàm Chriſtum.

Quæ veritas probatur ſecundò efficaciſſimè ex clariſſimis notis Meſſiæ, ſeu circumſtantiis, & quaſi inſignibus, quibus in veteri Teſtamento depingitur & adumbratur; quæ omnia de Meſſia venturo prædicta, perfectè in Chriſtum Redemptorem noſtrum quadrant. Quicquid enim apud Evangeliſtas de Chriſto Domino legimus, videmus multis annis antè prædi-

Digitized by Google

ctum à Prophetis; & pleraque ita clara ut non prophetia, ſed hiſtorica narratio videatur.

Ac primò, Deum-hominem futurum, & humanâ formâ cum hominibus converſaturum, diſertè vaticinatus eſt Baruch c. 3. *Hic eſt*, inquit, *Deus noſter; & non æſtimabitur alius adversùs eum; hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo; poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Similiter Iſaias c. 35. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos.* Et alio in loco, *Utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes.* *Omnia prædicta de Meſſ. in Chriſtū conveniunt*

Quòd naſciturus eſſet de familia David, & conſequenter de Tribu Iuda, Iſaiæ 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet; & quieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, Spiritus timoris Dei implebit ipſum.* Nam iſte Ieſſe, pater fuit Davidis; & nomine (virgæ) apertè deſignat Meſſiam & regnum ejus, ut interpretatur Divus Chryſoſtomus, libro, (quòd Chriſtus ſit Deus,) & alij omnes. *Iſaiæ 64 v. 1.*

Generatum iri Meſſiam ex Virgine incorruptâ & intactâ, Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanüel.* Hoc ipſum Daniel c. 2. adumbravit ſimilitudine lapidis, è monte ſine manibus exciſi.

Naſciturum in oppido Bethleem, Micheæ c. 5. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquàm minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.*

Tempus Nativitatis; venturum ſcilicet eo tempore quo deficeret ſceptrum de Iuda, id eſt, Principatus Iudæorum ad Principes alienigenas tranſlatus eſſet, vaticinatus eſt Iacob, libr. Geneſ. c. 49. loco jam citato. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec Dux de fe-*

Digitized by Google

more ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Conſtat autem Chriſtum natum eſſe, regnante in Judæa Herode, qui materno genere fuit Arabs; paterno verò Idumæus. Ex quo poteſtas regni Judæis adempta eſt.

Habiturum præcurſorem, (nimirùm Joannem Baptiſtam) Iſaiæ 40. *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, &c.* Et Malachiæ c. 3. *Ecce ego mitto Angelum, & præparabit viam ante faciem meam; & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis.*

Quòd & quibus prædicaturus eſſet Chriſtus, Iſaiæ c. 6. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit me Dominus: ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde; & prædicandam captivis indulgentiam.*

De miraculis quæ erat editurus, Iſaiæ c. 35. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ſicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

Ingreſſurum eſſe Ieruſalem paupere habitu, aſinæ inſidentem, ſumma populi gratulatione, Zachariæ 9. *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Ieruſalem; ecce Rex tuus veniet tibi, juſtus Salvator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.*

Quæ verò ad ejus Paſſionem & mortem pertinent, omneſque ejus circunſtantias, tam diſtinctè & apertè expreſſerunt David, Pſalm. 21. & 68. Iſaias c. 53. & Auctor libri Sapientiæ, c. 2. ut non tot ſæculis Chriſtum anteceſſiſſe, ſed illi acerbo & luctuoſo ſpectaculo interfuiſſe videantur.

Proditio Iudæ ſignificatur Pſal. 40. v. 10. his verbis; *Homo pacis meæ, qui edebat panes mecum, magnificavit ſuper me ſupplantationem.*

Digitized by Google

Venditio 30. argenteis, Zachariæ 11. v. 12. *Appenderunt mercedem meam, triginta argenteos.*

Chriſtum à ſuis necatum iri, & tempus ejus præſignificavit Daniel c. 9. jam citato; Angelo ipſum docente poſt 69. hebdomades, hoc eſt, in dimidio Septuageſimæ hebdomadis, occiſum iri Chriſtum.

Genus mortis quo Chriſtus in crucem ſublatus occidendus erat; indicavit Ieremias c. 11. in perſona Meſſiæ ita loquens; *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam; cogitaverunt ſuper me conſilia, dicentes; Mittamus lignum in panem ejus, (id eſt, ut interpretantur Patres, in corpus ejus,) eradamus eum de terra viventium; & nomen ejus non memoretur amplius.*

Huc quoque Iuſtinus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Leo Pontifex, & complures alij pertinere putant, quod in cap. 28. Deuteronomij ſcriptum eſt; *Erit vita tua pendens ante te, & non credes vitæ tuæ.* Iudæos alloquitur.

Alapæ Chriſto inflictæ, & ſputa in faciem injecta, Iſaiæ 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem non averti ab increpantibus & conſpuentibus, &c.*

Fuga Diſcipulorum tempore Paſſionis, Zachariæ 13. v. 7. *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves.*

De perfoſſione manuum ac pedum Chriſti; de diviſione & ſortitione veſtium; de potu fellis & aceti; de crucifixione inter duos latrones; de oratione Chriſti pro ſuis interfectoribus, aliiſque circunſtantiis Paſſionis, fit mentio expreſſa, partim apud Davidem Pſalmis jam citatis 21. & 68. partim apud Iſaiam c. 53.

Quæ ne gravetur Lector in propriis locis requirere, præcipua de Paſſione Chriſti in dictis Pſalmis prænuntiata ſubjicio; non pigebit, ſi lubet, integros legere & meditari.

Digitized by Google

Prænũtiata à Davide de Chr. patiente in Pſ.21. Hæc igitur inter cætera ſcripſit David de Christo patiente, Pſal. 21.

v. 7. *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Contemptus & opprobria Chriſti.

v. 8. *Videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput.* Ejus deriſiones.

v. 9. *Speravit in Domino, eripiat eum: ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.* Ejus item irriſio & ſubſannatio.

v. 13. *Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me.* v. 14. *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.* Furor Iudæorum ad Chriſtum perdendum.

v. 17. *Quoniam circundederunt me canes multi, conſilium malignantium obſedit me.* En concurſus Iudæorum, ejus mortem machinantium.

v. 18. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Perfoſſio manuum & pedum, nec-non extenſio corporis in cruce.

v. 19. *Ipſi verò conſideraverunt & inſpexerunt me; diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Diviſio & ſortitio veſtium.

In Pſal. 68. Et Pſalm. 68. qui totus eſt de Paſſione Chriſti.

v. 1. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam.* His verbis exprimuntur dolores interni Chriſti.

v. 2. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Dolorum & malorum gravitas.

v. 3. *Veni in altitudinem maris, &c.* Chriſtus patiens. Item v. 4.

v. 5. *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Multitudo inimicorum Chriſti, ſine cauſa ſævientium.

Digitized by Google

v. 5. *Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei injuſtè; quæ non rapui, tunc exolvebam.* Chriſtus innocens patitur pro peccatis alienis.

v. 8. *Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam.* Opprobria Chriſti.

v. 9. *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Iudæi non reſpexerunt ad Chriſtum, natione & Religione Iudæum.

v. 10. *Quoniam zelus domus tuæ comêdit me; opprobria exprobrantium ceciderunt ſuper me.* Opprobria & exprobrationes.

v. 21. *Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inveni.* Chriſtus ab omnibus derelictus.

v. 22. *Et dederunt in eſcam meam, fel; & in ſiti meâ potaverunt me aceto.* Chriſtus felle & aceto potatus.

v. 24. *Obſcurentur oculi eorum ne videant; & dorſum eorum ſemper incurva.* Iudæorum excæcatio.

v. 25. *Effunde ſuper eos iram tuam; & furor iræ tuæ comprehendat eos.* Iudæorum punitio.

v. 26. *Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.* Hieroſolymæ excidium & Iudæorum deſolatio.

Ex Iſaiæ cap. 53. in quo deſcripſit cauſam Paſſionis Chriſti, modum quo paſſus eſt, &c.

v. 2. *Non eſt ſpecies ei, neque decor*: ſcilicet ob verberationem maxillarum, contuſiones, alapas, ſputa, &c. *Et vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum.* v. 3. *Deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem; & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum.* v. 4. *Verè languores noſtros ipſe tu-*

Prænũtiata ab Iſaia de Chriſto

Chriſtus nō pro ſuis peccatis , ſed pro noſtris mortem ſubiit.

Vltrò ſe obtulit morti.

Divinum Chriſti ſilentium & manſuetudo in patiendis injuriis & tormentis.

Cædes & exterminium Iudæorū prædicitur.

Innumera Chriſtianorū multitudo futura.

Victoria Chriſti de diabolo.

Inter latrones crucifixus.

Oratio pro ſuis crucifixoribus.

lit ; & dolores noſtros ipſe portavit ; & nos putavimus eum , quaſi leproſum , & percuſſum à Deo , & humiliatum. v. 5. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras ; attritus eſt propter ſcelera noſtra ; diſciplina pacis noſtræ ſuper eum , & livore ejus ſanati ſumus.* v. 6. *Omnes nos quaſi oves erravimus , unuſquiſque in viam ſuam declinavit , & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.* v. 7. *Oblatus eſt quia ipſe voluit , & non aperuit os ſuum ; ſicut ovis ad occiſionem ducetur , & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet , & non aperiet os ſuum.* v. 8. *De anguſtia & de judicio ſublatus eſt ; generationem ejus quis enarrabit ? quia abſciſſus eſt de terra viventium , propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* v. 9. *Et dabit impios pro ſepultura , & divitem pro morte ſua , eò quòd iniquitatem non fecerit , neque dolus fuerit in ore ejus.* v. 10. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate ; ſi poſuerit pro peccato animam ſuam , videbit ſemen longævum , & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* v. 11. *Pro eo quòd laboravit anima ejus , videbit & ſaturabitur ; in ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervos meos multos , & iniquitates eorum ipſe portabit.* v. 12. *Ideò diſpertiam ei plurimos , & fortium dividet ſpolia , pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam ; & cum ſceleratis reputatus eſt , & ipſe peccata multorum tulit , & pro transgreſſoribus rogavit.* Hactenùs Iſaias Propheta.

Sed pergo recenſere reliquas de Chriſto prophetias.

Reliquæ prophetiæ Chriſtum deſignātes.

De eclipſi Solis , Chriſto moriente , prænuntiavit Amos , cap. 9. *Et tenebreſcere faciam terram in die luminis.*

De illius ſepulcro dixit Iſaias , c. 11. v. 10. *Et erit ſepulcrum ejus glorioſum.* Quo quid nobilius & glorioſius ? Nam etſi jampridem in poteſtate & cuſtodia Turcarum

Turcarum ſit, qui nominis Chriſtiani ſunt hoſtes infenſiſſimi; & non niſi magnis laboribus ac periculis ad illud accedere liceat; ſuſceptis tamen ex omni orbis parte peregrinationibus, frequenti etiamnum Chriſtianorum concurſu celebratur.

Ejus deſcenſus ad inferos, & Patrum liberatio; Eccleſiaſtici c. 24. *Penetrabo, inquit, omnes inferiores partes terræ; & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Et Zachariæ 9. *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti, educes vinctos de lacu, in quo non eſt aqua.*

Reſurrectio Chriſti à Davide prædicta, Pſalm. 3. *Ego dormivi & ſomnum cepi, & exurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me.* Et Pſalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.* Viam vitæ appellat eam viam quâ ex morte reditur ad vitam beatam & immortalem; nullius antea pede tritam, primique omnium hominum, Chriſti veſtigio impreſſam, ſignatamque.

Aſcenſio Chriſti, Michææ 20. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, &c.* Et Pſalm. 23. *Aſcendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ.*

Seſſio ad dexteram Dei Patris, Pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.*

Miſſio Spiritûs-Sancti, Joël 2. *Et erit poſt hæc, effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem; & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ.* Et Iſaiæ 44. v. 3. *Effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, &c.*

Evangelicæ doctrinæ prædicatio ad omnes gentes, & harum vocatio, Iſaiæ c. 66. ubi Deus loquens inducitur in hæc verba; *Mittam ex eis qui ſalvati fuerint, ad gentes in Africam & Lydiam; in Italiam &*

Græciam, ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam; & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & de cunctis gentibus adducent donum Deo. Et cap. 49. *Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas Tribus Iacob, & fæces Iſraël convertendas; ecce dedi te in lucem gentium, & ſit ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Eodem ſpectat luculentum illud Zachariæ oraculum, cap. 8. *In diebus illis apprehendent decem homines, ex omnibus linguis gentium, fimbriam viri Iudæi, dicentes, ibimus nos vobiſcum; audivimus enim, quoniam Deus vobiſcum eſt.* Item Pſalm. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Et Pſalm. 67. *Dominus dabit verbum Evangelizantibus, virtute multâ.*

Mundi converſio ad fidem, Pſalm. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

Hæc ſunt de Meſſia Prophetarum oracula, quæ ad unum omnia fuiſſe in Domino noſtro completa, Sancti Evangeliſtæ, vitam ejus deſcribentes, clariſſimè demonſtrarunt. Hoc ipſum poſteà Juſtinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alij complures nobiliſſimi Auctores, editis adversùs Judæos doctiſſimis libris comprobarunt. Hæc autem ſi ſimul conſiderentur, quomodo in Chriſtum conveniant; pluſquàm moraliter evidens faciunt, Chriſtum eſſe Meſſiam promiſſum, nec alium eſſe expectandum.

Mira cõcordia veteris ac novi Teſtamenti.

Ad hæc igitur, quid poſſunt reſpondere Judæi? Nonne tantâ rerum evidentiâ convicti, neceſſe eſt ut obmuteſcant? Enimverò quis tantam eſſe Prophetarum & Evangeliſtarum, veteris ac novi Teſtamenti convenientiam, & concordiam non obſtupeſcat? Veriſſimè quippe dictum eſt à S. Irenæo libr. 4. c. 26. & 27. *Unam eſſe legis, & Evangelij ſubſtantiam;*

Digitized by Google

neque aliud eſſe vetus Teſtamentum, quàm prædictionem & promiſſionem novi; nec novum eſſe aliud, niſi veteris complementum. Lex enim antiqua, & prophetia vetus, eſt ipſummet Evangelium, convolutum tamen & complicatum: Evangelium verò legem & prophetiam habet denudatam & explicatam.

An poſſunt Judæi oſtendere, ſupradicta Vatum oracula, in unum aliquem, præter Dominum Jeſum conveniſſe? An dicent, caſu & fortuitò ea in Chriſtum concurriſſe? At *caſus & fortuna, ut ait Ireneus, ordinem neſciunt, nec modum tenent ullum, nec habent conſtantiam; in uno aut altero, ſemel atque iterùm locum habere poſſunt; in omnibus autem & ſemper, & eodem modo verſari non poſſunt.* Porrò cùm Prophetarum vaticinationes, quaſi quædam ſigna certa, & indicia Meſſiæ, præmiſſæ fuerint à Deo, ut ex his Meſſias mortali & patibili carne indutus, in mundum aliquando venturus, ſine ullo errore & ſine magna difficultate cognoſci poſſet: hæc autem omnia ſigna Meſſiæ venturi, in Chriſto Domino reperta fuerint: neceſſe eſt Judæos fateri, aut Chriſtum Dominum, verum eſſe Meſſiam, aut illa ſigna fuiſſe fallacia; nempe quibus homines, etiam docti & perſpicaces, citra ipſorum culpam, in graviſſimum errorem inducerentur, colendo pro vero Meſſia, Pſeudo-Meſſiam. Quod ſalvâ rectâ divinæ Providentiæ circa ſuam Eccleſiam gubernatione, de omnibus ſanctis Eccleſiæ Patribus prudenter dici nequit.

Prædictiones allatæ nulli alteri conveniũt, quàm Chriſto.

Signa prædicta fuerunt data ad Meſſiam cognoſcendum

Sectio Tertia.

Iudæorum objectionibus occurritur.

Quod ſpectat ad objectiones Iudæorum, nullo negotio diſſolvuntur, ſi quatuor illorum erro-

Quatuor errores

Iudæorũ propter quos Meſſiam nõ agnoverunt. Primus error.

res in exponendis ſacris ſcripturis advertantur. Primus eſt, quòd non diſtinguant duplicem Chriſti adventum in ſcripturis prædictum; unum ad redimendos homines, alterum ad eos judicandos: illum humilem, de quo plurima in ſcripturis; hunc glorioſum & cum majeſtate, de quo Malachiæ ultimo, & Ezechielis 38. Qua de re videri poteſt Irenæus lib. 4. c. 56.

Hujus diſtinctionis defectu, Iudæi occaſionem errandi ſumpſerunt, uni tribuentes adventui, quod de altero eſt intelligendum. Unde eorum nonnulli, cùm non poſſent oracula ſcripturæ, de Meſſiæ adventu conciliare, quorum quædam ſignificant illum venturum pauperem & humilem; alia verò venturum in gloria & claritate, duos finxerunt Meſſias, alium divitem, alium pauperem; quod vanum & fictitium eſt, ac ſcripturæ repugnans.

2. Error Iudæorũ

Secundus error illorum eſt, quod exiſtimaverint, imperium Meſſiæ, de quo Iſaiæ 2. & Michææ 4. alibique, temporale futurum fuiſſe & terrenum; non verò ſpirituale, cœleſte & æternum; in ſenſu carnis & temporaliter intelligentes quæ ſcriptura prædixit de regno Meſſiæ, de poteſtate illius, de victoria totius orbis; de felicitate & liberatione Iſraëlitarum, de reædificatione Templi, aliiſque ſimilibus: Cùm tamen hæc ſpiritualiter accipienda ſint. Sicut & promiſſiones quas ſcriptura ſignificat, Iudæos & alios homines, in adventu Meſſiæ conſecuturos, ut Deuteronomij 30. Ezechiel, 38. Ioël 3. & alibi. Quas Iudæi tertio errore interpretati ſunt fore terrenas, & de temporalibus fortunæ bonis: Quæ tamen intelligendæ ſunt de bonis ſpiritualibus & ęternis. Per Chriſtum enim nobis promiſſa ſunt ejuſmodi bona, quæ vera ſunt bona, & quibus non poſſunt aliqua eſſe meliora; qualia ſunt quæ ſalutem æternam hominibus afferunt; poſſuntque cunctis mortalibus eſſe

3. Error Iudæorũ

Digitized by Google

æquè communia. Cujus generis non ſunt bona temporalia hujus vitæ, fluxa & caduca, quibus perſæpè boni privantur. Deinde idem Meſſias, aliis Prophetarum oraculis, deſcribitur pauper, humilis, vir dolorum, & ſciens infirmitatem. Signum eſt igitur abundantiam bonorum per ipſum promiſſorum, non carnaliter, ſed ſpiritualiter pro hoc mundo, intelligendam eſſe; ut Hieronymus paſſim docet, & Auguſtinus libr. de ſpiritu & litera.

Itaque per lætitiam Iſraëlis in adventu Meſſiæ futuram, intellige lætitiam ſpiritualis Iſraëlis, ſeu populi chriſtiani. Per liberationem illius à ſervitute; intellige liberationem, non à ſervitute temporali & humana: ſed à ſervitute Dæmonis & peccati, quam Chriſtus attulit. Per potentiam & victoriam Meſſiæ, qui prædicitur hoſtes ſubjugaturus; intellige victoriam de Dæmone, & hoſtibus ſpiritualibus; ac potentiam ſpiritualem quæ merito & Paſſione Chriſti continetur. Unde expreſsè dixit ipſe Chriſtus, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, quoad externam ſcilicet dominationem. Sicut optimè docet Driedo tract. 2. de Captivitate, & Redemptione generis humani, c. 1. memb. 3. diſt. 5. Denique per reædificationem Templi, intelligenda eſt ædificatio Eccleſiæ Chriſti. Ioan 18. v. 36.

Quartus Iudæorum error eſt, quòd multa metaphoricè dicta, volunt propriè accipi, ut *habitabit lupus cum agno* Iſaiæ. c. 11. v. 6. &c. 4. Error Iudæorũ

Quibus erroribus ita ſunt impliciti, ut nullam propè ſcripturæ partem rectè intelligant; & in ſuis præjudiciis, ac falſis principiis errantes, excæcati maneant, circa veritatem aliunde palpabilem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

SECTIO QUARTA.

Quòd Chriſtus ſeu Meſſias promiſſus, ſit Deus.

Probatur quòd Chriſtus ſeu Meſſia ſit Deus. SEcundum quod propoſuimus, ex iiſdem Prophetiis antiquis probandum; quòd ſcilicet Chriſtus, quem Meſſiam eſſe demonſtratum eſt, ſit etiam Deus homo, promiſſus & prænuntiatus in veteri Teſtamento: efficaciter probatur in primis ex Pſalm. 3. v. 7. ubi David Meſſiam ita loquentem inducit; *Dominus dixit ad me, Ego hodie genui te.* Ex mea utique ſubſtantia; quod enim verè & propriè gignitur, eſt ex ſubſtantia gignentis. Neque ulli Angelorum, aut hominum ſanctorum, qui interdùm in ſcriptura metaphoricè, & per gratiam adoptionis vocantur Filij Dei, dictum uſquàm fuit à Deo; *Ego hodie genui te*, ut benè expendit Apoſtolus, ad Hebræos cap. 1. v. 5.

Et ex Pſalmo 109. v. 1. & ſequent. ubi David in ſpiritu, Meſſiam, vocat Dominum ſuum, & ad dexteram Dei ſedere ſignificat, id eſt æquali gloriâ & majeſtate frui. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.* Certè, Filium ſuum poſteà naſciturum, non appellaret Dominum ſuum, niſi Deus eſſet futurus. Et hoc de ſeſſione à dextris, ne de Angelis quidem poteſt intelligi; cùm omnes ſint adminiſtratorij ſpiritus, ab illa majeſtate infinitè diſtantes. Ibidemque ait; fuiſſe *ex utero Dei genitum ante Luciferum*, id eſt, d epropria ejus ſubſtantia, & ab intrà, ante Solem, ſive ante mundi conſtitutionem; quod de ſolo Meſſia, ut Verbo, dici poteſt.

Item Iſaiæ cap. 35. ubi prædicitur, Deum ipſum in perſona Meſſiæ, venturum eſſe. *Deus ipſe veniet, inquit, & ſalvabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum,*

Digitized by Google

& aures ſurdorum patebunt. Et alibi ſæpè dicitur, Deus venturus, Emmanüel, id eſt, nobiſcum Deus.

Item Iſaiæ cap. 9. v. 6. ſic deſignatur Meſſias; *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis; & factus eſt principatus ejus ſuper humerum ejus; (id eſt, erit Rex:) & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis.*

Denique ut omittam cætera, Micheæ cap. 5. v. 2. ſic habetur de Meſſia; *Tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda; ex te enim egredietur, qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus ejus à diebus æternitatis.* Plura ad eandem veritatem confirmandam videri poſſunt apud Euſebium lib. 5. de Demonſtratione Evangelica; Chryſoſtomum, homil. quòd Chriſtus ſit Deus. Auguſtinum lib. 18. de Civit. à cap. 29. uſque ad 35. Molinam 1. p. quæſt. 27. art. 1. diſput. 2.

Ex quibus omnibus conſtat, quàm ſolidè vel ex hoc primo argumento Prophetiarum veteris Teſtamenti, fundata ſit Chriſtianorum fides de Divinitate Chriſti; quam non niſi ſtulta impietas, in ſuam perniciem obſtinata, poteſt per ſummam & damnabilem imprudentiam negare, aut in dubium revocare.

At dicet aliquis, quamvis prædictæ probationes valeant contra Judæos & Chriſtianos, qui libros veteris Teſtamenti, tanquam divinos admittunt: tamen contra Gentes, Prophetis Hebræorum non credentes, nec Scripturæ, quam nos ſacram & divinam eſſe fatemur; infirmas eſſe & invalidas.

Reſpondeo 1. propter hanc ipſam cauſam, non eſſe contra illos incipiendum ab hoc argumento Revelationis divinæ: ſed ab argumentis naturalibus, hoc eſt, metaphyſicis, phyſicis & moralibus, quibus Deum eſſe demonſtrant Theologi, cum D. Thoma

Quomodò cum Infidelibus procedendũ in rebus fidei.

1. p. qu. 1. Tum contra eoſdem demonſtrandum eſt, per motiva fidei noſtræ, de quibus agunt Theologi in materia de Fide, & quorum plura nos infrà referemus: Demonſtrandum, inquam, myſterium Incarnationis divinæ eſſe evidenter credibile; & quidem tantâ credibilitate, ut ſecundùm rectam rationem & prudentiam, omninò debeat credi. Deo enim aliquid dicenti, & aſſerenti ut credamus, tenemur credere; quando moraliter evidens eſt, ipſum loqui, ita ut de ejus locutione non poſſimus prudenter dubitare.

Deo loquenti tenemur credere, quando moraliter valdè credibile eſt ipſum loqui.

Reſpondeo 2. licet Infideles non cognoſcant Scripturam ſacram, tanquam divinam; hoc ipſum tamen poſſe contra illos, per ipſammet convinci; ejuſque teſtimonio efficaciter probari, Chriſtum eſſe Deum & hominem. Nam ut omittam alia indicia Auctoritatis divinæ Scripturarum, quæ recenſentur à Theologis in tractatu de Fide: negare non poſſunt Infideles, Scripturam quam divinam eſſe contendimus, antiquiſſimam eſſe; ac vetus Teſtamentum longè ante Chriſtum ſcriptum fuiſſe: Novum autem, non multò poſt ejus mortem exaratum. Id enim publicâ & conſtanti famâ non minùs conſtat, quàm libros Homeri, Herodoti, Livij & ſimiles eſſe antiquos: eorumque ut vetuſtiſſimorum mentionem faciunt plurimi antiqui, Philo, Joſephus, Dionyſius, Juſtinus Martyr, Origenes, &c. Atqui manifeſtum eſt in illis libris, multas contineri prædictiones, quas cernimus impletas. Ex quo convincitur, illos libros eſſe propheticos, ac proinde divinos, fidéque dignos; ſiquidem ſolius Dei eſt futura libera, præſertim ea quæ ab ipſius voluntate pendent, tantò antè propriâ vi cognoſcere. Unde, ut ait Tertullianus, *certum argumentum Divinitatis, eſt divinatio futurorum.* Ejuſmodi multas & illuſtres prædictiones, tam circa Chriſtum ipſum, quàm circa alia plurima, collectas

Prædictiones Scripturarum impletæ, oſtendũt illas eſſe divinas.

Digitized by Google

videre licet apud Leſſium 1. de Providentia numinis, ratione decimâ, à numero 126. Cùm igitur inde conficiatur contra Gentiles, hos libros eſſe divinos, adeóque fide dignos; illique teſtentur manifeſtè, Verbum fuiſſe incarnatum, ac Chriſtum, Deum & hominem eſſe: ſequitur, ita certò eſſe credendum. Id quod multis deinceps aliis argumentis credibilitatis, contra ipſos efficaciùs confirmabitur.

Libri ſacri quos à Iudæis accepimus, non fuerunt à Chriſtianis inventi, aut corrupti.

Nec eſt quòd ſuſpicentur Gentiles, hos Prophetarum libros, à Chriſtianis ad ſuum uſum fuiſſe confictos; ſiquidem, ut ipſi fatentur Judæi, eos ab ipſis Chriſtiani nominis hoſtibus infenſiſſimis, acceperunt Chriſtiani; penes quos illi etiamnum hodie ſunt, & fuêre olim ante adventum Chriſti, per annos plus mille & quingentos.

Divinâ Providentiâ factum eſt, ut Iudæi fuerint per omnes gentes diſperſi.

Rectè autem Auguſtinus libro 18. de Civitate Dei cap. 46. Theodoretus in oratione decima de Providentia, aliique exiſtimant, eam maximè ob cauſam, Judæos per omnes gentes uſquequaque diſperſos eſſe, ut quæ Prophetarum vaticinia à Chriſtianis, Evangelium prædicantibus, proferrentur, ea Gentes in Iudæorum libris legentes, intelligerent non eſſe Chriſtianorum figmenta. Quapropter rectè idem Auguſtinus libr. 11. de Civitate Dei cap. 46. *Nihil eſt, inquit, firmius ad convincendos quoſlibet alienos, ſi de veritate Evangelij contenderint; noſtroſque fulciendos, ſi rectè ſapuerint; quàm ut divina prædicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Iudæorum ſcripta ſunt codicibus; quibus avulſis de propriis ſedibus, & propter hoc teſtimonium, toto orbe diſperſis, Chriſti uſquequaque crevit Eccleſia.*

Qua de re item Lactantius libro quarto Inſt. c. 12. *Quid, inquit, iſtis prophetiis manifeſtius dici poteſt? Legebant iſta Iudæi, qui eum negaverunt. Si quis nos hæc fingere arbitretur, ab iis requirat, ab iis potiſſi-*

mùm ſumat. Satis firmum eſt teſtimonium ad probandam veritatem, quod ab ipſis perhibetur inimicis.

SECTIO QUINTA.

Sibyllarum prædictiones de Chriſto.

Sibyllarum prædictiones de Chriſto.

AD hæc lubet etiam adjicere, ad confirmationem & cumulum quemdam hujus primæ demonſtrationis, prædictiones Sibyllarum; quæ diverſis temporibus & locis extiterunt inter gentes; & divino afflatæ ſpiritu, (ut ſentiunt non modò ſancti Patres, ſed etiam plerique omnes Auctores profani) vaticinia de Chriſto, Deo & Salvatore, multis ante ipſum ſæculis, tam clara ediderunt; ut plurimi inter Gentiles præcipui, ex hoc ſolo inducti, Religionem Chriſtianam amplexi ſint. Quamvis, ut ait Lactantius, Sibyllina carmina prioribus temporibus, pro deliramentis habita ſint, & fabuloſi earum ſermones viderentur; cùm divinę Incarnationis myſterium nondum eſſet reſeratum. Poſteà verò ex iiſdem libris Patres & Doctores Eccleſiæ naſcentis, convicerunt Gentiles de veritate Religionis Chriſtianæ, & Divinitatis Chriſti. In quibus Lactantius libro quarto divin. Inſtitut. cap. 15. & 18. Clemens Alexandrinus libro ſexto Strom. multò poſt initium. Auguſtinus lib. 18. de Civit. cap. 23. & libro 13. contra Fauſtum cap. 15. Et in Oratione contra Iudæos, Paganos & Arianos. Item Euſebius, Arnobius, Iuſtinus, in libris quos adverſùs Gentes ediderunt. Multa quoque congeſſit Eugubinus decem libris de perenni Philoſophia, quæ Chriſtianæ Religionis fidem & dogmata comprobent.

Lactãt. lib. 4. de divin. Inſtit. c. 11.

Sibyllæ decem numerantur.

Illas fœminas, à dono vaticinandi, ſic dictas, Varro tradit numero decem fuiſſe; quarum omnium libri, (ut ex eodem ſcribit Lactantius,) carmine

apud Romanos ferebantur, & habebantur vulgò, præter quàm Cumeæ; cujus libros inſpicere, ſolis Quindecim-viris fas erat. Quamvis autem ſingularum ſinguli ſint libri, quia Sibyllæ nomine inſcribebantur, unius eſſe creduntur, ut ait Lactantius; ideóque ſunt confuſi, nec facilè cuique quod ſuum eſt, poteſt aſſignari; niſi Erythrææ, quæ & nomen ſuum carmini inſerüit, & plura edidit, quàm aliæ. Integrum autem ex iis volumen, ſuperiori ſæculo, typis græcis excudit Xyſtus Betuleius.

Earum ergo ſingularum carmina ſenaria, jam olim latinitate donata, in rem noſtram ſubjicio, prout extant apud Michaëlem Medinam lib. 2. de recta in Deum fide.

PERSICÆ, ſunt ejuſmodi.

Virgine matre ſatus, pando reſidebit aſello,
Jocundus Princeps, unus qui ferre ſalutem
Ritè queat lapſis: tamen illis fortè diebus
Multi multa ferent immenſi fata laboris.
Solo ſed ſatis eſt oracula prodere verbo.
Ille Deus caſtâ naſcetur Virgine magnus.

LIBYCÆ.

Ecce dies veniet, quo æternus tempore Princeps,
Irradians ſata læta, viris ſua crimina tollet.
Lumine clareſcet cujus Synagoga recenti
Sordida, qui ſolus reſerabit labra reorum.
Æquus erit cunctis, gremio Rex membra reclinat
Reginæ mundi; ſanctus per ſæcula vivus.

DELPHICÆ.

Non tardè veniet, tacitâ ſed mente tenendum

Digitized by Google

Hoc opus; hoc memori ſemper qui corde reponet.
Hujus pertentant cor gaudia magna Prophetæ
Eximij, qui Virgineâ conceptus ab alvo,
Prodibit ſine contactu matris; omnia vincit
Hoc naturæ opera; at fecit, qui cuncta gubernat.

SAMIÆ.

Ecce dies, nigras quæ tollet læta tenebras,
Mox veniet, ſolvens nodoſa volumina Vatum,
Gentis Judææ referant ut carmina plebi.
Hunc poterunt clarum vivorum tangere Regem,
Humano quem Virgo ſinu, inviolata fovebit.
Annuit hoc cœlum, rutilantia ſidera monſtrant.

CUMANÆ.

Jam mea recta manent, & vera noviſſima verba,
Ultima venturi quòd erant oracula Regis,
Qui toti veniens mundo, cum pace, placebit,
Ut voluit, noſtrâ veſtitus carne decenter;
In cunctis humilis, caſtam pro matre puellam
Diliget; hæc alias formâ præceſſerit omnes.

HELLESPONTICÆ.

Dum meditor, quondam vidi decorare puellam,
Eximio caſtam quòd ſe ſervaret honore.
Munere digna ſuo, & divino Numine viſa;
Quæ ſobolem multo pareret ſplendore micantem.
Progenies ſummi ſpecioſa & vera Tonantis.
Pacificâ mundum qui ſub ditione gubernet.

PHRYGIÆ.

Ipſa Deum vidi ſummum, punire volentem

Mundi homines ſtupidos, & pectora cæca rebellis.
Et quia ſic noſtram complerent crimina pellem,
Virginis in corpus voluit demittere cœlo
Ipſe Deus prolem, quam nuntiet Angelus almæ
Matri, quæ miſeros contractâ ſorde levaret.

TIBURTINÆ.

Verax ipſe Deus, dedit hæc mihi munia fandi,
Carmine quòd ſanctam potui monſtrare puellam,
Concipiet quæ Nazaræis finibus illum,
Quem ſub carne Deum, Bethlemitica rura videbunt.
O nimiùm felix, cœlo digniſſima Mater!
Quæ tantam ſacro lactabit ab ubere prolem.

ERYTHRÆÆ.

Hæc non tantùm in ſancto Incarnationis myſterio, ſed & in cæteris quæ ad Religionem Chriſtianam attinent, explicandis, habetur illuſtrior. Sic ait,

Cerno Dei Natum, qui ſe demiſit ab alto,
Ultima fœlices referent cùm tempora Soles,
Hebræâ quem Virgo feret de ſtirpe, decora
In terris: multùm teneris paſſurus ab annis,
Magnus erit tamen hic divino carmine Vates,
Virgine Matre ſatus, prudenti pectore verax.

Memorat autem Auguſtinus, hanc Sibyllam Erythræam, carmina græcè ſcripſiſſe de Chriſto, quorum literæ initiales, hæc verba conficiunt. Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ υἱὸς, σωτήρ, id eſt, *Ieſus Chriſtus*, *Dei Filius*, *Salvator*; quæ ibidem in commentario referuntur ex Euſebio, à Ludovico Vives. Auguſt. lib. 18. de civit. c. 23.

Baron. ad ann. Ch. 780 num. 4.

Antiqua prædictio de Chriſto naſcituro.

Ad extremum, hîc attexo, quod tradit Zonaras, & refert Baronius ex Theophane, omnibus tam Latinis, quàm Græcis Hiſtoricis id aſſerentibus; videlicet, ſub Conſtantini IV. & Irenes imperio, in longis Thraciæ muris, quemdam hominem, fodiendo, arcam inveniſſe, in qua humanum cadaver jacebat; & quæ litteris agglutinatis hæc verba exprimebat. Χριστὸς μέλλει γεννᾶσθαι ἐκ παρθένου· πιστεύω εἰς αὐτόν· ἐπὶ δὲ Κονσταντίνου, καὶ Εἰρήνης τῶν Βασιλέων, πάλιν ἥλιε ὄψεις με, id eſt, *Chriſtus naſcetur ex Virgine; credo in eum. Verùm ſub Conſtantino & Irene Imperatoribus, ô Sol, iterùm me videbis.*

Ita placuit divinæ Providentiæ, paſſim etiam inter Gentiles, Divinitatem Chriſti venturi prodere. Sed de hoc argumento ſatis; ad cætera progrediamur.

DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI.

CAPUT SECUNDUM.

Secundum argumentum illius demonſtrativum.

PRODIGIA

Quæ in ejus Nativitate, Vita & Moert contigerunt.

NON eſt hîc ſermo de miraculis à Chriſto editis in vita; de iis enim fusè diſſeremus poſteà in argumento quarto: ſed de rebus miraculoſis ſeu Prodigiis, quæ ad ejus Divinitatem teſtificandam, divinitùs acciderunt; tum in ejus Nativitate, tum in Vita, tum denique in Paſſione & Morte. Hæc autem depromemus ex Auctoribus & Hiſtoricis fide dignis; quæ tametſi ſingula fortè non faciant plenam & indubitatam fidem; tamen ſimul conſiderata, & cum aliis motivis convincentibus juncta, plurimùm valent ad eam confirmandam. Illa breviter expediam.

SECTIO PRIMA.

De Prodigiis in Nativitate Chriſti.

QUod ſpectat ad prodigia & res miras, quibus Nativitas Chriſti demonſtrata eſt, quædam il-

Digitized by Google

lam aliquo brevi tempore antecedunt; quædam illam comitantur, aut poſt ſubſequuntur.

Baron. in App. n. 12. Ut à primis ordiamur; ante adventum Chriſti Domini rumor paſſim increbuerat, non tantùm in Judæa, ſed etiam Romæ, brevì novum Regem adventurum, qui toti mundo ſalus eſſet. Ipſe Cicero recitat vaticinium Sibyllinum de Rege venturo, ejuſque interpretationem, quòd aliter homines ſalvi eſſe non poſſent, niſi eundem Regem exciperent. Ac licet ille Reipublicæ ſtudioſiſſimus, iſtud ut inventum humanum, ad Rempublicam invadendam deteſtetur: tamen ex iiſdem carminibus. ipſa adeſſe tempora declarat, & multorum ore id jactari ſolitum.

Cicero lib. 2. de Divin. n. 110. 111.

Rumor ſparſus de novo Rege in mundũ vẽturo.

Luc. Flor. l. 4. c. 1. Virgil. Eclog. 4

Ideò Lentulus ex iiſdem Sibyllinis carminibus regnum ſibi adſciſcere conatus, Catilinæ ſe junxit. Eodemque prætextu M. Antonius in Lupercalibus, Cæſari coronam Regis impoſuit. Virgilius item myſteriorum neſcius, quæ de Chriſto ex Virgine naſcituro prædicta erant, per adulationem tribuit Salonio, filio Pollionis. Et quod de Chriſto antiquitùs prænuntiatum fuerat, ex Judæa venturum Regem, qui Orbi & Urbi dominaretur, Scriptores rerum divinarum ignari Veſpaſiano Auguſto tribuerunt; quòd Judæos domuiſſet, & ex Judæa in Urbem unà cum Tito veniſſet.

Ioſeph. l. 7. de bello Iud. c. 12. Sueton in Veſpaſ. 4. Tacit. l. 5. hiſt. Sueton in Octavian. 94. Et Dio lib. 37.

Ad quæ de Rege naſcituro, etiam ſpectant ea quæ memorat Suetonius; ante paucos menſes, quàm naſceretur Octavianus Auguſtus, prodigia Romæ facta publicè, quibus denuntiabatur, Regem populo Romano naturam parturire; indéque Senatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur. Illa autem prodigia ſpeciatim narrat Dio, anno ab Urbe conditâ 690. nimirùm in Capitolio multas ſtatuas de cœlo tactas, liquefactaſque fluxiſſe; dejectáque tum alia ſimulacra, tum Jovis; atque imaginem lupæ, cum Remo ac Romulo conſecratam cecidiſſe;

œdiſſe; literaſque in columnis, quibus leges erant inſcriptæ, confuſas atque obliteratas fuiſſe. Qualia & alia ejuſmodi Gentiles, quod divinæ diſpenſationis myſterium neſcirent; nimirùm Chriſtum Regem venturum, qui idololatriam peſſumdaret, ac novas leges præſcriberet, in alium quemvis ſenſum trahentes, interpretabantur.

prodigia Romæ, novum Regem, & Dominum venturũ præſagientia.

Aliud prodigium contigit Cæſari Auguſto, Nativitatem Chriſti expreſſiùs indicans. Cùm enim Imperator ille, plurimis rebus præclarè, feliciterque geſtis, ob gratitudinem, jam profectus Delphos ad oraculum Pythij Apollinis, ubi Dæmon oracula fundere conſueverat, adveniſſet; & ſacrificio oblato, omnium maximo, quod Hecatombe dicitur, quæſiſſet quiſnam poſt eum, eſſet Romanum Imperium adminiſtraturus: Dæmon mutus redditus, nihil reſpondit. Itaque altero ſacrificio exhibito, denuò rogavit; tum Dæmon fateri coactus eſt, ſibi impoſitum eſſe ſilentium à puero Hebræo, qui Deus exiſtens, cuncta pro arbitrio diſponeret, in hunc modum.

Prodigium oraculi Delphici, quod mutum efficitur

Me puer Hebræus, divos Deus ipſe gubernans,
Cedere Sede jubet, triſtemque redire ſub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

Quo reſponſo accepto Auguſtus Romam reverſus, Aram in Capitolio erexit, cum hac inſcriptione; *Ara primogeniti Dei*, qui putatur eſſe locus in Capitolio; (ut tradit Baronius in Apparatu ad Annales,) ubi nobiliſſimum Templum antiquitùs erat Jovis Capitolini. Eo verò proſtrato, ſucceſſit Baſilica Dei genitricis Mariæ, dicta ob eam cauſam (Ara cœli;) vel, (quod aiunt alij) quia S. Dei genitrix Maria, infantem in ulnis geſtans, ſublimis in aëre, eidem Auguſto ſe illic conſpiciendam præbuit.

Sudas verbo Auguſt. Cedrenus in comp. Niceph. l.1. c.17. Ara in Capitol. primogen Deo dicata.

Digitized by Google

Christo nato paſſim oracula cõticeſcũt. Nec tantùm Delphis; ſed etiam alibi paſſim, Chriſto nato, oracula conticuere. Id quod aliunde fieri non potuit, niſi ejus potentiâ, qui dæmonum imperium & idololatriam veniebat deturbare.

Plurima ſunt alia, quæ, cùm acciderint temporibus Auguſti, Scriptores rerum Romanarum, Imperatoris gratiâ contigiſſe prodiderunt. Quæ tamen Oroſius rerum Chriſtianarum nobilis Hiſtoricus, fuiſſe adventus Chriſti præſagia, & futurorum prænuntiata, rectè oſtendit. Nimirùm, cùm primùm Auguſtus Imperator, Caio Cæſare avunculo ſuo interfecto, ex Apollonia rediens, urbem ingrederetur, horâ circiter tertiâ, repentè ſereno cœlo, circulus ad ſpeciem cœleſtis Arcus, orbem Solis ambiit. Et anno ſequenti viſus eſt Sol, intra tres circulos effulgêre; quorum unum, corona ſpicarum ignita circumdaret. Ac primo anno Triumviratus, Lepido & Planco Coſſ. tres Soles viſi ſunt. Anno item tertio Imperij Auguſti Cæſaris, Romæ è taberna meritoria trans Tiberim, oleum è terra erupit, fluxitque toto die ſine intermiſſione. Alia multa profert Oroſius, quæ de Chriſto eſſe intelligenda, non ſine veriſimilitudine contendit.

Oroſius lib. 6. Hiſt c. 18 & ſequent.

Circulus luminoſus orbẽ ſolis ambit.

Tres circuli circa ſol ẽ.

Tres Soles viſi

Oleum è terra erũpens fluxit totã diẽ.

Illud autem eſt memorabile, quod cum aliis tradit Aloyſ. Lipomanus tom. 8. Templum videlicet, Æternitatis dictum, Romæ Chriſto naſcente, corruiſſe. Cùm enim Romani, in victorioſæ Antiquitatis memoriam, Templum ſingulari ſchemate ſtruere decreviſſent, ab omni ſuorum Deorum, ſeu Dæmoniorum multitudine ſciſcitati ſunt, ad quod tempus duraturum eſſet opus tam excellentis ſtructuræ. Reſponſum fuit; donec Virgo pareret. Illi oraculum de re impoſſibili interpretantes, Templi æterni nomen indidêre. Nocte autem, quâ de virginali Mariæ thalamo, Chriſtus in lucem editus eſt, totum illud ædificium, co-

Templũ Romæ, dictum æternitatis, Chriſto naſcente corruit.

Digitized by Google

lumnis & muris ſolidis innixum, ita collapſum eſt, & confractum, ut vix apparerent veſtigia ruinarum. Nolim tamen diſſimulare, Baronium ad annum Chriſti primum, huic prodigio fidem non habere, quamvis illud referant plerique Auctores graves; nec mihi in animo eſt, rem certam, de qua agimus, ejuſmodi incerta probatione ſtabilire.

Ingens prodigiũ Chriſtus ex Matre Virgine natus.

Eſt verò iſtud certum, inauditum hactenus, & longè maximum prodigium, quod Chriſtus in Virginis utero conceptus ſit ſine patre, ex Virgine Matre natus, Dei omnipotentiâ, defectum viri ſupplente, ut docent Evangeliſtæ, Luc. cap. 1. & 2. &c. Enimverò, ut rectè ait Sanctus Bernardus; *Deum hujuſmodi Nativitas decebat, quâ non niſi de Virgine naſceretur; & talis Virgini partus congruebat, ut non pareret, niſi Deum.* Et S. Auguſtinus, *Chriſtus*, inquit, *qui miraculorum potentiâ facere voluit, quod fecerunt Moyſes & Prophetæ, qui illum prænuntiarunt; etiam aliquid ſibi proprium facere debuit; naſci de Virgine, à mortuis ſuâ virtute reſurgere, & in cœlum aſcendere. Hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet, ignoro. Num homine aſſumpto, alium mundum facere debuit; ut eum eſſe crederemus, per quem factus eſt mundus: ſed nec major mundus, nec iſti æqualis in hoc mundo fieri poſſet. Si autem minorem faceret mundum, ſimiliter hoc quaſi parum putaretur. Quia ergo non oportebat, ut novum faceret mundum, nova fecit in mundo. Homo enim de Virgine procreatus, & à mortuis in æternam vitam reſuſcitatus, & ſuper cœlos exaltatus, potentius fortaſſe opus eſt, quàm mundus.*

Bernar. homil. 2. ſuper, Miſſus eſt.

Auguſt. 3. ad Voluſianũ.

Deum decebat naſci ex Virgine.

Quàm mirabilis ſit hæc Chriſti conceptio, præclarè explicat idem S. Doctor in hæc verba; *Filius Dei, idemque Filius hominis, Dominus noſter Ieſus-Chriſtus, ſine matre de Patre natus creavit omnem diem; ſine*

Auguſt. ſerm. 8 in natali Domini.

Digitized by Google

Mirabilis Christi nativitas ex Virgine. Iſai. 53.

patre, de matre natus, conſecravit hunc diem. Divinâ Nativitate inviſibilis, humanâ viſibilis, utrâque mirabilis. Proinde quod de illo Propheta prædixit; Generationem ejus quis enarrabit? de qua potiùs dictum ſit, judicare difficile eſt: utrùm de illa, ubi nunquam, (i. nullo tempore) natus coæternum habet Patrem; an de iſta, ubi aliquando natus, in qua ut fieret, jam fecerat Matrem: utrùm de illa, ubi ſemper natus eſt, qui ſemper erat? Quis enim enarrabit, quomodo natum ſit lumen de lumine, & unum lumen, utrùmque ſit: quomodo natus ſit de Deo, nec numerus Deorum creverit? Hanc ergo generationem quis enarrabit? Iſtam quoque ex Virgine generationem, quis enarrabit? Cujus conceptus in carne, non carnaliter factus; cujus ortus ex carne ubertatem nutrienti attulit, integritatem parienti non abſtulit. Quamlibet itaque earum, ſive utramque generationem ejus quis enarrabit? Hæc Auguſtinus.

Auguſt. ſerm. 9. in natali Domini.

Qui rem illam pergens admirari, ait; *Qui natus eſt primò ſine matre in cœlis, hodie natus eſt ſine patre in terris. O miracula! ô prodigia, fratres chariſſimi, naturæ jura mutantur in homine. Deus naſcitur, Virgo ſine viro gravidatur, viri neſciam ſermo Dei maritat. Simul facta eſt Mater & Virgo; Mater facta, ſed incorrupta; Virgo habens Filium, neſciens virum; ſemper clauſa, ſed non infœcunda. Solus enim ſine peccato eſt natus, quem ſine virili complexu, non concupiſcentia carnis, ſed obedientia genuit mentis.*

Generatio Verbi ex Virg. lõgè ante fuit prænũtiata. Aug. l. 1. Epiſt. 2. ſelect.

Quam Verbi ex Virgine generationem, vidimus ſuprà, multis ante ſæculis fuiſſe à Prophetis prædictam. Non eſt quod cuipiam factum iſtud, quia inuſitatum, ideò incredibile videatur; nam, ut benè ait Auguſtinus, *Hîc ſi ratio quæritur, non erit mirabile ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare nos*

Digitized by Google

poſſe. In talibus rebus, tota ratio facti, eſt potentia facientis.

quæ eſt tertia ad Voluſ.

Porrò ſancta illa domus, in qua poſt ſalutationem Mariæ ab Angelo, Verbum eſt incarnatum, & peracta Chriſti conceptio in Nazareth, habitavitque Chriſtus cum ſanctiſſima Matre uſque ad annum ætatis trigeſimum, inſigni planè prodigio illuſtrata eſt. Quippe non tantùm poſt tot ſæcula, adhuc integra perſeverat; ſed etiam divino miraculo, ab Infidelium manibus vindicata eſt, & Angelorum miniſterio ex Palæſtina in Dalmatiam primùm, inde in Italiam tranſlata eſt in agrum Lauretanum Picenæ Provinciæ. Quod nobiliſſimum divinæ habitationis monumentum totus orbis Chriſtianus veneratur, ac ſingulari colit pietate. De qua miraculoſa Ædis Lauretanæ tranſlatione, & cultu, paſſim agunt Hiſtorici; inprimis Baronius in Apparatu ad Annales, n. 26. & in Annalibus, tempore proprio, quo illa contigit: Et Horatius Turſelinus in Hiſtoria Ædis Lauretanæ, de qua iterùm facienda nobis erit mentio infrà c. 4. ubi de miraculis perennibus.

Prodigia Domus Lauretanæ in qua Verbũ fuit incarnatum.

Ad nativitatem verò Chriſti, auditos eſſe cœleſtes Angelorum concentus, gloriam ejus decantantium; & Paſtorum adorationem factam, teſtantur Hiſtorici ſacri, Luc. 2. Matth. 2. &c.

Concentus Angelorũ, nativitatem Chriſti celebrãtium.

Adoratio paſtorũ.

Nec eſt hoc loco prætermittendum, quod tunc in ipſo eodem puerperio accidiſſe fertur miraculum; nimirùm quòd in ſpelunca in qua natus eſt Jeſus, è petra fons exortus eſt ad uſus quotidianos, qui permanſit diù, egregium divinæ virtutis monimentum. Siquidem adhuc Bedæ temporibus vigebat cunctis perſpicuum tantæ rei prodigium; quod ipſe à teſte, qui hæc viderat, ſanctiſſimo Epiſcopo acceptum, his verbis, ſcripto mandavit. *Hæc ſpelunca tota interiùs, ſpecioſo marmore tecta, ſupra ipſum locum,*

Fons exortus in ſpelũca, in qua natus eſt Chriſtus.

ubi Dominus, natus ſpecialiter traditur, ſancta Maria grandem geſtat Eccleſiam. Petra juxta murum cavata, primum Dominici corporis lavacrum, de muro miſſum ſuſcipiens, hactenus ſervat; qua ſi quâ fortè occaſione, vel induſtriâ fuerit exhauſta; nihilominùs continuò dum recipit, ſicut ante fuerat plena, redundat. Hæc ille.

Spelūca exornata, eſt chriſtianis ſingulari venerationi. Vix autem credi poteſt in quanta veneratione, & cultu Chriſtiani ſemper locum illum habuerunt. Ut quantumvis Adrianus Imperator, ad abolendam tantæ rei memoriam, (ut ſcribit Paulinus) Veneris & Adonidis Templum deſuper erexiſſet; nihilominùs percelebris eſſet, etiam apud Gentiles, tam auguſti loci memoria. Sed redditâ pace Eccleſiæ, ſpelunca illa mirifico fuit opere exornata; ipſumque præſepe, honoris causâ tectum argento. Bed. de locis ſanct. c.8,

Impoſitio nomini Ieſu, divinitus inſpirata. Pertinet quoque ad res mirabiles & inſolitas, quæ nativitatem Chriſti colluſtrant, divina impoſitio nominis Jeſu, quâ Chriſtus infans inſignitus eſt octavo die, cùm more Judæorum, in carne quam pro nobis aſſumpſerat, circumcideretur. Nomen non temerè aut caſu ab hominibus inditum, ſed cœlitùs ab Angelo, Matri & S. Joſepho prænuntiatum, priuſquàm in utero conciperetur, ut teſtantur Evangeliſtę. Quod, mundi Salvatorem, ſonat; veniebat quippe Chriſtus ut per ipſum omnes ſalvarentur. Nomen tantæ excellentiæ & dignitatis, ut à Scriptura dicatur eſſe nomen ſuper omne nomen; tantæ venerationis & majeſtatis, ut in eo dicatur flecti omne genu, cœleſtium, terreſtrium & inferorum. Multis quidem nominibus eximiis olim inſignitus fuerat Meſſias venturus, de quo inquit Iſaias, Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis: ſed illi nato, ſervabatur nomen, quod illa omnia comprehendit, & quod eſt ſuper omne nomen,

Luc. 2 v. 21.

Ad Philipp. 2 v. 9.

Iſaiæ 9.

S. Bern ſerm. de Circūci-

quodnam illud eſt? Nomen Jeſu, inquit S. Bernardus. ſione.

Magnam verò ſui admirationem fecit, ſtellæ fulgentis, & planè extraordinariæ apparitio; cujus ductu, tres Reges ad ejus aſpectum divinitùs inſpirati, & moniti de nativitate novi Regis divini, ad hunc adorandum cum muneribus Regi, homini, & Deo congruentibus advenerunt, tanquam primitiæ Gentium.

Stellæ inuſitata apparitio, Reges ad Chriſtũ adorandumducentis.

Illos Matthæus Magos nominat, i. Aſtrologos, à ſcientia ſiderum, in Oriente familiari. Reges item fuiſſe, habetur non modò ex communi Fidelium traditione: ſed etiam ex multorum Patrum ſenſu, ut teſtatur Baronius ad annum Chriſti primum, num. 5. nimirùm ut ipſe ait, juxta vulgarem Scripturæ acceptionem, quæ unius aut alterius oppidi Dominum, Regem conſuevit appellare.

Baron. ad ann. Ch 1. n. 5.

Quamvis autem de loco unde profecti ſunt, diſſentiant Auctores: tamen magis recepta & probabilior cenſetur ea, quæ affirmat illos, non è terra Chaldæorum, neque ex Perſide, ſed ex Arabia veniſſe, juxta vaticinium Davidis Pſal. 71. *Reges Arabum & Saba, dona adducent.* Id quod de Meſſia eſſe intelligendum, tam noſtri Interpretes, quàm etiam Rabbini complures æquè aſſentiuntur. Cui opinioni ſuffragantur & illa verba; *Dromedarij Madian & Epha, omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, &c.*

Qua ex regione venerint Magi ad Chriſtũ adorandum.

Pſalm.

Conſtat enim ex Scriptura divina, Abraham ex Cætura multos genuiſſe filios, & inter alios Jexan & Madian; ex Jexan verò ortum eſſe Saba; & ex Madian, Epha; qui omnes Arabiam incoluerunt, atque ex ipſorum nominibus loca ipſa ſortita ſunt nomen; & populi denominati Sabæi & Madianitæ. Rurſus etiam Balaam, qui de ſtella vaticinatus fuerat, licet ipſe ex Meſopotamia oriundus eſſet, Ha-

Gen. 25.

Num. 24.

Digitized by Google

Baron. ad ann. Ch. 1. n. 4. ram incolens; tamen conſtat, in Arabia vaticinium feciſſe. Sicque ſive ſcripturam, ſive traditionem de ſtella & Rege futuris, penes Arabes (quibus prænuntiata fuerat,) perpetuâ memoriâ viguiſſe, par eſt credere, inquit Baronius. Quibus admoniti Magi, & novæ ſtellæ viſu non ſolùm excitati, ſed etiam directi, ſalutaturi Regem Judæorum, in Judæam venerunt.

Stella magnũ prodigiũ Magnum ſanè & ſtupendum fuit prodigium, ſtellam novam, ad ortum infantis recèns nati prædicandum, in cœlo omnibus conſpicuam apparere, fulgore aliis ſtellis præcellentem, ita ut etiam de die clarè luceret; motu inſolito, ex Arabia in Judæam tendente, & poſt divini pueri manifeſtationem, diſparentem, ut oſtenderetur ad hoc duntaxat officium deſtinatam fuiſſe.

Nec minus, adventus & adoratio Regum. Quid verò magis inauditum, quàm tres Reges, ſuis ditionibus relictis, longo itinere, nihil ſibi timentes ab Herodis Regis non incognitâ crudelitate, Hieroſolymam adventare, ad inquirendum de novo Rege in lucem edito; & eoſdem à Judæis inſtructos, ad ſtabulum, aut vilem caſam, ſtellâ demonſtrante accedere? Advolvi ad pedes infantis, in quo nihil regium, nihil magnificum, imò nihil non abjectum apparebat?

Hoc eſt quod vehementer & piè miratur Sanctus Bernardus, dum his verbis ſapientes illos Magos affatur. *Quid facitis, ô Magi, quid facitis? Lactentem puerum adoratis, in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergòne Deus eſt iſte? (Deus in cœlo ſedes ejus.) & vos quæritis in vili ſtabulo, in Matris gremio. Quid facitis, quòd & aurum offertis? Ergo Rex eſt ipſe? Et ubi aula Regia? ubi thronus? ubi curia Regalis frequentia? Numquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, curia frequentia, Joſeph &*

S. Bern. ſerm. 1. in Epiphania.

Maria? Quomodò ita inſipientes facti ſunt viri ſapientes, ut adorent parvulum deſpicabilem, tam ſuâ ætate, quàm paupertate ſuorum? Inſipientes facti ſunt, ut fierent ſapientes, & prædocuit ſpiritus, quod poſteà prædicavit Apoſtolus; Qui vult ſapiens eſſe, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Quia enim mundus in ſapientiâ ſuâ, Deum cognoſcere non poterat, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis, ſalvos facere credentes. Nonne timendum erat, fratres, ne ſcandalizarentur viri iſti; & illuſos ſe crederent, cùm tanta indigna viderent? A regiâ civitate, ubi Regem quærendum conjectabant, ad Bethleem, villam parvulam diriguntur; ingrediuntur ſtabulum, inveniunt involutum pannis infantulum. Non illis ſordet ſtabulum, non pannis offenduntur, non ſcandalizantur lactentis infantiâ; procidunt, venerantur ut Regem, adorant ut Deum. Sed profectò qui illos adduxit, & ipſe inſtruxit; & qui per ſtellam foris admonuit, ipſe in occulto cordis edocuit. Hactenùs ſanctus Bernardus.

1. Cor. 3.

Cujus admirationi, longè antè præluſerat Auguſtinus, Serm. 7. de Epiphaniâ, ubi ſic loquitur; *Magi ab Oriente ad Chriſtum adorandum venerunt, in quo adorando ſalutem, quæ ſecundùm Deum eſt, ſe conſecuturos, minimè dubitabant. Neque enim ætas erat, cui adulatio humana ſerviret. Non ſub poplite ſella regalis; non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat; non pompa famulantium, non terror exercitus, non glorioſorum fama præliorum, hos ad eum viros ex remotis terris, cum tanto voto ſupplicationis attraxerat. Iacebat in præſepe puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate: ſed magnum aliquid latebat in parvo, quod illi, primitiæ Gentium, cœlo narrante didicerant; & quod intuendo non*

videbant, promereri adorando, cupiebant.

Serm. 7. in Epiphania. *Deteſtanda ergo, (inquit idem Doctor) Regis Herodis inſania: ſed magis miranda Iudæorum ſtultitia; propter quos judicandos, diſpoſitione divinâ, ſe à conſpectu Magorum Chriſtum quærentium, parumper illa ſtella ſubtraxit. Apparuit namque, ut locum, in quo puer erat, demonſtraret. Poterat utique index etiam civitatis exiſtere: ſed quod in Bethleem Iudæ, Chriſtus naſceretur, de libris ſanctis interrogati Iudæi proferre debuerant; parati ad legendum, cæci ad credendum.* Et alibi: *Magnum, inquit, ſacramentum; in præſepio tunc jacebat, & Magos ab Oriente ducebat; abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cœlo; ut agnitus in cœlo, manifeſtaretur in ſtabulo, & appellaretur Epiphania, dies iſte, quod latinè manifeſtatio dici poteſt, ſimul ejus celſitudinem, humilitatemque commendans: ut qui in aperto cœlo, ſignis ſidereis monſtrabatur, in anguſto diverſorio quæſitus inveniretur; invalidus infantilibus membris, involutus infantilibus pannis, adoraretur à Magis, timeretur à malis. Timuit enim Rex Herodes, eiſdem Magis nuntiantibus, cùm adhuc quærerent parvulum, quem agnoverant cœlo teſte, jam natum. Quid erit tribunal judicantis, quando ſuperbos Reges cunabula terrebant infantis? Piè timeant Reges ad Patris jam dexteram, ſedentem, quem Rex impiè timuit, adhuc matris ubera lambentem. Audiant quod ſcriptum* Serm. 2. de Epiphania.

Pſal. 2. *eſt, Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram; ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, &c.*

Et infrà pergit; *Cùm tam multi jam nati, atque defuncti eſſent Reges Iudæorum, nunquid quenquam eorum adorandum Magi quæſierunt? Quia nec quenquam eorum, cœlo loquente didicerant. Hæc porrò Magorum illuminatio, magnum teſtimonium extitit cæci-*

Digitized by Google

tatis Iudæorum; in terra eorum iſti requirebant, quod illi in ſuâ non agnoſcebant. Apud eos iſti infantem invenerunt, quem illi apud ſe negaverunt. Iſti in membris parvis Deum adoraverunt; illi in magnis factis nec tanquam homini pepercerunt: quaſi plus fuerit videre novam ſtellam, in ejus nativitate fulgentem, quàm ſolem in ejus morte lugentem.

Quam in rem rectè item S. Fulgentius hæc ſcribit, (*Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?*) *de Herode Rege Iudæorum, filij jam fuerant nati; Archelaus natus eſt in Palatio, Chriſtus in diverſorio; Archelaus natus, eſt in lecto argenteo poſitus: Chriſtus autem natus, in breviſſimo eſt præſepio collocatus: Et tamen ille natus in Palatio contemnitur; iſte natus in præſepio quæritur: Ille à Magis nullatenus nominatur; iſte inventus ſuppliciter adoratur. Quis eſt iſte Rex Iudæorum? pauper & dives; humilis & ſublimis. Quis eſt iſte Rex Iudæorum? qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus; parvus in præſepio, immenſus in cœlo; vilis in pannis, pretioſus in ſtellis, &c.* S. Fulgent. Ser. 5. de Epiphaniâ, ſub initium.

Atque ut multa paucis comprehendam, miraculoſa Nativitatis & Divinitatis Chriſti teſtimonia ſubtexo, quæ præclarè in unum congeſſit S. Auguſtinus Serm. 1. in feſto Nativitatis Chriſti. *Salvator noſter, inquit, natus eſt de Patre ſine die, per quem factus eſt omnis dies. Voluit in terrâ habere hunc natalem diem, quem hodiè celebramus. Adhuc mirare; quæ peperit, & mater & Virgo eſt; quem peperit, & infans & Verbum eſt. Meritò cœli locuti ſunt, Angeli gratulati, Paſtores lætati, Magi proſtrati, Reges turbati, parvuli coronati. Lacta, mater, eum qui talem fecit te, ut ipſe fieret in te; qui tibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus Virginitatis non abſtulit natus; qui ſibi, priuſquàm naſceretur, & uterum de quo naſceretur, & diem, quo naſceretur elegit. Propheta ceci-*

Res ſupra modum prodigioſa, Deus in terrâ naſcens ex Virgine.

Prodigia accumulata in Nativitate Chriſti.

Digitized by Google

nerunt Conditorem cœli & terræ cum hominibus futurum: Angelus annuntiavit Creatorem carnis & ſpiritus, in carne venturum. Salutavit Ioannes ex utero, in utero Salvatorem: Simeon ſenex agnovit Deum infantem; Anna vidua Virginem Matrem. Hæc ſunt teſtimonia Nativitatis tuæ, Domine JESU; *antequàm tibi fluctus ſubſternerentur calcanti, cederent imperanti; antequàm ventus te jubente ſiluiſſet, mortuus te vocante vixiſſet; Sol te moriente palluiſſet, terra te reſurgente tremiſſet; cœlum te aſcendente patuiſſet; antequam iſta & alia mirabilia in juvenili corporis ætate feciſſes. Adhuc in manibus matris portabaris; & jam Dominus Orbis agnoſcebaris.* Hæc Auguſtinus.

SECTIO SECUNDA.

De Prodigiis in vita Chriſti.

EX hic ſignis in Nativitate Chriſti coruſcantibus, jam ejus Divinitas mirum in modum ſplendeſcit: Quid dicam de iis quæ vitam ejus planè mirabilem, & divinam probavêre. Non aggredior autem hîc agere, ut jam monui, de miraculis innumeris, quæ paſſim in Judæâ Chriſtus ab initio ſuæ prædicationis, in confirmationem ſuæ Divinitatis edidit, inambulando ſuper aquas, ſanando omnis generis ægrotos, cæcis viſum reſtituendo, mortuos ſuſcitando &c. de iis enim ſuus erit poſteà diſſerendi locus: Nunc duntaxat exponimus, quæ ipſi, vel circa ipſum, ſupra humanam conditionem, ad ejus gloriam manifeſtandam divinitùs contigerunt.

Et quidem quandò placuit illi, ad eruditionem infirmitatis humanæ, non potentiâ, ſed fugâ in Ægyptum, declinare crudelitatem Herodis: id cœleſti nuntio ad Joſephum miſſo, peractum eſt, ut nar-

Digitized by Google

rant Evangeliſtæ. Nimirum Angelus ad eum veniens, admonuit in ſomno, de pravâ Herodis voluntate, & puero quantociùs in Ægyptum deportando; *Surge*, (*inquit*, *Matth.* 2. *v.* 13.) *& accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum.* Eo igitur ſine morâ perrexêre, iniquo interim Rege in omnes Judææ infantes, circa Bethleemiticam regionem, ad necem ſæviente. Neque indè redierunt priuſquàm idem Angelus iis obitum Tyranni ſignificaret. Per quod adimpletum eſt, (ut obſervat Matthæus) quod dictum fuerat à Domino per Prophetam, dicentem; *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

Angelus S. Ioſephū monet. de Chriſto in Ægyptum transportando.

Oſeæ 11.

Narrant verò Sozomenus 5. Hiſt. 21. Nicephorus lib. 10. c. 31. & ex iis refert Baronius ad annum primum Chriſti, dum Chriſtus deportaretur in Ægyptum, in ejus adventu Hermopolim, quod eſt oppidum Thebaïdos, maximam arborem, quæ illîc erat, Perſeam dictam, quam incolæ venerabantur, ſuâ ſponte ad ſolum uſque, ſe ad Chriſtum adorandum inflexiſſe; ejuſque poſteà fructus, & folia, atque etiam corticis particulas, ægris admotas, morbos conſueviſſe depellere. Addit Sozomenus, adveniente Chriſto in Ægyptum, omnia Dæmonum ſimulacra, juxta Prophetiam Iſaiæ c. 19. v. 1. concuſſa eſſe atque collapſa. Quod & longè ante ipſum teſtati ſunt Origenes, Euſebius, Athanaſius, & alij plures ſanctorum Patrum, quos citat Baronius ad an. 1. Chriſti, n. 10. Qui addit, iſta ſibi videri ſic accipienda, non ut cuncta, quæ tunc erant in Ægypto ſimulacra corruerint, ſed de his aliqua; nec tam in ſignum, quòd Chriſtus illuc adveniſſet, quàm quòd Idololatriam penitùs eſſet everſurus.

Arbor ſe ad Chriſti pedes inflectit.

Curatrix morborum effecta.

Ad Chriſti adventum in Ægyptum omnia dæmonum ſimula-

Tradit verò S. Epiphanius, in vita Jeremiæ Pro-

Digitized by Google

erant corruunt. phetæ, prope finem operum, hunc Prophetam, cùm olim unà cum Judæis apud Ægyptios exularet, eorum ſacerdotibus prædixiſſe demolitionem ſimulacrorum, quæ ipſi tam vanè pro diis colerent, in hæc verba; *Oportet aliquandò cuncta veſtra ſimulacra concidere; & omnia quæ colitis, manufacta præcipitari; nimirùm quando Ægyptum aſcendet, cum ſuo infante, Virgo enixa, Deo ſimilis.* Cui vaticinio tantùm Ægyptii tribuerunt, ut ſolemnem induxerint morem, Virginem quandam in lecto, & infantem in præſepio paſſim collocandi, ſimulque admirandi; unde rogati à quodam poſteà Rege, quid ſibi vellet hic ritus, quo Virginem & infantem publicè proponerent, ac venerarentur; reſponderunt, hoc eſſe myſterium, quod ipſorum majores à ſancto Prophetâ traditum jam pridem accepiſſent.

Vaticinatio Ieremiæ, de illorum demolitione.

Porrò non modò Ægyptum, Domini præſentiâ illuſtratam; ſed & ipſam, per quam tranſivit, Thebaïdos ſolitudinem, ex ejuſdem Iſaiæ Prophetiâ ſanctificatam tradunt; quæ tunc quodammodò ſemen benedictionis ſuſcipiens, poſteà ſuo tempore tot ſanctorum Monachorum ſacra produxit germina. Sed & locum in quo habitaſſe fertur Deipara Virgo, & fontem ipſum ubi ſæpiùs Chriſtum laviſſe, & ejus panniculos abluiſſe dicitur; ita ut ab ipſiſmet Saracenis in magnâ veneratione haberetur.

Iſaiæ c. 35. v. 1. &c.

Thebaïdos ſolitudo, per adventum Chriſti, ſanctificata.

Poſt reditum Chriſti ex Ægypto, uſque ad ejus prædicationem, quam inchoavit anno ætatis trigeſimo completo, pauca omnino de ejus vitâ nobis tradiderunt Evangeliſtæ; videlicet ejus inter Doctores præſentiam in Templo; & ſubjectionem quam parentibus exhibuit domi; reliqua meditationi noſtræ relinquendo. De primo ſic loquitur S. Lucas cap. 2. v. 46. *Et factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in Templo, ſedentem in medio Doctorum, audientem il-*

Burc in deſcriptione Terræ ſanctæ, part. 2. c. 4.

Digitized by Google

los, & interrogantem eos: Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentiâ & reſponſis ejus; & videntes admirati ſunt. De ſecundo ſubdit, *& deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.*

Cornel. Ianſen. Concord. Evang. cap. 11.

Hæc autem duo, quamvis primo aſpectu non præ ſe ferant aliquid illuſtre & inuſitatum: tamen reipsâ ſi cum ſuis circunſtantiis ſpectentur, meritò poſſunt inter alia prodigia reputari. Nam quòd Chriſtus 12. tantùm annorum viſus ſit inter Doctores ſedere, illos pro ſuâ ætate modeſtè interrogans de Scripturæ difficultatibus ac myſteriis; reſpondenſque ad interrogata cum tantâ prudentiâ, ut omnes ſtupefacti mirarentur: Hoc enimverò prorſùs dignum eſt admiratione; ſive conſideretur in ætate illâ juvenili (in quâ homines judicio & ſcientiis deſtituti ſunt;) ſapientia & prudentia in interrogationibus ac reſponſis; ſive quòd, (ut Judæis notum erat) nunquàm ſcholam frequentaſſet, nec literas ab ullo Magiſtro didiciſſet. Illud ipſum eſt quòd Judæi eum de rebus divinis mira dicentem, *mirabantur,* (*ut teſtatur Ioannes,*) *dicentes; Quomodò hic literas ſcit, cùm non didicerit?*

Chriſtus inter Doctores.

Et Mat. 7. 28. Marc. 1. 22. Ioan. 7. 15.

Chriſtus doctus ſine doctore.

Ioan. c. 7. v. 15.

Alterum quod ſubjunxit Matthæus, de reliquâ vitâ Chriſti uſque ad annum trigeſimum, *& erat ſubditus illis; & Ieſus proficiebat ſapientiâ & gratiâ apud Deum & homines*: adhuc ſuperiori longè mirabilius eſt. His enim verbis ſignificatur, toto illo tempore in domo maternâ delituiſſe, duxiſſe vitam ab omni hominum commercio ſejunctam, Divinæ contemplationi ſemper intentam; ſeorſim à negotiorum mundanorum ſtrepitu: ab ambitione omnis honoris, & amicitiæ Magnatum; à voluptatum & divitiarum terrenarum proſecutione alienam. Id quod tantò dignius eſt admiratione, quòd omnes homines naturaliter non tantùm ſcire, ſed etiam ſciri appetunt;

Vita Chriſti abſcondita, mirabilis.

Digitized by Google

præſertim cùm ingenio, ſcientiâ, gratiâ corporis, & aliis donis excellunt. Chriſtus autem iſtis omnibus perfectionibus ſupra modum eminebat; & in ſe omnes tum humanæ, tum Divinæ ſapientiæ theſauros recondebat. Et tamen tot annos ad noſtram inſtructionem abſcondi, ignorari, neſciri voluit. O rem, ſuprà quam dici poteſt, ſtupendam, & ab humano ſenſu planè abhorrentem!

Sanctus Bernardus iſtius ſolitudinis prodigium admirans, Chriſtum piè in hunc modum compellat; *Diu tacuiſti Domine, & valdè diù: Quamdiù virtus Dei, & ſapientia, quaſi infirmus aliquis, & inſipiens lates in populo? Quamdiù Rex cœli, fabri te filium pateris appellari? Etenim Lucas Evangeliſta teſtatur, quoniam filius Ioſeph adhuc putabatur. O humilitas virtus Chriſti, quantùm confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis? Parum aliquid ſcio, vel magis mihi ſcire videor, & jam ſilere non poſſum; imprudenter me, & impudenter ingerens, & oſtentans; promptus ad loquendum, velox ad audiendum, Et Chriſtus cùm tanto tempore ſilebat, cùm ſeipſum abſcondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui eſt vera gloria Patris? Vtique timebat, ſed non ſibi. Nobis timebat ab illâ, quibus noverat eſſe timendum; nobis cavebat, nos inſtruebat. Tacebat ore, ſed inſtruebat opere; & quod poſtea docuit verbo, jam clamabat exemplo; Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.*

Serm. 1. de Epiphania Domini.

Luc 3.

Matth. 11.

Cùm autem Chriſtus annum ætatis trigeſimum exegiſſet, & omnis populus paſſim ad Joannem prædicantem, atque baptizantem confluerent; acceſſit etiam Jeſus à Galilææ, ubi cum parentibus hactenùs commoratus fuerat, ad Jordanis locum ubi Joannes id muneris præſtabat; volens & ipſe ab eo baptizari, tanquam unus de vulgo; tum ut per hoc

Chriſtus ad Ioã-

Digitized by Google

hoc, ſervi prædicationem, & baptiſmum approbaret; tum ut humilitatis formam nobis traderet, priùs in ſe ſuſcipiendo, quod poſteà erat ab aliis exacturus; tum ut per ſuſceptionem baptiſmi corporalis, homines diſponeret ad ſpiritualem, quem erat inſtituturus. *nis baptiſmum acced. t.*

Joannes vero, qui eum jam in utero materno cognoverat, nondùm tamen de facie noverat; eò quod Chriſtus in Nazareth & in Ægypto; Joannes autem in ſolitudine vitam tranſegiſſet; tunc ut præſentem aſpexit, divino afflatu cognovit, illum ipſum eſſe, quem natum ſciebat; quem poſt ſe venturum, & in ſpiritu & igne (Charitatis) baptizaturum prædicaverat. Sicut olim Samuel, ut ait Rupertus, certò ſciebat, inter filios Iſaï, unum eſſe qui in Regem ungendus erat; cùm tamen neminem eorum de facie cognoviſſet, & ſimul atque Davidem vidit, Deo inſpirante, eum eſſe intellexit. *Ioannes eum, divino lumine afflatus, agnoſcit.* 1. Reg. 16. v. 12.

Ex quo benè percipitur, quo ſenſu Joannes dicat, *& ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare, ille mihi dixit; ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum; ille eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto & igni.* Igitur Joannes Dominum ſuum agnoſcens, præ humilitate, & Chriſti reverentiâ, ſtatim excuſavit ſe, ſignificavitque id non convenire, cum ipſe ſervus eſſet & peccator; Chriſtus autem, dominus & omninò mundus, qui proinde baptiſmo non indigeret. *Ioannes prohibebat eum, inquit Evangeliſta, dicens; Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me. Chriſtus autem reſpondens dixit ei; ſine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Id eſt, non tantùm ea quæ præcepta ſunt, ſed etiam quæ honeſta, & ſanctitati conſentanea. Quibus auditis Joannes acquievit, & Chriſtum, aliorum more baptizavit. Ioan. 1. 33. *Ioannes detrectat Chriſtum baptizare.* Matth. 3. v. 14. Marc. 1. 11. Luc 3. 22.

Sed ubi hîc prodigia? ubi indicia Divinitatis

Digitized by Google

Chriſti? Ecce; ſubdunt enim Evangeliſtæ, quòd ſtatim atque Chriſtus aſcendit ex aquâ in ripam; *aperti ſunt cœli, (id eſt, viſi ſunt quaſi aperti) & vidit Spiritum Dei deſcendentem, ſicut columbam, & venientem ſuper ipſum; & ecce vox de cœlo, dicens; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Spiritus Sanctus in Chr. viſibiliter deſcendit.

Spiritus Sanctus ſub formâ columbæ, ſupra Chriſtum recèns baptizatum deſcendit, ut communiter Patres interpretantur. Quo nimirùm implerentur prophetiæ, quibus dictum erat, Iſaiæ c. 11. v. 1. 2. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectûs.* Et cap. 42. v. 1. *dedi ſuper eum, Spiritum meum; judicium gentibus proferet.* Et cap. 61. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit me, &c.* Columba Spiritum Sanctum hoc loco repræſentans, gratiam Chriſto abundanter infuſam, manſuetudinemque ſignificat; amorem quoque Patris in Chriſtum declarabat; cui exprimendo vox ſimul eſt audita; *Hic eſt filius meus dilectus.* Per quam vocem, voluit Pater populis adſtantibus notum facere, non tantùm, ipſum eſſe filium ſuum naturalem: ſed etiam cur eum mitteret, ut libentiùs à populis reciperetur. Et certè Columbæ ſpecies, res erat muta, quæ plura poterat ſignificare; ideò vox addita eſt, quæ ſymbolum declararet. *Sicut accedit verbum ad elementum, (inquit Auguſtinus,) & fit ſacramentum.* Quia quod elementis obſcurè, id apertè verbis ſignificatur.

Tract. 80. in Ioan.

Hinc S. Hilarius can. 2. *Filius Dei, inquit, auditu conſpectuque monſtratur; plebique infidæ, & Prophetis inobedienti, teſtimonium de Domino ſuo mittitur, & contemplationis & vocis. Fide dignus eſt teſtis, qui & audivit & vidit.*

Digitized by Google

Habes itaque in unâ actione, multa prodigia; cœlos viſibiliter apertos; Columbam, id eſt Spiritum Sanctum, ſub illius ſpecie, ſuper Chriſtum deſcendentem; vocem divinitùs formatam ad Chriſti Divinitatem declarandam; & quod omnibus prodigiis majus eſt, Chriſtum Filium Dei, ſub Joanne baptizante humiliatum.

Innumeri ex Judæis à Joanne baptizati ſunt, in quonam quæſo illorum, præter quàm in Chriſto, ſigna illa & portenta contigerunt? in nullo unquàm. Quis igitur vel ex iſtis, Chriſtum non agnoſcat Deum?

Aqua fluminis in quâ Chriſti baptizatus eſt, effecta eſt miraculoſa.

Porrò locum ipſum fluminis, quo Dominus voluit baptizari, remanſiſſe apud poſteros, egregiis monumentis, & virtute miraculorum celebrem, atque in primis leproſorum curatione; ut habemus ex fideli eorum relatione qui illuc peregrinati ſunt; ſcribunt Gregorius Turonenſis de gloriâ Martyr. cap. 17. & Beda de locis ſanctis, cap. 13.

Matth. 4. v. 1. Marc. 1. 12.

Statim à baptiſmo, Jeſus, impulſu Spiritus Sancti in deſertum conceſſit, vacaturus orationi; ut nos ſuo exemplo doceret, mundum per ejus contemptum egredi, & in ſolitudinem mentis interdùm ſecedere; præſertim quando de vitæ rationibus deliberare, aut rem quampiam gravem aggredi volumus. Memorant autem ſcriptores Evangelici, eum ibi per 40. dies integros & continuos, ſine ullo cibo vel potu jejunaſſe, & poſt illos tranſactos, cùm cœpiſſet eſurire, locum dediſſe Diabolo, ipſum per triplicem tentationem invadendi; nobis ſcilicet exemplum præbens, fortiter contra hoſtem dimicandi, & ejus ſuggeſtionibus reſiſtendi. Quo debellato ſignificat ſcriptura, *Angelos ad ipſum acceſſiſſe, & ipſi miniſtraſſe*, utique cibos ad famem ſedandam, corpuſque reſi-

Jejunium Chriſti per 40. dies, miraculoſum.

Angeli poſt jejunium

Digitized by Google

ipſi miniſtrāt. ciendum; aliaque opportuna humanitatis obſequia exhibentes.

Quâ in re duo ſunt humano majora, quæ Divinitatem Chriſti denotant. 1°. Jejunium illud 40. dierum ſine ullo cibo, quod certè non potuit eſſe naturale, nec ſecundùm vires ordinarias; repugnat autem eximiæ Chriſti ſanctitati, de quâ dicemus infrà, argumento tertio & quarto, illud aſcribere Dæmoni: ac proinde conſtat non aliter factum eſſe, quàm Divinâ virtute, fragilitatem humanam ſuſtentante. 2°. Obſequium Angelorum Chriſto præſtitum.

Notatu quoque dignum eſt, quod Baronius ex occaſione Baptiſmi Chriſti ſubjungit de ejus imagine ad Abagarum miſsâ; quamvis fortè non multò ante Paſſionem id contigerit. Cùm enim, ut ſcribit Matthæus, Chriſtus totam circuiret Galilæam, prædicans Evangelium, & ſanans omnes ægrorum, qui undique accurrebant, infirmitates; factum eſt, ut ejus fama in omnem Syriam abierit. Quâ famâ permotus Abgarus, ſive Abagarus Rex Edeſſæ, civitatis Syriæ, ad eum, (ut tradunt multi) ſcripſit Epiſtolam, quâ illum Edeſſam invitaret, tum ad fugiendos inſultus Judæorum; tum ut ipſum Abgarum à morbo quo vexabatur liberaret. Cui reſcripſit Dominus, laudans eum de fide, ſe verò excuſans, quòd iis, ad quæ miſſus erat, occupatus, à Judæâ recedere non poſſet; cæterùm miſſurum ſe poſt ſuam Aſcenſionem, unum ex Diſcipulis ſuis, qui ei ſanitatem reſtitueret, & vitam impertiret. Quas epiſtolas è tabulis publicis Edeſſenæ civitatis deſcriptas, atque è Syriacâ linguâ, in Græcam translatas, hiſtoriæ ſuæ Euſebius intexuit.

[Margin: Ad an. Chriſti 31. n. 22. — Matth 4. v. 23. 24. — *Reſponſio Chr. ad Abgari Regis Epiſtolam.* — Euſeb. 1. Hiſt. 13.]

Porrò tradunt graviſſimi Auctores, Chriſtum, poſt datam Epiſtolam, ſui imaginem non manufactam,

linteo ad faciem admoto, ad eundem Abgarum miſiſſe. Id teſtatur Evagrius Scholaſticus, non tanquàm primus rei auctor, ſed occaſione inſignium miraculorum inde proditorum, quæ recenſet. Quæ verò ab eo ſcripta ſunt, à Patribus Oecumenici Concilij Nicæni ſecundi, ut omni fide digna, comprobata fuere. *Chriſtus imaginem ſui linteo impreſſam ad Abgarũ mittit.*

Quâ verò ratione illa Imago dicta ſit non manufacta, Joannes Damaſcenus ita accidiſſe ſcribit. Cùm Abgarus pictorem miſiſſet, qui Domini imaginem delinearet; & pictor, ob ſplendorem ab ejus vultu manantem, id conſequi non poſſet, Dominus ipſe faciei ſuæ pallium admovens, imaginem ſuam ei impreſſit, & ad Abgarum miſit, ut pio ejus deſiderio ſatisfaceret. Evagrius 4. hiſt. 26. Damaſc. l. 4. de fide orthod. 17.

His ſimilia ſcribit Nicephorus; ac præterea extat apud Metaphraſtem 15. Novemb. & in vitâ S. Alexij. Sed & Græci anniverſariam de eâ ſolemnitatem celebrant decimo-ſeptimo Calendas Septembris, ut conſtat ex eorum Menologio. Et quod ad Latinos pertinet, teſtimonio Hadriani Papæ ſcribentis ad Carolum Magnum Imperatorem, certum redditur, eandem de prædictâ imagine hiſtoriam, cognitam & receptam eſſe à Stephano Papa in Concilio Romano. Denique præſidio ejuſdem imaginis, copias hoſtium ſæpè fuiſſe profligatas, probatorum Auctorum teſtimonio proditum habetur. Hanc verò ſacram imaginem ex Edeſſenorum civitate Conſtantinopolim, ac Romam deinde tranſlatam, ibi magna veneratione & cultu aſſervari in Eccleſia S. Sylveſtri, quæ (in Capita) nuncupatur, teſtatur Aringhus tomo 2. Romæ ſubterraneæ lib. 5. c. 4. Niceph lib. 2. hiſt. 37. *Tomo 3. Conciliorum.* *Eadem imago miraculis clara.* *Romæ aſſervata colitur.*

Sed unum ex maximis ſignis, quibus Chriſtus ſuam Divinitatem declaravit, eſt ejus Transfigura-

tio in monte Thabor, quam exponunt Evangeliſtæ in hunc modum ſimplici veritatis ſtylo. *Et poſt dies ſex, aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus; & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut Sol; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba, ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes. Reſpondens autem Petrus, dixit ad Ieſum, Domine bonum eſt nos hîc eſſe; ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Et audientes Diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè. Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis; ſurgite & nolite timere. Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Ieſus, dicens, Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat.*

Matth. 17. 1. &c. Marc. 9. 2. Luc. 9. 28.

Divina & prodigioſa Chriſti transfiguratio.

Ecce rem geſtam, quæ non eſt unum ſimplexque prodigium, ſed multorum prodigiorum congeries. 1° Ex parte faciei Chriſti, effuſione quadam gloriæ ſuæ Divinitatis, Solis inſtar coruſcantis. 2°. Ex parte veſtimentorum, inſtar nivis Solis radiis illuminatæ, reſplendentium. 3. Ex parte veterum Prophetarum, Eliæ ſcilicet & Moyſis viſibiliter cum Chriſto apparentium & colloquentium. 4° Ex parte nubis eos obumbrantis. 5°. Vocis cœlitùs emiſſæ, Chriſtum, filium Dei naturalem declarantis. 6°. Diſcipulorum, præ timore & ſtupore rerum tam inſolitarum, in faciem procumbentium, &c. Quæ omnia ſunt ſublimia, inaudita, & humanis factis longè majora.

Digitized by Google

Rationes autem hujus myſterij, ſi lubet ſcire, non gravabor breviter explanare. Ideò Chriſtus voluit hoc modo coram Diſcipulis transfigurari, id eſt gloriam ſuæ claritatis oſtendere; ut eos ad ferendam Crucem, de quâ paulò antè ſermonem fecerat; & ad labores pro ipſo, ac vitâ æternâ tolerandos animaret: voluit illis finem ſuorum laborum jucundum & glorioſum manifeſtare, quem ipſo duce adipiſcerentur. Nam, ut ſcriptum eſt, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Ac proinde, ut ait D. Thomas, *piâ proviſione factum eſt, ut contemplatione ſemper manentis gaudij, ad breve tempus delibatâ, fortiùs adverſa tolerarent.* Voluit illis etiam beatitudinem animæ ſuæ, atque adeò Divinitatem ſuam, per illam tranſitoriam in corpus redundantiam, demonſtrare. Nam ut docet S. Thomas; Claritas corporis Chriſti in Transfiguratione derivata eſt, & à Divinitate ipſius, (ut Damaſcenus dicit) & à gloriâ animæ ejus. Quòd enim ab initio conceptionis Chriſti, animæ gloria non redundaret ad corpus, ex quadam diſpenſatione miraculosâ divinitùs factum eſt, ut in corpore paſſibili, noſtræ Redemptionis expleret myſteria, ut idem tradit quæſt. 14. art. 3. ad 1. Non tamen per hoc adempta erat Chriſto poteſtas, gloriam animæ ſuæ ad corpus derivandi. Id quod fecit in Transfiguratione, quantùm ad gloriæ claritatem. Sicut enim divinâ diſpenſatione factum eſt, ut in Chriſto, dum hîc vixit, animæ gloria non redundaret ad corpus: ita fieri potuit diſpenſativè, ut redundaret quantum ad dotem claritatis, & non quantùm ad dotem impaſſibilitatis.

Rationes transfigurationis facta.

Actor. 14. v. 21.

S. Th. 3. p. q. 45. art. 1.

S. Th. 3. p. q. 45. art. 2.

Porrò ſicut claritas quæ erat in corpore Chriſti,

Digitized by Google

S. Thomas ibid. art. 2. ad 3. repræſentabat futuram claritatem corporis ejus: ita claritas veſtimentorum ejus deſignabat futuram claritatem ſanctorum, quæ ſuperabitur à claritate corporis Chriſti, ſicut candor nivis ſuperatur à ſplendore Solis. Unde Gregorius 23. Moral. c. 5. in fine, dicit; quod veſtimenta Chriſti facta ſunt ſplendentia, quia in ſupernæ claritatis culmine, ſancti omnes luce juſtitiæ fulgentes, ei adhærebunt. Veſtium enim nomine juſtos, quos ſibi adjunget, ſignificat, ſecundùm illud Iſaiæ 49. *his omnibus, quaſi veſtimento veſtieris.* Nubes autem lucida ſignificat Spiritus Sancti virtutem paternam, (ut Origenes interpretatur) per quam ſancti in gloriâ protegentur: ita S. Thomas qu. 45. art. 2. cit. ad 3. De aliis circunſtantiis Transfigurationis Domini, videri poſſunt interpretes ſcripturæ, Maldonatus, Toſtatus, &c.

Orig. Homil. 3. in Matth. tom. 3.

In monte Tabor tres Eccleſia conſtructa.

Ioſeph. l. 4. de bello. c. 2. Hieronym. de loc. Hebr. Beda de locis ſanctis c. 17.

Montem autem in quo Chriſtus transfiguratus eſt, fuiſſe Tabor in Galilæâ, in ſcripturis ſacris celeberrimum, omnes conſentiunt, quem Joſephus, (qui Itabyrion nominat) & Hieronymus deſcribunt. Auctorque eſt Beda, in memoriam tam glorioſi myſterij, tres illic in montis vertice ædificatas eſſe eccleſias, ſecundùm quod dixerat Petrus; *Faciamus hìc tria tabernacula*: ſed & grande inſuper apud eas, conſtructum eſſe Monaſterium.

Chriſtus ipſe ingens prodigium fuit.

Scientia Ch. fuit mirabilis.

Luc 11. 27.

Denique tota Chriſti vita fuit plena myſteriis; & ipſe ingens, inter homines, Prodigium fuit. Ejus Eſſe Theandricum, ſeu humano-Divinum, etiam Angelos in admirationem rapiebat. Ejus ſcientiam, omnes qui illum audiebant, mirabantur; non tantùm quâ internas hominum cogitationes noverat, (id quod ſolius Dei proprium eſt) ſed etiam quâ de rebus divinis loquebatur; ita ut de eo ſæpè dicerent; *Nunquàm ſic homo locutus eſt. Beatus venter, qui te*

Digitized by Google

portavit, & ubera quæ ſuxiſti. Quin & ipſi quoque ejus adverſarij, ut ait S. Lucas, *Stupebant in doctrina ejus. Et mirabantur Iudæi, dicentes; Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* Ex quo, & aliis adjunctis, niſi vehementi odio præoccupati fuiſſent, facilè poterant colligere, eſſe divinam. Id quod inſinuans Jeſus, reſpondit eis; *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui miſit me*; id eſt, ſcientia mea non eſt à me originaliter, ſed accepta à Patre, ſimul cum natura divina, per æternam generationem.

Luc. 4. Ioan 7. 16.

Potentia Chriſti omnes vires creatas ſuperavit

Ejus potentiam, in patrandis verbo aut nutu ſolo miraculis omnis generis, cuncti ſuſpiciebant: dicebant quippe Judæi; *Quid facimus quia hic homo multa ſigna facit; ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum.* Videbant enim ventos & mare, omnéque infirmitatum genus, adeóque ipſos ſpiritus immundos, & mortem, ejus imperiis, dicto citiùs obedire.

Ioan. 11. 47.

Ejus ſanctitas ipſis Angelis ſtupori fuit.

Ad extremum ejus ſanctitas impeccabilis, & virtutum quarumlibet heroïcarum ſplendore mirabiliter effulgens, annon grande in moribus prodigium fuit? certum Divinitatis intùs latentis, & tanta operantis argumentum?

SECTIO TERTIA.

De prodigiis quæ in Paſſione & Morte Chriſti contigerunt.

QUód ſi illa quæ diximus, Nativitatis & Vitæ Chriſti decora, Divinitatem ejus apertè prædicant: multò magis ea, quibus Deus ejus Paſſionem & mortem illuſtravit.

Cùm Chriſtus, ſtatuto mortis ſuæ tempore, ſupplicium Crucis, ad redimendum genus humanum, ſubire decreviſſet, (*oblatus eſt enim, quia ipſe voluit,*) obviam preceſſit catervæ Judæorum, qui ad eum

Iſaiæ 53

Chriſtus ſuos comprehenſores verbo proſternit. Ioan. 18. v. 6. comprehendendum venerant. Et unico verbo, quo ſignificavit ſe eſſe Jeſum Nazarenum, quem quærebant, dicens, *Ego ſum,* omnes quaſi fulminis ictu percuſſos, dejecit; ita ut ceciderint ſupini in terram, velut mortui. Quo facto voluit oſtendere ſe ultrò & ſponte apprehendi; ſuâque in poteſtate eſſe, manus illorum evadere ſi vellet, ut fecerat aliàs ſæpè; imò & illos omnes neci dare. Quemadmodùm & ipſe Petro declaravit, cùm educto enſe, auriculam ſervi abſcidiſſet, quam inſigni & viſibili miraculo, ſtatim reſtituit; illum graviter objurgans, quòd ſuam mortem, vi impedire tentaret; *An putas, inquit, quia non poſſum rogare Patrem; & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum.* Poſtquàm verò illi aliquantiſper ſic proſtrati jacuiſſent, velut trunci inanimes, Jeſus datâ illis poteſtate ſurgendi, & ſe invadendi, ſeipſum iis permiſit, & tradidit eorum voluntati.

Aurem abſciſſã Malcho reſtituit Matth. 26. 51. Ioan. 18. v. 10. &c

Mira Chriſti patiẽtia & manſuetudo inter tormenta & ludibria. 1. Petri 2. v. 23.

Ex eo autem tempore, quo Chriſtus ab eis comprehenſus eſt; cùm tempus eſſet oſtendendæ patientiæ ſuæ: nullum ad mortem ſignum efficere voluit. Quanquam ſilentium Chriſti inter tot accuſationes, calumnias, opprobria, ludibria & tormenta quibus eum vexarunt; & mira ejus manſuetudo ac patientia, ingens cœlo & terræ, Angelis & hominibus, ſtupor extitit. Nam ut ſignificat Scriptura, *Ieſus ad hæc omnia, indigna & aſpera, tacebat; cùm pateretur non comminabatur, cùm malediceretur non maledicebat, tradebat autem judicanti ſe injuſtè:* non exprobrabat illis ſua beneficia, non conquerebatur, quin & ad objecta nihil reſpondebat, ita ut vehementer miraretur Præſes. Id quod olim Iſaias prædixerat, in hæc verba; *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum; ſicut ovis ad occiſionem ducetur; & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os*

Iſa. 53

Digitized by Google

Sed in morte Chriſti quanta ſtupenda contigêre? cœlum, terra, & omnia elementa, Domini & Creatoris ſui defectionem ingemuerunt. Quâ de re multa paucis Evangeliſtæ, ſuo more, ſic ſcribunt; *A ſexta autem hora, (pendente ſcilicet Chriſto in Cruce) tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam, (quâ Chriſtus expiravit:) & tunc ecce velum Templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum; & terra mota eſt, & monumenta aperta ſunt; & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt; & exeuntes de monumentis poſt Reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum; viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes; Verè Filius Dei erat iſte.* Si quis fortè, hîc ſuſpectum habeat teſtimonium Evangeliſtarum, velim ut legat quæ de illorum fide indubitata dicemus infrà cap. 3. ubi de teſtibus ſacris; cap. 4. ubi de veritate miraculorum Chriſti; & cap. 6. ubi de illius Reſurrectione. Illud nunc pro veriſſimo & certo ſupponimus. Hæc autem quæ breviter dicta ſunt, indigent aliquâ reflexione.

Eclipſis Solis Chriſto in cruce patiente
Matth. 27. v. 45. &c
Marc. 15 v. 39.
Luc. 23. v. 44. &c
Velum Templi ſciſſum in ejus morte.
Motus terræ ingens.
Mortuorum exſuſcitatio.

Et quidem quod ait Evangeliſta Matthæus, dum Chriſtus Redemptor noſter eſſet in cruce; *Tenebras factas eſſe ſuper univerſam terram:* Et Lucas, *Solem eſſe obſcuratum*; colligunt, & exiſtimant Patres, fuiſſe univerſalem eclipſim, & non modò in Judæa, ſed per totum mundum. Ita Origenes contra Gentiles, & Euſebius in Chronico aſſerunt ex teſtimonio Phlegontis, Hadriani Imperatoris Liberti, inſignis Chronographi, atque ex eorumdem Gentilium Archivis & Annalibus confirmant Tertullianus, & Lucianus Martyr. Agunt pariter de eodem admirando Solis defectu Hieronymus, Auguſtinus, Cyprianus & alij; Teſtanturque omnes eum fuiſſe præter omnem natu-

Veritas eclipſis à Gentilibus ipſis atteſtata.
Origen. tract. 15. in Math. & lib. 2. contra Celſ.
Tertull. in Apolog c 21
Lucian.

Digitized by Google

in act. ſuiMart. Hieron. in Ioël 2. & in cap. 27. Matth. Auguſt qu. 105. Nov. Teſt. & Epiſt. 80. Cyprianus de bono patientiæ. Dionyſius Areopagita, Epiſt. ad Polycar. & Epiſt. ad Apollophanem. Phlegon lib. 13. Chronicorum. Baronius ad ann. Chr 34.

ræ ordinem. Eumdem verò pleniùs deſcripſit, omnium antiquiſſimus, Dionyſius Areopagita, oculatus ejus teſtis, qui annum agens ferè trigeſimum-quintum nondùm Chriſtianus, teſtatur ſe eum vidiſſe apud Heliopolim, Ægypti urbem, ubi cum Apollophane ambulabat. Ex cujus aſpectu & conſideratione, exclamaſſe ferunt; *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur.*

Hieron. in c. 27. Matth. tom. 9.

Tradit autem eam factam fuiſſe, non per miram ſubtractionem radiorum Solis, ut videtur ſenſiſſe S. Hieronymus, dum ait; *Luminare majus retraxiſſe ſuos radios, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blaſphemantes ſuâ fruerentur luce.* Neque per ſolam interpoſitionem nubium; ſed per interpoſitionem Lunæ inter nos, & Solem.

Quatuor aut quinque miracula in prædicta eclipſi. Sanctus Thom. 3. p. qu. 44. art. 2.

Notatque in ea eclipſi, quatuor accidiſſe miracula, ut ex eo refert S. Thomas. Primum eſt, quòd cùm naturalis eclipſis Solis, nunquàm fiat, niſi in Novilunio, id eſt, tempore conjunctionis Solis & Lunæ; tunc erat Luna in plenilunio, & oppoſitione ad Solem. Erat quippe Paſcha Judæorum, quod celebratur decimâ-quartâ Lunâ.

Secundum miraculum eſt, quòd cùm circa horam ſextam, Luna viſa fuiſſet ſimul cum Sole conjuncta in medio cœli; ad veſperam apparuit ſuo loco, id eſt in Oriente, oppoſita Soli, ut ferebat ejus curſus.

Tertium miraculum eſt, quòd naturalis eclipſis Solis, ſemper incipit à parte occidentali Solis, & pervenit ad Orientalem; quia ſcilicet Luna ſecundùm proprium motum retrogradum, quo movetur ab Occidente in Orientem, eſt velocior Sole in ſuo proprio motu retrogrado; ideò Luna ab Occidente

Digitized by Google

veniens attingit Solem, & ipſum pertranſit ad Orientem tendens. At in prædicta eclipſi, Luna jam à quatuordecim diebus pertranſierat Solem, & ab eo diſtabat per medietatem circuli, in oppoſitione exiſtens; quare oportuit ut ab Oriente reverteretur ad Solem; & ita illum attingeret primò à parte Orientali, procedens verſus Occidentem, donec totum Solis orbem occultaret. Et hoc eſt, inquit S. Dionyſius, quòd eclipſim ab Oriente vidimus inchoatam, & uſque ad Solarem terminum venientem, quia totum Solem obtexit.

Quartum miraculum eſt, quòd in eclipſi naturali, ab eadem parte Sol incipit priùs reapparere, à qua incipit priùs obſcurari; quia nimirùm Luna ſe Soli ſubjiciens, naturali ſuo motu Solem pertranſit verſus Orientem; & ita partem Occidentalem Solis, quam primò occupat, primò etiam derelinquit. At hîc Luna, poſtquàm ab Oriente veniens occultavit circulum Solis, eum non pertranſiit verſus Occidentem: ſed miraculosè reverſa eſt verſus Orientem unde venerat; atque ita partem Solis, quam ultimò occupavit, nempè occidentalem, primò reliquit; & quam occupaverat primam, ab Oriente, ultimam deſeruit.

Sanctus Chryſoſtomus addit aliud quintum miraculum, videlicet quòd tenebræ tribus horis permanſerint; ex quo datur intelligi, tunc Lunam ſub Sole quieviſſe; cùm in aliis corpus Solis ſoleat ſucceſſivè ſuo motu, & breviori tempore pertranſire.

Chryſoſtomus homil. 89. in Matth.

Cæterùm iſta eclipſis, quamvis eſſet maxima, non tamen erat tanta, ut nihil omninò cerni poſſet, ut rectè advertit Maldonatus; ſed quæ obſcuram lucem & exiguam relinqueret, ad ea quæ fiebant diſcernenda.

Maldonat. in c. 27. in Matth.

At dicunt hîc filij ſæculi, inquit Origenes, & ex eo ſibi proponit S. Thomas; quomodo factum hoc tam mirabile, nemo Græcorum, aut Barbarorum

Origen homil. 35. in Matth.

Digitized by Google

S. Th. 3. p. qu. 44. art. 2. ad 2.

Cur multi Hiſtorici Gentiles hujus eclipſis mentionem non fecerint.

ejus temporis ſcriptis mandavit? Reſpondet S. Thomas, quòd quidam nomine Phlegon, de quo ſuprà, in ſuis Chronicis, notat hanc eclipſim, quam ait ſub principatu Tiberij Cæſaris accidiſſe. S. verò Dionyſius, oculatus teſtis expreſsè ſcribit, illam factam fuiſſe feriâ ſextâ ab hora ſexta uſque ad nonam. Potuit autem aliorum ſcriptorum ſilentium ex eo contingere, quòd Aſtrologi tunc temporis ubique terrarum exiſtentes, non erant ſolliciti de obſervanda eclipſi, quia tunc non erat tempus in quo fieri deberet eclipſis; ideò illam, quam cernebant obſcuritatem, ex aliqua aëris paſſione accidere putaverunt. Sed in Ægypto ubi rarò nubes apparent, propter ferè perpetuam cœli ſerenitatem, permotus eſt Sanctus Dionyſius & ſocij ejus, ut prædicta circa illam Solis obſcuritatem obſervarent. Et poſſumus addere, multorum fortè ſcripta, qui illam eclipſim memoraverant, uti ſæpè factum eſt, excidiſſe. Teſtimonium autem Evangeliſtarum tantæ eſt authoritatis propter rationes infrà dicendas, ut vel ſolum ad fidem faciendam ſufficere deberet; præſertim verò quòd cùm ſcripſerunt Evangelium plurimi adhuc vivebant, qui ſi rem apertè falſam pro verâ propalaſſent, eos manifeſti mendacij redarguiſſent; & illi de cætero omnem Evangelio fidem abrogaſſent.

Sanctus Th. loco cit. ad 3.

Cur Deus hâc eclipſim miraculoſam effecerit

Porrò cauſa generalis hujus defectionis fuit, quia ut rectè ait S. Thomas, tunc præcipuè oportebat in Chriſto Divinitatem per miracula oſtendere, quando in eo maximè apparebat infirmitas ſecundùm naturam humanam. Et ideò in Chriſti nativitate ſtella nova in cœlo apparuit. Unde Maximus dicit in Sermone Nativitatis; *Si præſepe deſpicis, erige parumper oculos, & novam in cœlo ſtellam, proteſtantem mundo Nativitatem Dominicam, contuêre.* In Paſſione autem, quia major adhuc infirmitas circa humanitatem

Digitized by Google

Chriſti apparuit: ideò oportuit, ut majora miracula oſtenderentur circa principalia mundi luminaria. Id quod longè mirabilius fuit in eo fieri, qui crucifixus erat, quàm eo ſuper terram ambulante.

Præter illam omninò miraculoſam eclipſim, dicunt Scriptores ſacri, Chriſto mortuo, ſtatim *velum Templi ſciſſum fuiſſe in duas partes, à ſummo uſque deorſum.* Id quod ſanè magni alicujus myſterij indicium fuit. Sed quid portenderit tantum prodigium, interpretibus Scripturæ relinquimus explicandum.

Sciſſio veli Tẽpli non vacat myſterio

Quod autem terribilius extitit, fuit ingens terræ motus per totam Judæam; nonnulli volunt multò longiùs perveniſſe; de quo etiam ex Phlegonte teſtimonium proferunt Origenes & Euſebius. Sed præterea illâ concuſſione ſciſſas eſſe petras, iidem Evangeliſtæ teſtantur; quaſi in teſtificationem doloris de morte Chriſti Domini. Quarum, ſuo adhuc tempore, in monte Golgotha, monumenta extare, ſcripſit Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus.

Terræ motus totã ſaltem Iudæam concuſſit. Origen. lib. 2. contra Celſum Euſeb. in Chronic. Cyril. catech. 13.

Nec verò Hieroſolymis tantùm, ſed & in pleriſque aliis orbis partibus, ſciſſos montes eodem terræ motu; incolæ firmâ traditione teſtantur: Putà in Hetruria, montem, Alverniæ dictum; & prope littus Campanum, Cajetæ Promontorium. Traditque Hieronymus ex Evangelio Nazaræorum, eodem terræ motu, Templi ſuperliminare collapſum eſſe; & Angelos præſides Templi auditos eſſe, dicentes; *Tranſeamus hinc:* quod & Euſebius tempore Paſſionis Chriſti accidiſſe teſtatur. Denique *eodem terræ motu monumenta ſepulcrorum fuiſſe aperta, & multa corpora Sanctorum à mortuis ſurrexiſſe, (ut credibilius videtur, non iterùm moritura,) Hieroſolymamque poſt Domini Reſurrectionem veniſſe, ac multis apparuiſſe*, (utique ad Reſurrectionem Chriſti teſtificandam) docet Scriptura.

Petrarum & montium ſciſſio. Hieron. Ep. 150. quæſt. 8. *Sepulcrorum apertio.* Maldonat. loco cit.

Digitized by Google

De qua ſepulcrorum apertione, ſciendum eſt, id olim per totam Palæſtinam in more poſitum fuiſſe, ut monumenta mortuorum extruerent ſplendida & magnifica, ex quibus ſæpè Chriſtus occaſionem ſumpſit, Judæorum non tantùm vanitatem, ſed etiam hypocriſim carpendi. Fuit verò res iſta ſupra modum ſtupenda; nam quæſo, quantus omnium noſtrûm pavor ac ſtupor eſſet, ſi noſtris hiſce temporibus, oculis cerneremus ſepulcra defunctorum, in cœmeteriis hujus urbis reſerari, omnes foſſas aperiri, cadavera in iis condita, uſu vitæ recuperato, prodire in medium, paſſim per vicos diſcurrere, inviſere amicos, notos alloqui, de rebus alterius vitæ confabulari. Hæc ad Reſurrectionem Chriſti Domini, palàm facta fuiſſe teſtantur Scriptores Evangelici; qui ut jam ſignificavi, (niſi vera fuiſſent iſta,) à plurimis adhuc viventibus redargui & derideri, tanquàm impoſtores potuiſſent.

S. Gregor. Papa. homil. 10. in evangelia.

Ex his autem quæ diximus rectè ſcripſit S. Gregorius, omnes creaturas & elementa ſuum Auctorem veniſſe, fuiſſe teſtata. *Nam, inquit, ut uſu humano loquar, hunc cœli, Deum eſſe cognoverunt, quia protinùs ſtellam miſerunt. Mare cognovit, quia ſub plantis ejus ſe calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat, mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum omnia inſenſibilia elementa ſenſerunt, adhuc infidelium Judæorum corda, Deum eſſe minimè cognoſcunt; & duriora ſaxis, ſcindi ad pœnitentiam nolunt.*

Omnia elemēta & creaturæ Chriſto teſtimoniū reddidêre.

Plutarc. lib. de defect. oraculorum.

Et quoniam de prodigiis, quæ tunc facta ſunt, loquimur, non ſunt hic prætereunda ſilentio, quæ Plutarchus his Tiberij temporibus accediſſe memorat;

rat; nimirùm cùm quidam in Italiam navigarent, noctu è Paxis Inſula, quæ una eſt chinadarum, voce magnâ inclamatum eſſe, *Pana magnum eſſe mortuum*. Cúmque illud idem navigantes, ex præſcripto vocis auditæ, juxta paludem quandam, eadem verba de navi proclamaſſent; magnum ſubitò gemitum innumerabilium, quaſi perſonarum ibi latentium, auditum eſſe. Iſta Euſebius ex Plutarcho recitat; ſed fides eſto penes Auctorem. Iſta verò in eum accepta ſunt ſenſum, ut Pan ille magnus, Chriſtum univerſorum Dominum deſignaret; ejuſque mortem, ut ſuam ipſorum cladem lamentarentur Dæmones: quippe qui, eo adhuc vivente, ſæpiùs conqueſti fuerant ſe ab eo torqueri; jamque ſentiebant ſuis oraculis ſilentium paſſim imponi.

Voces incognitæ Pana magnũ occubuiſſe nũtiant.

Euſeb. l. 5. de præpar. Evang. 9.

Non eſt itaque mirum, ſi viſis, quæ ante diximus, tot tantiſque prodigiis, divina operatione factis, Centurio, aliique, admiſſi facinoris pœnitentes, publicâ confeſſione teſtati ſunt, Jeſum, quem crucifixerant, verè Filium Dei fuiſſe. Sed valdè mirum eſt, quoſdam etiam Chriſtianos, poſt tantam ſignorum convictionem, adhuc in fide Divinitatis Chriſti fluctuare.

Cẽturio ex viſis prodigiis aliique Chriſtũ confitentur eſſe Filium Dei.

Audiant, ſi lubet, & attendant quæ ſuper his egregiè ſcripſit Auguſtinus; *Hæc chariſſimi, per omnem geſtorum ordinem, Deum ſub homine agnoſcamus operantem. Poſitus in patibulo, verus arbiter in medio damnatorum, negantem latronem repulit, ſuſcepit confitentem; hunc deputat regno, illum relinquit inferno. Per hæc ergo credamus in majeſtate judicaturum, quem jam in cruce, & miſericordiam videmus exercere, & judicium. Credamus, inquam, Deum, vel ex ſolâ virtute patientiæ; qui cùm ab homine, crucis neci traditur, nihilominùs homini gloriam pollicetur; qui illas ipſas injurias, & plagas in corpus ſuum, convertit in*

Auguſt. ſerm. 1. in feria 3 poſt Dominicam Palmarum.

pretium noſtrum. Sed & ipſa totius mundi irrationabilis creatura, motibus ſuis Deum loquitur. Nam in media Paſſione Domini Salvatoris, cœleſtia & terrena turbantur; lux cum nocte miſcetur, elementa quatiuntur, & ab antiquis miniſteriis effugantur. Apertè rerum natura perſpicitur commoveri, velut in vindictam Auctoris ſui velit armari. Terra ipſa concuſſa à fundamentis ſuis, quæ crucem Domini vix ſuſtineat, tanquam ad ſcelus proprium contremiſcit. Dies refugo lumine, quomodo poteſt, ſumit lamentum, & fuſco triſtium tenebrarum habitu, more lugentis induitur; & ut tota cœli facies, Dominicæ Nativitatis gloriam novâ luce teſtatur: ita crucis injuriam, novis tenebris deteſtatur. Et quæ duritia cordis humani? Væ eis qui inter ipſa non credunt; quandoquidem creatura irrationalis, quæ recipere non poteſt credulitatis affectum, dat tamen Deo confeſſionis obſequium: & cùm pro ſolo homine Chriſtus mortuus ſit; perhibet ei tamen, etiam pars illa mundi teſtimonium Divinitatis, ad quam non pervenerunt beneficia Paſſionis. Quæ cùm ita ſint, agnoſcat homo, quantùm valeat, & quantùm illum Deo obnoxium faciat natura vel gratia. Agnoſcat homo, quantum de illo expectet Deus; & quem tanta dignatione habuit charum, quàm velit eſſe in converſatione pretioſum. Agnoſcat homo, quantùm valeat, & quantùm debeat; & dum pretium ſuum cogitat, vilis ſibi eſſe deſinat: & vicem muneris, Salvatori ex ipſo bono ſuo, id eſt, de conſervata ſalute, reſtituat. Cuſtodiamus ergo ſollicitè, quòd tanti cruoris commercio Chriſtus nos redemit, &c. Hæc Auguſtinus.

Tota natura Chriſtũ crucifixũ, Deũ prædicat

Agnoſcat homo beneficiũ ſui Redẽptoris.

Nec ſine myſterio, & divinæ Providentiæ diſpenſatione, poſita eſt inſcriptio tituli Crucis, præter hominum intentionem, valdè honorabilis Chriſto; *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, ut colligitur ex Evangeliſtis, & habetur ex antiqua Eccleſiæ traditione.

Inſcriptio tituli crucis, divino inſtinctu

Digitized by Google

Hunc titulum, juſſu Pilati, Chriſto impoſitum fuiſſe, Joannes ſignificat; ut cauſa indicaretur crucifixionis ejus, juxta Romanorum conſuetudinem, qui in teſtimonium juſti judicij, titulum, mortis cauſam, exprimentem, ſuper reum ſolebant apponere. Non eſt autem dubium, quin impulſu divino Pilatus ita inſcribi voluerit; (ut Joannes innuit cap. citato, v. 21.) ut Judex etiam ipſe, qui Chriſtum damnaverat, eodem titulo, quo meritò damnaſſe ſignificare voluit, immeritò damnaſſe declararet; & Chriſtum, verum Judæorum Regem, id eſt, Meſſiam, eſſe teſtaretur. Cùm enim Judæi, qui titulum legerant, Pilatum rogaviſſent, ne ſcriberet, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*: ſed, *Ieſus Nazarenus, qui ſe Regem Iudæorum fecit*, reſpondit; *Quod ſcripſi, ſcripſi*, id eſt, quod à me ſcriptum eſt, mutare non poſſum; quaſi divinâ teneretur manu, quâ priùs, ut ea verba ſcriberet, impulſus fuerat. Certum autem videtur Pilatum prædictis verbis, nihil aliud ſignificare voluiſſe, quàm quod Judæi diſtinctius exprimi poſtulabant, nempè, *Hic eſt Ieſus Nazarenus, qui ſe Regem Iudæorum fecit.* Sed divinâ Providentiâ factum eſt, ut id illis exprimeret verbis, quibus Chriſtus ſignificaretur, verus eſſe Rex Judæorum: ita extorſit Deus etiam ab invito Judice veritatem.

appoſita: Matth. 27. v. 37 Marc. c. 15. 26. Luc. c. 23. 38. Ioann. c. 19. 19. 21. 22.

Sed non tantùm ex titulo crucis, verùm etiam ex ipſis Paſſionis Chriſti, & ſepulcri inſtrumentis, ejus Divinitas manifeſtè declaratur. Nam illa omnia, ut ex probatis Auctoribus Baronius tradit, & loca ipſa in quibus peracta ſunt, poſteà remanſerunt, & hactenus ſervantur, tanquam ſacra quædam victoriæ trophæa, totius orbis veneratione conſecrata; ex quibus velut è quibuſdam perennibus fontibus, fluenta gratiarum & miraculorum eruperunt. Ipſas enim ſpinas coronæ Jeſu; columnam ad quam alligatus eſt,

Baron. ad ann. Chr. 34. n. 42. *Inſtrumenta paſſionis Chriſti.*

Digitized by Google

in vene-ratione reman-ſerunt. Spinæ. Colũna. Clavi Arundo Spongia Gregor. Turon. de glor. Martyr. c. 2. c. 8. Beda de locis ſanct. c. 20.

dum flagellis cæderetur; clavos quibus affixus eſt cruci; arundinem, atque ſpongiam, quâ fuit aceto potatus, magnâ diligentiâ ad piorum cultum fuiſſe aſſervata, tradunt Gregorius Turonenſis & Beda. Tunicam item inconſutilem à Chriſtianis redemptam, & ſtudiosè cuſtoditam, auctor eſt idem Gregorius.

Tunica inconſu-tilis. Sacrum ſudariũ Tauri-nenſe. à Turin

Permanſit quoque hactenùs integra, ab incendio miraculosè ſervata, ſanctiſſima ſindon illa, (quam vulgò Sudarium vocant,) quæ corpus Domini noſtri de cruce recèns depoſitum excepit, antequàm lotum eſſet, & unguentis delibutum. Quamobrem illa repræſentat effigiem Chriſti mortui, cruentam ſanguine, cum omnibus flagellorum, & plagarum notis, faciemque lividam & deformatam. Habetur cum ſummo honore in Eccleſia Taurinenſi, illuc ex urbe Avenionenſi tranſlata, multis miraculis clara, de qua fusè diſſerunt Paleotus & Mallonius; nec non Chifletius in libro de Sudario Veſuntino.

Sacrum ſudariũ Veſunti-num. Le ſaint Suaire de Beſançon.

Extat enim aliud Chriſti Domini Sudarium, quod vulgò Veſuntinum cognominatur, quod pariter ejus corpus mortuum exhibet perfectè, cum omnibus lineamentis faciei, & quinque plagis, vegeto adhuc & quaſi recenti ſanguine pellucentibus: tam integrum & parum detritum, quàm ſi novum eſſet; cùm tamen ſæpiùs in anno complicatum & explicatum, ac pio innumerorum roſariorum contactu exeſum & lacerum, citra miraculum, jampridem eſſe oporteret. Aſſervatur Veſuntione, ubi ex conſuetudine bis quotannis palàm exponitur cum ſumma populorum undique confluentium veneratione; pleriſque & illuſtribus paſſim miraculis editis, de quibus legi poteſt prænominatus Chifletius.

Mira-culoſa Imago

Inter miraculoſas Chriſti imagines celebris item eſt tum cultu, tum miraculis, Edeſſena illa, quam ſuprà

diximus, Chriſtum Abgaro Regi, adhuc viventem miſiſſe, quæ poſt conſervatam Edeſſam à Perſis, ſub Coſrhoë Rege obſeſſam, Conſtantinopolim ex Edeſſa urbe, ad urbis præſidium, & Chriſtianorum ſolatium; tandem poſt Conſtantinopolis devaſtationem, Romam divinâ Providentiâ fuit deportata. Ubi cum magna veneratione colitur in Eccleſia Sancti Sylveſtri. Nonnulli tamen ſcripsêre, Genuæ in Liguria aſſervari, in æde Sancti Bartholomæi. Ex quo intelligitur illam uno in loco haberi, & ejus exemplar in alio: ita Chifletius loco citato. De ea multis ſcripſit Evagrius, & complura per eam edita miracula recenſet libro quarto, cap. 26. quæ in Synodo Nicænâ ſecundâ ſunt comprobata. Eademque in Hiſtoria Miſcella. lib. 17. memorantur ex Theophane. *Edeſſena.*

Memorabile quoque eſt ſudarium, quod Veronicæ dicitur; nimirum imago faciei Salvatoris impreſſa linteo, quod pia mulier, Veronica appellata, ex commiſerationis affectu, ſuo ex capite detractum, dum Chriſtus crucem geſtans ad patibulum duceretur, ipſius capiti injecit ad abſtergendum ſudorem ſanguini permixtum. Cùm enim Chriſtus illud accepiſſet, in teſtimonium gratitudinis & benevolentiæ, eidem Veronicæ reddidit, ſui vultus formâ mirabiliter decoratum, ut teſtantur Baronius, Adrichomius, & alij. Quam Imaginem Bzovius ex antiqua traditione, Romam fuiſſe deportatam, & in Eccleſia Sancti Petri à Conſtantino Imperatore collatam tradit, ubi piè à Fidelibus colitur. Ejus autem imaginis multa expreſſa ſunt exemplaria, devotioni publicæ paſſim propoſita, quorum duo viſuntur in Galliâ, unum Cadurci in Vaſconia; alterum prope Laudunum in Picardia in Monaſterio Monialium Ordinis Ciſtercienſis; eò delatum *Imago Chriſti, Veronicæ dicta.* Baron. ad ann. Chr. 34. n. 42. Adrich. in th. n. Bzovius an. 1216. n. 16. 17

Mon-ſtreüil. ex urbe Monſtrolio, ut narrant prædictorum locorum hiſtoriæ.

Baron. ad ann. Chr. 34. n. 42. Neque prætermittendum eſt quod tradunt Paulinus Epiſt. 11. & Sanctus Cyrillus catecheſi decimâ, terram ipſam, quæ Domini ſepulcro adjacet, divinam quandam ex dominico corpore virtutem hauſiſſe; & Fideles illuc peregrinantes, de ea ſolitos eſſe accipere; quâ tum ad morbos curandos, tum etiam ad Dæmones effugandos uti conſueverint. Cujus rei teſtis locuples eſt Auguſtinus libro duodecimo de Civitate. Necnon Gregorius Turonenſis, de glor. Martyr. c. 7.

Terra ſepulcro Chriſti adjacēti vis miraculorū indita.

Crucis Dominicæ multiplicatio miraculoſa Sed inter inſtrumenta Dominicæ Paſſionis, quæ varias orbis partes pietati conſecrarunt, nullum eſt auguſtius ſanctiſſimâ Domini Cruce; quæ cùm diù Judæorum invidiâ fuiſſet occultata, & ſub terram defoſſa, divinâ ſic diſponente Providentiâ, tandem ſuo tempore in lucem prodiit, & univerſum orbem, ſui multiplicatione miraculoſâ, ac prodigiis ſic illuſtravit, ut nullus ferè ſit locus, in quo non aliqua hujus ſacratiſſimi ligni particula reperiatur.

Invētio crucis Chriſti, cum miraculorum operatione. Conſtat quippe ex certo Auctorum Græcorum teſtimonio, Euſebij in Chronico, Zonatæ ann. 10. 3. atque antiquorum Patrum, Cyrilli imprimis, qui cùm ſub Conſtantio, Conſtantini filio, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præeſſet, facilè eidem inventioni potuit intereſſe; Ambroſij, Paulini, &c. quamvis de modo quo inventa eſt, non omnes conveniant.

Baron. ad ann. Chr. 326 num. 7. Ex Baronio videtur hæc magis probata inventionis hiſtoria. Helena Conſtantini mater, pio ſtudio inviſendi loca ſancta, Hieroſolymam profecta; ibi divino inſtinctu inſpirata eſt ad ſacrum Crucis lignum exquirendum. Cúmque accepiſſet ex quorumdam Judæorum notitia & traditione, moris

Digitized by Google

eſſe, ut omnia inſtrumenta quæ reorum ſuppliciis inſervierant, juxta illos conſepelirentur; aliunde autem conſtaret, Chriſtum Dominum in monte Golgotha crucifixum fuiſſe: ideò omnium ſententia fuit, terram illo loco effodiendam eſſe. Quâ profundè effoſsâ, tres cruces repertæ ſunt; inter quas Dominica, indicio tituli, ut Sanctus Ambroſius tradit, diſtinctè fuit agnita. Atque etiam ex ſuſcitatione cadaveris mortui, admotâ verâ Domini cruce, (ut Paulinus & Severus,) vel languentis fœminæ, ad illius contactum, ſanitati reſtitutæ, ut Rufinus, Theodoretus, Socrates, Sozomenus.

S. Amb. orat. in funere Theod.

Inventæ autem Crucis Helena partem unam Hieroſolymis reliquit; alteram ad Filium retulit, ut Sozomenus & Theodoretus. Cujus bifariàm diviſæ partem, Conſtantinus, teſte Socrate, in protectionem & propugnaculum ſuæ Civitatis regiæ, Conſtantinopoli aſſervatam, ſuâ ſtatuâ pretiosè includi curavit, columnæ ingenti, medio in foro erectæ ſuperpoſitâ. Reliquam verò majorem partem, Romam perferri juſſit, ubi in Baſilica ad atrium Seſſorianum ędificata, collocata fuit. Ex portione verò Hieroſolymis relicta, eò pietatis causâ peregrinantibus, pro mercede itineris, ab Epiſcopo loci ſolitum erat, fruſtulum concedi.

Operante ſcilicet, inquit Sanctus Paulinus, *divinâ virtute, jugi miraculo, in materia inſenſata, vim vivam tenens, ita ex illo tempore crux, innumeris penè omnium votis lignum ſuum commodavit, ut detrimenta non ſentiret, & quaſi intacta permaneret; quotidie dividuam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus. Sed iſtam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem de illius carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem, non vidit corruptionem.*

Paulin. Epiſt. 1. ad Sever.

Crux Chriſti inventa, ſui multiplicatione orbem implevit.

Digitized by Google

Cyrill. catech 4. 10 & 13.

Similiter Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus pluribus locis teſtatur, ejuſdem ſanctæ crucis ligno, per particulas, ex ea civitate, univerſum terrarum orbem repletum eſſe. Et ut quinque panes in quinque hominum millia multiplicati fuerunt: ita hoc lignum, quod Hieroſolymis remanebat conſpicuum, univerſum fermè orbem jam repleſſe. Cujuſmodi teſtimonia tantorum Patrum, inquit Baronius, obſtruunt ora ſubſannantium Hæreticorum de una cruce, tot in partes toto mundo diſperſâ.

Baron. ad ann. Ch. 326. num. 10.

Honor ubique exhibitus ſactæ cruci.

Sanctus Chryſ. homil. quòd Chriſtus ſit Deus.

Unde perſpicuum eſt quanto in honore ſemper habitum ſit lignum Crucis in quo Salvator pependit; ex quo diſcat Infidelis, quale hoc ſit, & quantæ virtutis. *Sunt enim*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *lictoribus multa tormentorum genera; ligna, lora, ungues, plumbum, quibus torquent corpora, & membra dilacerant ac diſtrahunt; & quiſnam vellet hæc in domum ſuam inferre? quis vellet manu contingere? annon plures iſta ſic abominantur, ut neque aſpectum, neque tactum ſuſtineant. Tale quidpiam olim crux fuit, atque illis multò gravior: ſiquidem crucis nomen apud omnes habebatur execrabile. Nam non mortis ſolùm, ſed & maledictæ mortis ſymbolum erat. Unde ergo, dic mihi, omnibus nunc tantum ejus ſtudium & cura, quod ita deſiderata ſit cunctis, & omnibus facta pretioſior? Ipſum, inquam, hoc lignum, in quo poſitum ſanctum corpus Domini, & crucifixum; quare totus orbis habere ita contendit, ut qui parvum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, tam viri quàm mulieres, & cervicibus ſuis ac pectoribus aptent: hinc valdè honeſtati, magnifici, muniti & protecti; licet condemnationis fuerit lignum. Unde hoc? niſi quòd qui omnia operatur; qui terram quando lubet, cœlum facit; etiam rem hanc quâ redempti ſumus, & quam*

Digitized by Google

Salvator noſter ſuâ morte ſanctificavit, licet contemptam de ſe, & omnibus abjectionibus turpiorem, ſupra cœlos elevat. Hac multiplicis benedictionis argumentum eſt factum, & omnigena ſecuritatis eſt murus, Dæmonum flagellum, contra illorum impetus protectio ſingularis, contra vitia præſidium, & gratiæ divinæ firmamentum. Crux igitur maledicti ſymbolum, quod omnes fugiebant, quod omnes execrabantur, quod probroſiſſimum exiſtimabant omnes, tantum ac talem honorem, poſt crucifixi mortem accepit. Unde hoc? niſi ex divina virtute, qua inſtrumentum noſtra ſalutis, in gloriam Chriſti Redemptoris, tam glorioſum effecit. Hæc Chryſoſtomus.

Verùm non modò lignum, in quo Chriſtus mortuus eſt, toti mundo fuit venerationi; ſed & ipſa effigies, & repræſentatio crucis. Nam ut dicit Auguſtinus, & notum omnibus eſt, *Crux anteà, nomen condemnationis erat, nunc facta eſt res honoris. Cùm enim ſub antiquis ſcelerati crucifigerentur, modò nullus crucifigitur. Crux de pœna generis humani ſublata eſt; finita & honorata eſt; finita eſt in pœna, manet in gloria: à locis ſuppliciorum, fecit tranſitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum bonum dedit pœnis ſuis, quid ſervat Fidelibus ſuis?*

Effigies ipſa & ſignum crucis, toti mũdo eſt venerationi.

Auguſt. ſerm. 1, feriæ 6, in Paraſceve.

Et alibi, idem Doctor in hæc verba Pſalm. 54. (Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in Civitate) ſic habet. *Chriſtus venit, contradicis; eſt Filius Dei, contradicis; natus eſt de Virgine, paſſus, reſurrexit; & unde hoc, inquis, hoc fieri poteſt? Attende ſaltem gloriam crucis ipſius; jam in fronte Regum, crux illa fixa eſt, cui inimici inſultaverunt. Effectus probavit virtutem, domuit orbem, non ferro, ſed ligno.*

Concione ſecũdâ in Pſ. 36.

Digitized by Google

Et in illud Pſal. 73. (Leva manus tuas in ſuperbias eorum in finem.) *Iam tenentes ſceptrum* , inquit, *ſubduntur ligno Crucis*; *jam fit quod prædictum eſt*, (*Adorabunt eum omnes Reges terræ , omnes gentes*
Pſal. 71. *ſervient ei.*) *Iam in frontibus Regum pretioſius eſt ſignum Crucis, quam gemma Diadematis.*

Non pigebit ſuper eadem re Chryſoſtomum au-
S. Chr. ſoſt. loc. cit. dire diſertè diſſerentem. *Hoc* , inquit , *mortis ignominioſiſſima inſtrumentum , diademate quovis glorioſius effectum eſt. Nam Reges poſito diademate, Crucem accipiunt; in purpuris Crux jam ſplendet, in diadematis Crux , in precibus Crux , in armis Crux , in altaribus & templis Crux , in toto Orbe ſuper ſolem fulget Crux. Contrà quàm in rebus humanis contingere ſolet. Nam cùm hi , qui hîc in magnâ gloriâ rebuſque florentibus agunt abſceſſere , pereunt eis ſimul alia omnia. Id quod non ſolùm in divite, ſed & in Principe , atque adeò & in Regibus ipſis, quis non videt? Nam leges eorum irritantur, ſtatuæ obſcurantur, memoria extinguitur , nomen eorum in oblivionem venit , à cognatis deſpiciuntur. Et licet pridem moverint arma, concitarint ſeditiones populorum & urbium, revocaverint proſcriptos , occiderint dominos : ſimul tamen occiderunt omnia, quamvis glorioſa priùs fuerint. At in Cruce Domini longè aliter evenit. Quamvis enim ante mortem Domini , Crux eſſet ſignum & nota maledictionis; nam* (*Maledictus omnis qui pendet in ligno*:) *poſt ejus*
Deuteron. 21. *mortem, hoc maledictum , hoc abominabile , hoc extremi & ignominioſiſſimi ſupplicij ſymbolum , Crux, diadematibus & coronis fulgentius factum eſt. Neque enim ſic regiâ coronâ ornatur caput , ut cruce quæ omni cultu dignior ; & quam omnes priùs abhorrebant , ejus figuram ardenter quærunt ; atque*

Digitized by Google

adeò ea ubique invenitur; apud Principes, apud ſubditos, apud mulieres, apud viros, apud Virgines, apud nuptas, apud ſervos, apud liberos. Subinde omnes eâ ſe ſignant, inſcribendo in nobiliſſimum membrum corporis noſtri: in fronte enim noſtrâ quotidiè figuratur. Hanc ubique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in ſolitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in navibus, in lectulis, in veſtibus, in armis, in vaſis, in picturis, &c. ſic non ſolùm non fugitur, ſed & ab omnibus amatur, & honoratur. Quis non judicet iſtam Crucis apud omnes homines venerationem non aliundè invaluiſſe, quàm à Deo, Filij ſui humiliationem tali gloriâ, compenſante?

Sed aliud prætereà illuſtre planè monumentum nobis relictum eſt Divinitatis Chriſti, in monte unde Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam in cœlum aſcendit, quod Dominus non modò ſuis Apoſtolis, ſed poſteris quoque ſpectandum præbuit. Nimirùm ſacrorum pedum ſuorum impreſſa terræ veſtigia, eo loco unde in monte Oliveti in cœlum ſublatus eſt: quâ de re locutus olim propheticè videtur Zacharias cap. 14. v. 4. dum ſcripſit *Stabunt pedes ejus ſupra Montem Oliveti, qui eſt contrà Ieruſalem ad Orientem.*

Veſtigia pedum Chriſti in cœlũ aſcendentis, monti Oliveti impreſſa.

Quod autem iſtud miraculum plurimùm auget, eſt quod teſtantur Hieronymus, Paulinus, Severus Sulpicius, Baronius & alij; videlicet prædicta Chriſti veſtigia nunquàm deleri potuiſſe; nec Eccleſiam illic extructam ullo tecto cooperiri. Et quidem Hieronymi de locis Hebraicis in Acta Apoſtolorum, hæc ſunt verba; *Mons Oliveti ad Orientem Hieroſolymæ, torrente Cedron interfluente, ubi ultima veſtigia Domini, humi impreſſa, hodiéque monſtrantur. Cùmque terra eadem quotidiè à credentibus hauriatur: nihilo-*

Baronius ad an. Chr. 34. n. 64. Severus Sulpicius. Hiſt. lib. 2.

Nec delentur terra ablatione.

minùs tamen eadem ſacrata veſtigia priſtinum ſtatum continuò recipiunt. Denique cùm Eccleſia, in cujus medio ſunt, rotundo ſchemate, & pulcherrimo opere conderetur: ſummum tamen cacumen, (ut perhibent) propter Dominici Corporis meatum, nullo modo contegi, & concamerari potuit; ſed tranſitus ejus è terrâ, ad cœlum uſque patet apertus.

Eadem ferè ſcripſit S. Paulinus Nolanus Epiſt. 11. ad Severum. *Illud mirum*, inquit, *quòd locus ille, in quo poſtremùm inſtiterunt divina veſtigia, cùm in cœlum Dominus nube ſublatus eſt, continuari pavimento, cum reliquâ ſtratorum parte non potuit; ſiquidem quæcunque applicabantur, inſolens humana ſuſcipere, terra reſpueret, excuſſis in ora operantium ſæpè marmoribus. Quin etiam calcati à Deo pulveris adeò perenne documentum eſt, ut veſtigia impreſſa cernantur; & cùm quotidiè confluentium fides certatim Domini calcata diripiat; damnum tamen arena non ſentiat; & eandem adhuc ſui ſpeciem, velut impreſſis ſignata veſtigiis terra cuſtodit.* Hæc Severus cum Paulino.

Beda de loc. ſanct. c. 7.

Illa autem Chriſti veſtigia perſeveraſſe tempore Bedæ, id eſt, poſt ſeptingentos ferè annos à morte Chriſti, ipſemet eſt teſtis. Eorumdem veſtigiorum meminit quoque Optatus Milevitanus libr. 6. contra Parmen.

Mirabilis Spiritus Sancti in Apo-

Nihil hìc dico de Reſurrectione Chriſti, nihil de ejus in cœlum Aſcenſione mirabili; quæ duo ſunt prodigia ita ſingularia & inaudita, ut vel ſola ſufficiant ad Divinitatem illius evidenter demonſtrandam. De iis enim ſuus erit proprius dicendi locus in argumento 6°. Sed inter ea quæ mortem Salvatoris ſubſecuta ſunt non debet reticeri viſibilis in Apoſtolos deſcenſus Spiritûs Sancti, inſtar venti, & in formâ linguarum ignitarum, qui factus eſt Hieroſoly-

Digitized by Google

mæ, elapſis jam ab Aſcenſione Domini, decem diebus. De quo ſic ſcribit S. Lucas; *Dum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco; & factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquàm advenientis ſpiritûs vehementis; & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquàm ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu-Sancto; & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus-Sanctus dabat eloqui illis.* Ita ut omnes Judæi, olim ſub Rege Aſſyriorum in varias mundi Nationes diſperſi, qui Hieroſolymam convênerant ad feſti ſolemnitatem, & ad offerenda in Templo ſacrificia, diſtinctè audirent Apoſtolos, ſuo idiomate loquentes, dum ad populum de Chriſto ſermocinarentur. Fuit ſanè ingens illud prodigium, & res maximè ſtupenda, quòd homines antè penitùs ignari, omnium gentium linguis protinùs, & expeditè loquerentur. Cujus miraculi teſtes fuerunt, quotquot ex omnibus nationibus à ſcriptore ſacro hîc recenſitis affluxerant. *Erant autem*, inquit S. Lucas, *in Ieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi, ex omni Natione quæ ſub cœlo eſt. Factâ autem hac voce convênit multitudo & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes; ſtupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes; (Nonne iſti omnes qui loquuntur, Galilæi ſunt? & quomodò nos audivimus unuſquiſque linguam noſtrum in quâ nati ſumus, Parthi & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam, Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum & partes Libyæ, quæ eſt circa Cirenem, & Advenæ Romani, Iudæi quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes; audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.) Stupebant autem omnes, & mirabantur, &c.*

ſtolos deſcenſus. Actor. 2. v. 1. &c.

Donum linguarum Apoſtolis conceſſum. v. 5.

Quàm autem mirabile fuit ſubitaneum iſtud donum linguarum; tam neceſſarium erat ad munus, ad quod

Apoſtoli erant à Chriſto deſtinati, nimirùm ad prædicationem Evangelij per univerſum mundum, & converſionem gentium ab idololatria, ad cultum Dei, & Chriſti Salvatoris. Id autem reverà contigiſſe, dubitari non poteſt, ſuppoſitâ ſacrarum literarum auctoritate divinâ, & Evangeliſtarum fide; de quâ tantùm hîc obiter dicam, & jam inſinuavi ſuprà; quòd ſi factum publicum, falſum pro vero, ſuis ſcriptis evulgaſſent; totidem ſui mendacij teſtes habuiſſent, quot iſtis diebus feſtis homines adfuerant extranei, & in Evangelio populi citantur; qui apertè & palàm proclamaſſent, id quod S. Lucas narravit, commentitium eſſe, & falsò confictum: & tamen nullus unquàm contra veritatem rei geſtæ reclamavit.

Illud verò fuerat olim prædictum Joëlis c. 2. & Iſaiæ 44. v. 3. ut in argumento 1°. Significavimus.

Apparitio Chr. facta S. Stephano Proto Martyri.

Quid dicam de apparitione Chriſti jam in cœlo regnantis, factâ ſancto Stephano, pugili ſuo, dum ejus Divinitatem contra Judæos ardenter propugnaret? Nonne & hæc inter prodigia, Chriſti Divinitatem atteſtantia, meritò poteſt recenſeri? Cùm enim illum audiiſſent de Salvatore, quem præ invidiâ occiderant, magnifica & vera loquentem, ideoque fremerent in eum odio implacabili, ac diſſecarentur cordibus ſuis; *Ipſe*, ut tradit ſcriptura, *plenus Spiritu-Sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Cujus, ſui Ducis & Imperatoris aſpectû, ita recreatus eſt, & animo confirmatus, ut conſtanter ſe pro ejus gloriâ, lapidibus obrui & necari paſſus ſit; tantaque animi dulcedine perfuſus, ut ſui Domini exemplo, pro ſuis interfectoribus Deum enixè, ut iis parceret, precaretur. Sic enim habet textus ſacer; *Et lapidabant Stephanum invocantem & dicentem, Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum;*

Actor. 7. v. 55.

Digitized by Google

poſitis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens; Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum: & cùm hoc dixiſſet, obdormivit.

Quid item dicam de mirabili ſancti Pauli converſione? nonne & hæc ingens divinæ Chriſti gratiæ prodigium fuit? Dum enim Chriſtum, id eſt fideles, qui ſunt Eccleſiæ membra, cujus ipſe eſt Caput, immani furore perſequeretur, divinâ Chriſti voce perculſus, de equo cui inſidebat illicò deturbatus eſt, proſtratus, excæcatus, ad Dominum in quem furebat, uno pene momento converſus; repente in alterum mutatus, de lupo factus eſt agnus, de perſecutore prædicator, de inimico capitali Apoſtolus; proſtratus ut erigeretur, privatus viſu, ut veritatem intueretur. Sic rem ſine fuco narrat S. Lucas; *Saulus autem adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo Epiſtolas in Damaſcum, ad Synagogas; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Et cùm iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damaſco; & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo, & cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi; Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit; Quis es Domine: & ille; Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit; Domine quid me vis facere? Et Dominus ad eum; ſurge & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terrâ, apertiſque oculis, nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damaſcum. Et erat ibi tribus diebus non videns, neque manducans, &c.* Inde ab Anania divinitùs monito ut Saulum adiret, Saulus impoſitione manuum ab eo viſum

Mira Pauli per Chriſtum apparentē converſio.

Actor. 9. v. 1. &c. Ad Gal. 1. 13.

V. 13. &c.

recepit, & impletus eſt Spiritu-Sancto, ut Chriſtum
prædicaret. Quod munus paucis poſt diebus inchoa-
vit, cum omnium, qui eum noverant, admiratione:
Id quod ibidem ſcriptura ſignificat, his verbis. *Fuit*
V. 19. *autem cum Diſcipulis, qui erant Damaſci, per dies ali-*
&c. *quot; & continuò ingreſſus in Synagogas, prædi-
cabat Ieſum, quoniam hic eſt Filius Dei. Stupe-
bant autem omnes, & dicebant; nonne hic eſt, qui ex-
pugnabat in Ieruſalem eos qui invocabant nomen iſtud;
& huc ad hoc venit ut vinctos illos duceret ad principes
Sacerdotum. Saulus autem multò magis convaleſcebat,
& confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, af-
firmans quoniam hic eſt Chriſtus.*

Hæc ſunt mira, inſolita & admirabilia ſigna, qui-
bus, tanquàm vocibus divinis, placuit Æterno Patri,
Chriſti Filij ſui Divinitatem toti mundo declarare.
Quæ tanta ſunt, tam illuſtria & tam clarè loquentia;
ut qui iis non credit, neſciam quid poſſit prudenter,
aut velit credere. Quibus perſpectis, qui adhuc re-
Auguſt. l. 22. de Civit. Dei. ſiſtit, ipſe, ut verbis utar Auguſtini, ipſe inquam in-
ter homines magnum infidelitatis, & cæcitatis Prodi-
gium eſt.

DE VERI-

DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI.

CAPUT TERTIUM.

Tertium argumentum illius demonſtrativum.

Teſtes ſacri & profani.

POSTQUAM Divinitas Chriſti demonſtrata eſt Prophetiis veteris Teſtamenti, ipſum è longinquo venturum deſignantibus, & Prodigiis illum præſentem quaſi digito indicantibus: nunc ad ejuſdem probationem adduco teſtimonia vocalia perſonarum ex revelatione divina loquentium; nimirum. 1°. Sancti Joannis Baptiſtæ; deinde ipſiusmet Chriſti. 2°. Evangeliſtarum, quorum auctoritas quamvis ſpectaretur purè ut humana, non poſſet tamen prudenter haberi ſuſpecta, ut ex dicendis innoteſcet. Quibus Teſtibus fidei indubitatæ, non pigebit adjungere etiam profanorum & infidelium teſtimonia; ut in hoc genere probationis, nihil ultrà deſiderari poſſit.

SECTIO PRIMA.

Quadruplex S. Ioannis Baptiſtæ teſtimonium de Chriſti Divinitate.

PRimum teſtimonium divinitùs inſpiratum, eſt ſancti Joannis Baptiſtæ, quod Divinitati Chri- *Quadruplex*

teſtimonium S. Joan. Baptiſtæ, de Chriſti Divinitate.

ſti quater exhibuit, tanquàm Verbi incarnati præcurſor, & præco miſſus à Deo, ut Deum, hominem pro ſalute hominum factum, Judæis incredulis, quaſi digito monſtraret. Quemadmodum teſtantur ſcripturæ, tam veteris quàm novi Teſtamenti; *Erat*, inquit Joannes Evangeliſta, *homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes; hic venit, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum; non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Ioan. 1.

S. Ioannes Baptiſta miſſus ad Chriſtum declarandũ.

De quo, ut habetur Marci 3. v. 2. apud Iſaiam, & partim apud Malachiam, Prophetam ſcriptum eſt; *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam, qui præparabit viam tuam ante te; Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.*

Et Pſalmo 131. *Paravi lucernam Chriſto meo*: id eſt ipſum Joannem, quem fuiſſe lucernam, ſibi prælucentem, Dominus ipſe teſtatur, de eo dicens; *Ille erat lucerna, ardens & lucens.* Iſa. 40. v. 3. Malach 3. v. 1. Ioan. 5.

Nam ut ait Auguſtinus, quamvis Chriſtus eſſet lumen, quod per ſe cerni poteſt ab oculis ſanis: tamen quia quaſi in nocte apparuit in corpore mortali, & in denſiſſimis vitiorum tenebris; propter quæ Judæi lippientibus & infirmis oculis, lucem ipſam ferre non poterant: præter alios Prophetas quos ante ſe venire voluit, immediatè Joannem præmiſit, qui ideò lucerna dicitur, quia erat minus lumen, & lumen quod illuminabatur à Chriſto; ſicut ſtellæ minores à ſole. Unde dicebat ipſe Joannes Baptiſta; *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Chriſtus verò erat lumen illuminans, & de ſuo lucens. Ut igitur aſſueſcerent ferre diem, & lucem Chriſti, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: debuit lucerna præcedere, & Chriſtum oſtendere, teſtimonium perhibendo veritati. Tract. 4. in Ioan. & tract. 5. Ioan. 1. 16.

Id quod ſæpiùs fecit. 1°. Quando apud Jordanem,

Digitized by Google

impertiens baptiſmum, dixit; *Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt; Cujus non ſum dignus calceamenta portare; nec procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus. Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni,* (charitatis) *Cujus ventilabrum in manu ſuâ, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*

Matth. 3. v. 11. *Primũ teſtimonium S. Ioannis Baptiſtæ.* Marc. 1. v. 8. Matth. 3. v. 11 12.

Quæ verba ſignificant, non modò Chriſtum eſſe longè excellentiorem Joanne: ſed etiam eſſe Auctorem gratiæ, quam baptiſmo ſuo conferebat: & in judicio finali, homines ſummâ poteſtate judicaturum: quæ non alteri, quàm Deo poſſunt convenire.

Iterum Joannes Baptiſta, aliâ occaſione, (ut habetur Joan. 1. v. 15.) teſtimonium perhibet de ipſo (ſcilicet de Verbo, quod caro factum eſſe dicitur paulò antè, v. 14.) & clamat, dicens; *Hic erat quem dixi, qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, qui prior me erat. Et de plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ. Quia lex per Moyſen data eſt; gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo vidit unquàm: Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe narravit.*

Secundũm teſtimonium S. Ioan. Bapt. de Chr.

Et hoc eſt teſtimonium Joannis (pergit Evangeliſta) *quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum; Tu quis es? & confeſſus eſt, & non negavit, quia Non ſum ego Chriſtus. & interrogaverunt, Quid ergo, Elias es tu? & dixit Non ſum. Propheta es tu? & reſpondit, Non. Dixerunt ergo ei, Quis es ut reſponſum demus his qui miſerunt nos? quid dicis de teipſo? ait; Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta. Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis, & interrogaverunt eum, & dixerunt ei; Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Reſpondit*

Iſa. 43. v. 3.

eis Ioannes, dicens; Ego baptiӡo in aquâ; medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt; cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. Hæc in Bethaniâ facta ſunt, ubi erat Ioannes baptizans. Hactenùs Evangeliſta.

Tertiũ teſtimonium S. Ioannis Baptiſtæ de Chriſto. Ioan. 1. v. 29. & ſequ.

Aliâ vice tertiâ, idem Joannes non minùs clarè teſtatus eſt Divinitatem Chriſti, ut refert Evangeliſta, his verbis; *Alterâ die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi; hic eſt de quo dixi. Poſt me veniet vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat. Et ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit; Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.* Quid hoc teſtimonio expreſſius?

Quartũ teſtimonium S. Ioannis Baptiſtæ de Chriſto.

Quartum teſtimonium Joannis Baptiſtæ, de Chriſto Meſſiâ & Deo, habetur Joannis Evangeliſtæ c. 3. v. 22. & 25. in hæc verba. *Poſt hæc venit Ieſus, & Diſcipuli ejus in Iudæam terram; & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Joannes baptiӡans in Ænon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant & baptizabantur. Nondùm enim miſſus erat Ioannes in carcerem. Facta eſt autem quæſtio ex Diſcipulis Ioannis, cum Iudæis de purificatione. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei; Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Reſpondit Ioannes & dixit; non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quòd dixerim; Non ſum ego Chriſtus; ſed quia miſſus ſum ante illum. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt; amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi; hoc er-*

Digitized by Google

go gaudium impletum eſt. Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terrâ, de terrâ eſt, & de terrâ loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et quod vidit, & audivit, hoc teſtatur, & teſtimonium ejus nemo accipit. Qui accipit ejus teſtimonium; ſignavit, quia Deus verax eſt. Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.

Hæc Joannes de Chriſto locutus eſt Judæis: quibus ſignificabat, illum ſibi, tum dignitate, tum merito longè præcellere; illum eſſe miſſum à Deo, ſponſum Eccleſiæ, plenum donis Spiritûs Sancti; eſſe Filium Dei, cui de ſe id teſtanti, & in quem omnes debent credere, qui volunt vitam æternam conſequi.

Ex quibus manifeſtum eſt teſtimonium ſancti Joãnis Baptiſtæ, de Divinitate Chriſti; quod quanti ponderis, & quantæ auctoritatis ſit, nemo non videt. Hominis ſcilicet, cujus nativitas fuit pluribus prodigiis illuſtrata; vita virtutum præſtantiâ, & ſanctitate ita mirabilis, ut ipſum Iudæi Meſſiam eſſe vehementer ſuſpicarentur; & niſi ejus humilitas illorum votis obſtitiſſet, pro Meſſiâ fuiſſent recepturi. Cujus mors martyrio nobilitata. Qui fuit ita perfectus, ut de illo Dominus ipſe dixerit; *Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſtâ*, Qui fuit Propheta, & pluſquàm Propheta; tantæ abſtinentiæ, ut à ſcripturâ dicatur vir, neque manducans, neque bibens; tantæ auſteritatis, ut penè nudus incederet, humi cubaret; in ſylvis, inter feras, degeret; ſolis locuſtis pro victu, & aquâ contentus; continuâ rerum divinarum contemplatione abſorptus.

Teſtimoniũ S. Ioannis Baptiſtæ eſt maxima & certæ auctoritatis.

Matth. 11.

Quare meritò S. Auguſtinus; *Quodnam*, inquit, *po-*

teſt eſſe majus teſtimonium veritatis, quàm ejus, qui ſe humiliando, eum agnovit & confeſſus eſt, eſſe Meſſiam, cui æmulando potuit invidere; qui cùm putaretur eſſe Chriſtus, & pro Chriſto poſſet haberi; ut præconis munus fideliter impleret, noluit tamen haberi Chriſtus. Confeſſus eſt enim apertè, & dixit; nolite errare, non ſum ego Chriſtus; ille medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis; cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam corrigiam calceamenti.

Aug. ſerm. 1. de S. Ioan. Bapt. & tract. 4. in Ioan.

Quis putet virum tam ſanctum, in re tanti momenti mentiri voluiſſe, dum Chriſtum eſſe Meſſiam pronunciavit? aut temerè affirmaſſe, quod neſciret? Et non potiùs ex peculiari Dei revelatione; atque etiam ex notitiâ antiquarum prophetiarum; ac miraculorum Chriſti, id certò cognoviſſe. Nonne igitur tantum & tam grave teſtimonium, quamvis alia deeſſent, ſufficere deberet, ad fidem de Chriſto Domino ſtabiliendam?

Sectio Secunda.

Teſtimonium ipſius Chriſti de ſuâ Divinitate.

Sed tametſi Teſtimonium illud ſancti Ioannis Baptiſtæ ſit maximæ autoritatis; alterum ſubjicio adhuc validius, nempè ipſiuſmet Chriſti de ſeipſo; qui ſæpè clariſſimè pronunciavit, ſe eſſe verum Deum, & filium Dei vivi. Ut Ioannis 10. v. 30. cùm dixit; *Ego & Pater unum ſumus. Quam ob cauſam,* ut refert ibidem Evangeliſta, *ſuſtulerunt lapides Iudæi, ut lapidarent. Quibus reſpondit Ieſus, Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo; propter quod opus me lapidatis? Reſponderunt ei Iudæi, de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemiâ; & quia tu cùm homo ſis, facis teipſum Deum. Reſpondit eis Ieſus, nonne ſcriptura*

Teſtimoniũ Chriſti de ſuâ Divinitate.

eſt in lege veſtrâ, quia, Ego dixi, Dii eſtis. Si ille dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura; quem Pater ſanctiſicavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ego ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite; ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre, Quid dici poteſt expreſſius? Pſal. 81 v. 7.

Item, cæco nato quem ſanaverat Chriſtus, & quem ejecerant Iudæi, quia affirmabat ſe ab eo illuminatum fuiſſe, cùm eum inveniſſet dixit; *Tu credis in filium Dei? reſpondit ille & dixit; Quis eſt Domine ut credam in eum? & dixit ei Ieſus, Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. At ille dixit, Credo Domine; & procidens adoravit eum.* Ioan. 9 v. 35. &c.

Et Marci 16. dicenti Petro, *Tu es Chriſtus, filius Dei vivi;* reſpondit; *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.*

Item Marci 14. quando Caïphæ interroganti, num eſſet filius Dei benedicti, reſpondit; *Ego ſum,* Dei ſcilicet filius naturalis, de quo interrogabatur, & propter quod ſubjecit Caïphas; *blaſphemavit, audiſtis blaſphemiam, &c.*

Et Ioannis 5. dicitur; *propterea magis eum quærebant Iudæi interficere, quia Patrem ſuum, dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Et aliis pluribus locis.

Non eſt autem quod quis dicat, teſtimonium Chriſti de ſeipſo recipi non debere, cùm valdè proclive ſit, ut quiſque in ſuâ causâ falſum dicat. Quamvis enim homini de ſe teſtificanti, fides non ſoleat haberi: tamen quando cujuſpiam probitas, & veracitas ita nota eſt, ut certum ſit eum nolle mentiri: nihil vetat, quominùs tali homini de ſe aliquid affirmanti credatur.

Teſtimoniũ Chriſti de ſeipſo, non debet eſſe ſuſpectum.

Digitized by Google

Sanctitas Chr. removet ab ejus teſtimonio, omnem falſitatis ſuſpicionē.

Chriſti verò teſtimonium de ſua Divinitate, debet eſſe ab omni ſuſpicione falſitatis quàm maxime alienum. Primò ob inſignem ejus ſanctitatem, in omnibus ejus verbis, factis, & doctrinâ relucentem, de quâ fuſiùs diſſeremus infra cap. 4. ubi de veritate miraculorum ab ipſo editorum. Atqui ſi Chriſtus non fuiſſet verè Meſſias, & filius Dei, uti prædicabat, & volebat credi: ſanè impiiſſimus & nequiſſimus impoſtor extitiſſet. Nec potuiſſet ita toto vitæ ſuæ tempore, nequitiam diſſimulare ac tegere, quin aliquandò in dictis, aut factis erumperet. Nemo enim poteſt eſſe diù inſigniter malus, quin aliquâ ratione tandem ſe prodat. Cujus tamen nunquàm ne minimum quidem veſtigium reliquit. Quin potiùs è contrà, nihil unquàm egit, dixit, aut docuit, quod non ſummam integritatem, virtutem, & ſanctimoniam redoleret; ut ejus vitam, & mortem conſideranti apertè notum eſſe poteſt. Enimverò nec ejus Adverſarii, quantumvis odio & invidiâ perciti, potuerunt ei quidquam objicere, quod alicujus ſpeciem criminis veriſimilem haberet. Unde ejus Iudex Pilatus, palàm & ſæpè ejus innocentiam conteſtatus eſt; conſtatque eum non aliter quàm metu Cæſaris incuſſo, condemnaſſe.

Teſtimoniū Chriſti ex miraculis certum redditur.

Deinde ejus teſtimonium ſuffultum erat ac munitum, innumeris ſtupendiſque miraculis, quibus veracitatem ſuam, ac Divinitatem certò comprobabat. Quamobrem aiebat Ioan. 5. v. 36.

Ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me. Et cap. 15. *Si non veniſſem, & opera in eis non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo; nunc & viderunt & oderunt, & me & Patrem meum.*

Ille profectò teſtis maximam fidem meretur, qui magis miraculis loquitur, quàm verbis; nihilque di-

cit, quod cœli ſuffragio, & omnipotentiæ divinæ calculo non confirmet. Sed de miraculis Chriſti pleniùs poſteà ſuo loco.

Non poſſum autem hîc omittere, quod in eandem ſententiam præclarè ſcripſit Auguſtinus ad eum locum, ubi Chriſtus Judæis, illi objicientibus, quòd teſtimonium ſibi perhiberet; ait; (*Si ego de me teſtimonium perhibeo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio undè ſum, & quò vado.*) *Lumen*, inquit, *alia demonſtrat, & ſeipſum. Accendis lucernam, ut quæras ex. gr. tunicam; nunquid accendis lucernam, ut videas ardentem lucernam? Lucerna idonea eſt, & alia quæ tenebris operiebantur, nudare, & ſeipſam tuis oculis demonſtrare. Sic & Dominus noſter ſeipſum exhibens, & fideles & Iudæos inimicos radio fidei perfundebat; & illorum etiam clauſos oculos circumfundebat. Nam etiam ſol iſte, & alia objecta, & ſeipſum manifeſtat. Quidni igitur lux teſtimonii Divini, ſeipſam prodat? & Chriſtus, qui ſol, gratiæ & gloriæ eſt, de ſeipſo teſtetur, quod eſt?*

Ioan. 5. 31. Auguſtinus tract. 35. in Ioan. *Lumen alia & ſeipſum demonſtrat.*

Sectio Tertia.

Teſtimonium Evangeliſtarum de ejuſdem Chriſti Divinitate.

TEſtimonium tertij generis item maximè luculentum & ſplendens, eſt Evangeliſtarum & Scriptorum Canonicorum; qui non tantùm verbis, ſed & ſcriptis, toto orbe Chriſtum, tanquàm filium Dei, & verum Deum prædicaverunt.

Teſtimoniũ Evangeliſtarum de Divinitate Chriſti.

Et quidem S. Joannes, non alio fine ſuum Evangelium ſcripſit, quàm ut Divinitatem Chriſti, contra Ebionitas hæreticos, toti Eccleſiæ propalaret. Qui poſtquàm initio declaravit generationem æternam,

Digitized by Google

& Divinitatem Verbi, ſubdit, Verbum illud Divinum eſſe incarnatum, utique in Chriſto de quo loquitur; *Et Verbum*, inquit, *Caro factum eſt, & habitavit in nobis; (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre,) plenum gratiæ & veritatis.*

Joan. 1. v. 1. &c.

Item Joan. 6. v. 67. Petrus nomine aliorum Apoſtolorum loquens, reſpondit Chriſto; *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognovimus, quia tu es Chriſtus, Filius Dei.*

Et Matth. c. 16. v. 16. *Reſpondens Simon Petrus, dixit; Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.*

Item Apoſtolus ad Coloſſ. 2. v. 9. *Quia in Chriſto inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter; qui eſt Caput omnis Principatus, & poteſtatis.*

Et ad Romanos 8. v. 3. *Nam quod impoſſibile erat legi, in quâ infirmabatur per carnem, Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, &c.*

Et ad Galat. 4. v. 4. *Et ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum ex muliere, factum ſub lege; ut eos qui ſub lege erant redimeret, &c.*

Et ad Philip. 2. v. 6. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, habitu inventus ut homo.*

Ad Titum 2. v. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, &c.*

Denique ut prætermittam innumera alia loca ſcripturæ, quibus Evangeliſtæ & Apoſtoli in ſuis Epiſtolis, hanc ubique veritatem fidelibus inculcant: Joannes Epiſtolæ primæ cap. 5. v. 1. ſic habet; *Omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.*

Et v. 5. *Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei, &c.*

Et v. 20. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & de-*

Digitized by Google

dit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus; hic eſt verus Deus, & vita æterna.

Itaque omnes Scriptores ſacri apertè & unanimiter teſtati ſunt, Chriſtum eſſe Filium Dei, & verum Deum. Si qui autem teſtes fide digni ſunt, profectò maximè illi, & quidem plures ob cauſas. Nimirùm quia hanc veritatem crediderunt, & annunciaverunt, non tantùm divinâ revelatione cœlitùs illuſtrati: ſed etiam convicti ſignis & miraculis inſignibus à Chriſto editis, in confirmationem ſuæ Divinitatis. Quippe qui fuerunt teſtes oculati vitæ, ſanctitatis, & geſtorum Chriſti; inſpectores prodigiorum, quibus Deus Filij ſui Divinitatem identidem declaravit; miraculorum omnis generis à Chriſto vivente patratorum; ejus Reſurrectionis glorioſæ, & Aſcenſionis in cœlum. Præterquàm quòd ipſi, inter prædicandum populis Evangelium, videbant ſe in virtute Chriſti, miracula paſſim facere, nempè ut ſcriptum eſt; *Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Adeò magnis, frequentibus & illuſtribus, ut brevi totus orbis à Gentiliſmo & Idololatriâ, ad veri Dei cultum traductus ſit. Rectè igitur potuerunt Scriptores ſacri, & Chriſti Diſcipuli hæc verba uſurpare, quæ Chriſtus ipſe dicebat Nicodemo, Joan. 3. v. 11. *Quia quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus teſtamur*: & reipſa dixit Ioannes Apoſtolus in prima ſua Epiſtolâ; *quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ, teſtamur & annunciamus vobis, &c.*

Scriptores ſacri ſunt fide digniſſimi.

Marc. 16. v. 20.

1. Ioan. 1. v. 1. & 3.

Neque verò poteſt quis, niſi per ſummam temeritatem, exiſtimare aut ſuſpicari, illos voluiſſe toti mundo imponere, falſa ſcribendo, & prædicando in gratiam Chriſti. Nam primo ex hiſtoriis vitæ Apoſtolorum, ex illorum ſcriptis; atque adeò ex ipſorum

Non ij fuerunt ut vellent homines decipere in rebus fidei.

adverſariorum confeſſione, conſtat eos fuiſſe, non tantùm vitæ integerrimæ, ſed etiam eximiæ virtutis. Eſt autem omninò à ratione alienum credere, homines tantæ probitatis, falsò & impiè, in re tantâ omnibus gentibus illudere voluiſſe.

Deinde, quæ de Chriſto literis prodidêre, ſcripſerunt eo tempore & loco, quo ab innumeris teſtibus oculatis, qui adhuc vivebant, convinci potuiſſent impudentiſſimæ falſitatis, ſi mendacia in publicum dediſſent. Quis autem putet eos uſque adeò imprudentes fuiſſe, & non modò pudoris, ſed & judicij expertes? cùm hoc ipſo quòd apertas falſitates propalaſſent, omnem fidem veritati Evangelicæ quam prædicabant, ademiſſent.

Eorum concordia oſtendit veritatē narrationis.

3. Maxima eorum in narrandis Chriſti geſtis, conformitas atque concordia, eſt ſanè magnum argumentum eorum ſinceritatis. Sua enim Evangelia & Epiſtolas ſcripſerunt, locis diſtantibus, & temporibus diverſis, diverſo idiomate ad varias nationes, nullâ habitâ inter ſe rerum ſcribendarum communicatione. Et tamen in præcipuis quibuſque rebus ita convenerunt, ut non plures, ſed unicum Evangeliſtam, omnia exaraſſe diceres.

Ex ſtylo ſimplici Evangelij, ſinceritas eluceſcit.

Quam ſinceritatem & fidelitatem in ſcribendo, indicat quoque ipſe ſtylus ſimplex, quo uſi ſunt, ſine fuco, ſine ornamento verborum; ſine exaggerationibus, ſive in laudando, ſive in vituperando; ſine teſtificatione ullius commotionis, vel iræ, vel odij, aut indignationis, & ſimilium. Id quod oſtendit & ſummam ſcribentium moderationem, & ſimul rerum ſcriptarum nudam veritatem.

Eo tempore ſcripſerunt,

4. Id valdè conſiderandum eſt, quòd eo tempore ſcripſerunt, & Evangelicas veritates per orbem prædicarunt, quo nihil à Chriſto, jam mortuo, ſi impoſtor fuiſſet, ſperare poterant; nec ab aliis, quibus ad

Digitized by Google

Chriſtum adducendis adlaborabant; niſi perſecutiones, carcerem, cruces, tormenta, & mortem probroſam. Quas res velle ſubire gratìs, & cum tanto diſpendio, pro mendaciis evulgandis, extremæ profectò eſſet inſaniæ.

quo nihil temporale poterãt à Chriſto ſperare. Et ab aliis nonniſi perſecutiones.

5. Denique, hoc omnem deceptionis & fraudis ſuſpicionem, prudenter expendenti, certiſſimè poteſt amovere, quòd pro veritate Divinitatis Chriſti tuendâ, quam gentibus annunciabant, vitam ultrò & ſanguinem profudêre. Ex quibus benè penſatis perſpicuum eſt, illos in iis quæ de Chriſto tradiderunt & crediderunt, neque fuiſſe deceptos, neque nos decipere voluiſſe.

Id ſine dubio verum crediderunt, pro cujus veritate tuendâ, mortui ſunt.

Sectio Quarta.

Teſtes profani, de Chriſti Divinitate.

HIs teſtimoniis ſacris, indubitatis, & omni exceptione majoribus, ſupervacaneum videtur, infidelium ſenſa de Chriſto ſubjungere: nihilominùs, quamvis hæc probatio non ſit ſufficiens de ſe, nec idonea ad certam fidem faciendam: quia, cum prædictis poſſunt aliquid ad confirmationem valere; præſertim apud eos qui ex impietate quadam innatâ, non minus authoritatis tribuunt ejuſmodi Scriptoribus, quaſi minùs ſuſpectis, quàm ſacris; aliquot eorum teſtimonia non gravabor addere.

Atque imprimis dignum eſt ut referatur illud, quod Ioſephus, Iudæus gente & religione, ex genere Sacerdotum, rerum Judaïcarum ſcriptor nobiliſſimus, aliiſque rebus geſtis clariſſimus, & Chriſti ferè contemporaneus, libro 18. Antiquit. c. 4. protulit. Sic habet; *Eodem tempore fuit Ieſus, vir ſapiens, (ſi tamen virum, eum fas eſt dicere;) erat enim mirabilium operum pa-*

Teſtimoniũ

Ioſephi de Chr. Divinitate.

trator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt; plurimoſque tam de Judæis, quàm de gentibus, ſectatores habuit. Chriſtus hic erat, quem accuſatum à noſtræ gentis Principibus, Pilatus cùm Cruci addixiſſet: nihilominùs non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant: Apparuit enim eis tertiâ die vivus, ita ut de eo divinitus Vates hoc & alia miranda prædixerint. Et uſque in hodiernum diem, Chriſtianorum genus, ab eo denominatum, non deficit. Hæc Ioſephus, qui verbis iſtis (Chriſtus hic erat) Jeſum fuiſſe Meſſiam, fatetur. Nam Chriſtus græcè, (quâ linguâ ſcripſit Ioſephus, idem eſt quod hebraicè Meſſias: unctus, latinè.) In cæteris agnoſcit miracula Chriſti, doctrinam ſanam, Reſurrectionem, prophetias de illo factas, &c. Quæ ſola ſufficiunt ad aſtruendam ejus Divinitatem.

Teſtimoniū Tiberij de Chr.

Baronius ad an. Ch. 34. n. 63 & 35. n. 16. Michaël Medina lib. 2. de rectâ in Deum fide cap. 9. ad finē ex Tertulliano.

Tiberius Cæſar, quo imperante, mundo cœpit nomen Chriſtianum effundi, teſte Tertulliano; auditâ ex Syriâ Palæſtinæ, Chriſti famâ, decrevit eum in Deum conſecrare. Cùmque rem ad Senatum detuliſſet, cum prærogativâ ſuffragij ſui; & Senatus noluiſſet, eò quòd Pilatus de miraculis, & Reſurrectione Chriſti, ac de falſis Iudæorum in eum accuſationibus, Epiſtolâ ſcriptâ, priùs Cæſarem quàm Senatum admonuiſſet: nihilominùs ipſe Tiberius in ſententiâ permanſit; comminatus inſuper, ſi quis calumniam Chriſtianis hominibus deinceps intentaret.

Michaël Medina ſuprà.

Teſtimoniū Apollinis Mileſii de Chriſto.

Apollo Mileſius, de Chriſto conſultus, in hunc modum reſpondit; *Mortalis erat corpore, ſapiens, prodigiorum effector: ſed ſub judicibus Chaldæis, armis comprehenſus, clavis, fuſtibúſque amaram mortem paſſus eſt.*

Porphyrij.

Porphyrius ille impius, libro de reſponſis, ita ſcribit de Chriſto; *Chriſtum dij maximè pium pronunciaverunt, immortalemque evaſiße aſſeruerunt, benignè admodùm de illo teſtificantes.* Additque, Hecaten

Digitized by Google

Deam interrogantibus de Chriſti animâ reſpondiſſe; *Viri præſtantiſſimi eſt illa anima, hanc colunt à rigiditate alieni: Chriſtus ipſe pius in cœlum, ſicut pij, conſcendit; huic ergo ne derogaveris.* Concedit demùm Porphyrius, Chriſtum & ſapientem, & pium fuiſſe; quamvis Chriſtianos partim indoctos, partim magos nominet, pro ingentis odij, quo in illos flagrabat, affectu; tum veritati, tum ſibi repugnans.

Narrat Iulius Capitolinus, Hadrianum Cæſarem ſtatuiſſe Chriſto templa, eumque inter Deos recepiſſe; idcóque templa abſque ſimulacris, in omnibus civitatibus fieri præcepiſſe; quæ in ejuſdem auctoris memoriam, quòd deſtituerentur numinibus, Hadriani vocarentur. Fuit autem prohibitus ea Chriſto dicare; quoniam ſacrorum Augures, idolis conſultis acceperant, ſi id fieret, omnes fore Chriſtianos. *Hadriani Imperatoris.*

Idem Iulius Capitolinus refert, Alexandrum Severum, juſſiſſe templa Chriſto dicari; quod cùm ex voto non cederet, Chriſti effigiem in Larario collocaſſe; ad quam ſolebat, ſub auroram, orationem fundere. *Alexãdri Severi.*

Antoninus Pius, cùm audiſſet, Chriſtianos frequenter hoc effatum uſurpare; *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Perſcrutatus Chriſti vitam, eidem ſtatuam dicavit. Quod forſan fecit, Iuſtini Martyris ſuaſu, qui ei librum pro Religione Chriſtianâ dedicarat.

Quid quòd ipſe Mahometes, Chriſtianorum hoſtis acerrimus, Divinum quid ineſſe Chriſto confeſſus eſt? ſic enim de eo locutus eſt in Alcorano; *Spiritus Dei teſtimonium reddidit Chriſto, Mariæ filio. Anima divina fuit illi indita; nuncius eſt, Spiritus & Verbum Dei. Ejus doctrina perfecta eſt; ve-* *Mahometis.* Azo ar. 1. 41. 13. &

teri Teſtamento magnam attulit lucem, *&c.* Plura alia ex Mahomete de Chriſto, infra referentur cap. 4. ubi de ejus miraculis.

Mirare hîc, Lector, Sapientiam Dei, quæ ex ore ipſo Gentilium, & inimicorum Chriſti, teſtimonia extorquet Divinitatis Filij ſui. Non eſt autem exigua hominis verè Chriſtiani conſolatio, iſta de Chriſto Domino, ab ipſis adverſariis facta, & dicta legere.

DE VERI-

Digitized by Google

DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI.

CAPUT QUARTUM.

Quartum argumentum illius demonſtrativum.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit, & quotuplex Miraculum.

UNUM ex præcipuis argumentis Divinitatis Chriſti, & Religionis Chriſtianæ, ſunt miracula ipſius Chriſti, & Apoſtolorum; ſive opera Dei extraordinaria ſupra vim cauſarum naturalium, quæ nobis dantur, tanquàm ſigillum revelationis divinæ, & teſtimonium ipſius Dei, veritatem aliquam declarantis. Cùm enim myſteria quæ nobis proponuntur credenda, ut plurimùm, non tantùm per ſe obſcura ſint, ſed etiam ſupra naturam; ideóque ratione naturali probari & innoteſcere nequeant: ut fides noſtra non ſit imprudens & temeraria, Dei Providentia, quæ diſponit omnia ſapienter & ſuaviter, res fidei reddidit nobis evidenter credibiles per media quædam ſupernaturalia quidem, ſed tamen ſenſibilia; ſcilicet per prophetias, per prodigia, per miracula, & alia ejus generis ſigna.

Deus per miracula reddidit nobis res fidei evidenter credibiles.

Antequàm autem hujus argumenti nobiliſſimi tra-

ctationem ingrediar: ſciendum eſt, nomen miraculi interdùm latiùs & impropriè ſumi, pro effectu inſolito, qui vires naturæ humanæ, & cauſarum naturalium ordinarias excedit; quique, cùm cauſam neſcimus, admirationem parit. Ex eo enim miraculum dicitur, quòd qui ejus ignorat cauſam, miratur. Quales effectus fieri poſſunt ope Dæmonum, interventu agentium naturalium, quæ ab ipſis ſubtiliter applicantur.

Miraculum dupliciter ſumitur, impropriè & propriè.

Miraculum autem propriè dictum à Theologis definitur, opus aliquod ſenſibile, factum in rebus corporeis, quod ſuperat vires totius naturæ, tum activas tum paſſivas. Dicitur 1. opus ſenſibile, quia admiratio in hominibus, eſt de rebus ſenſui manifeſtis. Intellige, vel per ſe ſenſibile, vel per aliquem effectum; quo pacto ſcientia Apoſtolis infuſa in die Pentecoſtes, cenſetur miraculoſa, ut ait S. Thomas; quia quamvis ſecundùm ſe non fuerit manifeſta; manifeſtabatur tamen in effectibus, ex quibus mirabilis apparebat. Per hanc autem particulam, excluditur à ratione miraculi, juſtificatio impij, quæ quamvis à ſolo Deo fiat, non tamen propriè loquendo, miraculum nuncupatur, ut docet S. Doctor art. 7. cit. ad 1.

S. Th. 1. p. q 105 art. 7. 8. *Quid ſit miraculũ propriè dictum.* S. Th. ſuprà art. 7. ad 2.

Deinde additur, factum in rebus corporeis, utique jam exiſtentibus; quam ob cauſam creatio mundi non reputatur inter miracula.

3. Dicitur, quod ſuperat vires totius naturæ creatæ; id eſt, tum humanæ, tum Angelicæ atque agentium naturalium. Ideò ſolus Deus poteſt eſſe auctor ſeu cauſa principalis miraculorum, juxta illud Pſalmiſtæ; *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Unde effectus qui ſuperant tantùm virtutem naturæ humanæ, quamvis ſint ſæpè hominibus mirabilia, non ſunt tamen miracula.

Deus ſolus eſt auctor verorũ miraculorũ. Pſal 71. v. 18.

4. Additum eſt, ſupra vires tum activas tum paſ-

ſivas, creaturæ; id eſt, effectus debet eſſe ejuſmodi ut non modo non poſſit effectivè produci ab ullâ cauſâ creatâ; ſed etiam ut ſit ſupra exigentiam naturalem ſubjecti in quo producitur. Unde productio animæ rationalis in corpore organizato, & idoneè diſpoſito ad illam recipiendam, quamvis ſit à ſolo Deo, non eſt miraculoſa, nec ſupernaturalis.

Sciendum 2. Miraculum propriè dictum, poſſe eſſe triplicis generis, ex S. Thoma; quia, inquit, aliquod opus poteſt excedere facultatem naturæ, tripliciter. 1. Quantum ad ſubſtantiam facti, ita ut nunquàm à naturâ creatâ fieri queat; putà quòd duo corpora ſint ſimul penetrativè, aut quòd humanum corpus glorificetur. Hoc enim natura nunquàm efficere poteſt. Et iſta tenent ſummum gradum in miraculis.

S. Th. 1. p. q. 105. art. 8. in C. *Miraculum propriè dictum poteſt eſſe triplicis generis.*

2. Aliquid excedit facultatem naturæ, non quantùm ad ſubſtantiam facti, ſive non quantùm ad id quod fit; ſed quantùm ad id in quo fit; id eſt quatenùs fit ex tali materiâ, vel in tali ſubjecto; qualis illuminatio cæcorum, ſuſcitatio mortuorum, & ſimilia. Poteſt enim natura cauſare vitam, ſed non in mortuo; & poteſt tribuere viſum, ſed non cæco. Et hæc tenent ſecundum gradum in miraculis.

3. Aliquid excedit vires naturæ, ſolùm ſecundùm modum producendi. Ut ſi morbus curetur ſine ullo medicamento, aut omninò ſubitò; cùm per vires naturæ non fuerit curabilis, niſi ſenſim & adhibito medicamento. Item cùm aër virtute divinâ in pluvias denſatur abſque naturalibus cauſis; ſicut factum eſt olim ad preces Samuëlis, & Eliæ. Et hæc infimum locum tenent in miraculis.

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA.

Quod Deus veris miraculis atteſtatur, illud certiſſimè verum eſſe.

SUppoſitâ prædictâ notione miraculi, probationem evidentem Divinitatis Chriſti, ex miraculis conficio in hunc modum. De eo non poteſt in fide dubitari prudenter, nec rationabiliter, quod plurimis, certis, ac manifeſtis eſt atteſtatum miraculis: Atqui Divinitas Chriſti Domini, quamplurimis, certis ac manifeſtis miraculis fuit atteſtata: igitur de ea non poteſt prudenter, nec rationabiliter dubitari; & conſequenter certò ac firmiſſimè debet credi.

Totalis diſcurſus hujus diſſertationis.

Prima hujus argumentationis propoſitio, quam ſolam verificandam aggredior hâc ſectione, conſtat & evidenter oſtenditur ex ipsâ naturâ ſeu definitione miraculi; quod ut antè dictum eſt ex doctrina ſancti Thomæ ac Theologorum, eſt effectus ſupra vires totius naturæ creatæ productus; cujus proinde ſolus Deus poteſt eſſe auctor, & cauſa principalis. Si enim ab alio produci poſſet, jam hoc ipſo non excederet virtutem totius naturæ creatæ. Cùm igitur Deus, qui ex eſſentiâ ſuâ, eſt prima veritas, cui omninò repugnat mentiri, aut mendacium atteſtari; cùm, inquam, cujuſpiam rei credendæ veritatem, miraculo nobis atteſtatur; ejus teſtimonium certum eſt, & veritas quam atteſtatur, indubitata: ſiquidem ita verax eſt, ut ratione ſuæ ſapientiæ non poſſit falli; & ratione bonitatis infinitæ, non poſſit velle fallere.

Probatio primæ propoſitionis.

Deus qui eſt ſummè verax non poteſt atteſtari falſum.

Id quod pluribus locis affirmat ſcriptura, ut cùm ait; *Non eſt Deus ut homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis ut mutetur.* Quare, ſicut omninò impoſſibile eſt, Deum qui infinitè perfectus eſt, intrinſecè

Num. 18.

Digitized by Google

mutari : ita impoſſibile eſt, eum qui infinitè verus eſt, unquàm mentiri. Idipſum Apoſtolus conceptis verbis aſſerit; *Impoſſibile eſt*, inquit, *mentiri Deum.* Et alibi; *Eſt autem Deus verax, & omnis homo mendax.* Itaque hoc habet Deus ſibi proprium, ut non poſſit niſi verum eloqui.

Probatur ex ſcripturâ. Ad Hebræos 6. Ad Rom 3.

Hanc veracitatis ſummæ perfectionem, omnes ſancti Patres unanimiter profitentur. Satis erit ex multis pauca eorum teſtimonia referre. Sic de eâ S. Chryſoſtomus loquitur; *Creditis Deo omnipotenti, quia poſſe illius, non poteſt invenire non poſſe : tamen aliqua non poteſt, utpotè falli, fallere & mentiri.* Et S. Auguſtinus; *Deus*, inquit, *Omnipotens eſt; & cùm ſit omnipotens, mori non poteſt, mentiri non poteſt: quàm multa non poteſt, & omnipotens eſt? Et ideò omnipotens, quia illa non poteſt; nam ſi mori poſſet, ſi falli, ſi fallere, non eſſet omnipotens.*

Probatur ex ſanctis Patribus. Chryſoſt. Homil. 5. in ſymbol. Apoſtolorum. S Aug. libro de ſymbolo ad Catechum. c. 1.

Ratio autem hujus rei, quam afferunt Theologi, hæc eſt; Quia cùm Deus ſit ens ſummè & infinitè perfectum, in ſuâ eſſentiâ infinitâ continet omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, ut loquuntur; hoc eſt, puras & nulli admixtas imperfectioni. Atqui attributum veracitatis, quod conſiſtit in eo, ut non poſſit falſum dicere, aut mentiri, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, præſtantiſſima, & quæ nullam imperfectionem involvit, ut manifeſtum eſt. Igitur neceſſe eſt ſummam veracitatem ineſſe Deo; quæ ſanè non eſſet ſumma, nec quanta poteſt cogitari, ſi aliquando poſſet proferre, aut atteſtari mendacium; nec ejus authoritas in perſuadendo, certa eſſet & infallibilis, ſi poſſet eſſe author, aut teſtis alicujus falſitatis.

Probatur ratione Theologicâ.

Quod cùm ſit evidens & indubitatum, manifeſtè ſequitur, Deum non poſſe miraculum edere, ad teſtandam aliquam falſitatem; & quando quædam edit mi-

Certiſſimè; tum ſ

quod Deus per miracula teſtatur.

racula in confirmationem cujuſpiam rei, quam vult nobis ſignificare, illam ſine dubio veram eſſe.

Idque tam certum eſt, ut verè poſſimus dicere, nullum eſſe probationis genus, ad veritatem aliquam ſuadendam validius & magis convincens, quàm quod ex miraculis habetur; ut potè quæ ſunt, ut dixi, character infallibilis, & ſigillum proprium locutionis divinæ; quæ nulli alteri convenire poſſunt; habentque neceſſariam cum veritate rei, per ea atteſtatæ connexionem.

Inexcuſabiles ſunt, qui poſt viſa miracula non credunt. Ioan. c. 15.

Quam ob cauſam Chriſtus Dominus Judæis dicebat illos eſſe inexcuſabiles, ex eo quod cùm tot ſigna vidiſſent ab eo patrata, adhuc renuebant credere. *Si*, inquit, *opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum*, (incredulitatis) *non haberent. Nunc autem viderunt & oderunt*, *&c.*

Ex atteſtatione miraculorum jure Deus exigit à nobis fidem firmam.

Atque hinc maximè fides noſtra, ſuam certitudinem, & firmitatem adhæſionis trahit. Ex iſtâ quippè miraculorum atteſtatione, jure Deus exigit à nobis ſubmiſſionem noſtri intellectus in obſequium fidei: ut quamvis revelationem divinam & res Apoſtolis revelatas, clarè & evidenter non cognoſcamus; illas tamen propter authoritatem divinam, miraculis declaratam & confirmatam, tantâ fidei firmitate credamus, ut omnem voluntariam dubitationem excludat; quicquid ſenſus, aut ratio humana in contrarium poſſit obtendere; plus per cultum intellectualem veracitatis divinæ, deferendo ejus locutioni, miraculis obſignatæ; quàm cuivis humanæ rationi in oppoſitum apparenti.

Neceſſe fuit ut initio naſcentis Eccleſiæ,

Quamobrem neceſſe fuit, ut ſaltem initio naſcentis Eccleſiæ, miracula paſſim ederentur, quibus confirmata, Religio Chriſtiana ſtabiliretur, ac fundaretur. Ne qui illam amplecterentur, damnarentur levitatis; credendo tantâ animi adhæſione, res tam no-

Digitized by Google

vas, tam inauditas, & primo aſpectu tam incredibiles. Certum quippè eſt, non eſſe credendum temerè, & ſine ſufficienti fundamento. Nam ut ait Sapiens: *Qui credit citò, levis eſt corde.* Ideò Chriſtus Dominus dicebat Judæis; *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſi autem facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus,* (i. miraculis,) *credite; ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* *miracula fierent.* Eccleſiaſtici. 19. Ioan. 10.

Nec immeritò ſanè, cùm nihil ſit in rebus humanis magis compertum, quàm naturæ ordinem, ſemel ſtatutum, à nullo alio, quàm à Deo poſſe immutari.

Itaque, hanc per miracula & prodigia, ſuadendi rationem, quaſi mortalibus magis ſenſibilem & propriam, Divina Providentia elegit in confirmandâ Evangelicâ prædicatione. *Chriſtus dat Apoſtolis facultatem miraculorũ.*

Hinc Chriſtus, quandò Diſcipulos ſuos miſit ad Evangelium toto orbe prædicandum, & gentes ad fidem traducendas; hâc ſolâ miraculorum poteſtate, cum ſanctâ quadam ſimplicitate, non autem mundi ſapientiâ, & eloquentiâ inſtructos, miſit. Ut illis ipſe ſignificavit in hæc verba; *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum, &c. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici; & nihil vobis nocebit.* Matth. 10.

Et poſteà; *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni Creaturæ; eos autem qui crediderint, hæc ſequentur; In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Matth. 16.

Ita verò contigiſſe, docet Apoſtolicorum geſtorum hiſtoria, ubi ſic habetur; *Per manus autem Apoſtolorum, fiebant ſigna & prodigia multa in plebe.* Actor. 2.

Quis verò ex eis fructus ſequeretur, ſubjungitur; *Magis autem augebatur credentium in Domino multi-* Actor. 5.

Apoſtolorum miracula frequẽtia.

tudo, virorum ac mulierum. Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis.

Cõverſio populorum ex miraculis.

Quantam verò apud Gentes, eadem Apoſtolica prædicatio nacta ſit gratiam, propter divina miracula; ibidem proditur, ubi ſic legimus. *Multo tempore demorati ſunt, fiducialiter agentes, Domino teſtimonium perhibente verbo gratiæ ſuæ, dante ſigna & prodigia fieri per manus eorum.* Neque enim avitam Gentium religionem evertere, ut fecerunt modico tempore, potuiſſent; niſi cœleſtibus miraculis, & divinis operationibus, ſeſe vera docere comprobaſſent.

Rejecti Pſeudo-Evangeliſtæ, qui voluerunt ſe credi à Deo miſſos, ſine miraculis.

Quapropter meritò repudiati ſunt, tanquam meri impoſtores, Lutherus & Calvinus, aliique hujus temporis novatores; qui cùm jactarent ſe à Deo miſſos extraordinariè, ad fidem Eccleſiæ Catholicæ reformandam; Miſſionis ſuæ veritatem nullo unquàm miraculo probare potuerunt. Quaſi verò teneantur cives & Magiſtratus alicujus civitatis, recipere juſſa cujuſpiam ganeonis incogniti, qui ſe venditat à Rege miſſum, ſed ſine literis regiis, vel alio ſufficienti indicio miſſionis ſuæ. Igitur Pſeudo-Reformatores noſtri, impotentiæ ſuæ ad patranda miracula conſcij, primo eam facultatem ſibi deeſſe, ingenuè faſſi ſunt; ita ut Eraſmus, ipſis minime infenſus, ſcripſerit, illos omnes novos Evangeliſtas, hactenùs ne equum quidem claudum ſanare valuiſſe. Sed poſthæc animadvertentes, è re ſuâ eſſe, virtutem patrandorum miraculorum præ ſe ferre, cùm aliunde nullum ſuppeteret ſignum vel argumentum miſſionis ſuæ: id per fraudem attentare auſi ſunt.

Hæretici tentant edere miracula.

Non erit fortè ingratum, ſi hîc obiter referam de Luthero, quod ei contigiſſe narrat Staphilus, teſtis

peculatus, ejuſdem tunc diſcipulus. Anno 1545. puella quædam à Dæmone poſſeſſa, è Miſniæ ditione, adducta eſt Vvittembergam ad Lutherum; tanquàm ad Prophetam & Eliam alterum, eâ ſpe, ut eam à dæmone liberaret. Quamvis autem Lutherus ad hoc mirandum, & magni momenti facinus aggrediendum, non parum difficilem ſe præberet: nihilominùs quia ejus fama periclitabatur, ſi non fuiſſet auſus cum dæmone congredi; tandem juſſit puellam duci in parochianæ Eccleſiæ Vvittembergenſis ſacrarium; illícque coram aliis multis Doctoribus, & eruditis viris, (inter quos aderam quoque, tunc juvenis Magiſter, inquit hujus hiſtoriæ ſcriptor,) Dæmonem cœpit exorciſmis adjurare non quidem more Catholicorum uſitato, ſed ſuo. Quid inde? à dæmone turpiter non tantùm irriſus eſt, ſed etiam tam malè habitus, ut quam in partem ſe verteret non haberet: adeò ut oſtio ſacrarij, in quo res peragebatur, à dæmone foris & intùs ſtrictè occluſo, cancellis ferreis non ſine magno conamine perruptis, cum ſummâ animi perturbatione, & timore ingenti per feneſtras mortuo ſimilis evaſerit.

Lutherus in Exorciſmo, malè habetur à dæmone.

Fridericus Staphilus in reſponſione contra Iacob. Schmidelin.

Calvinus verò tentavit anno 1553. Thaumaturgi famam ſibi apud plebem captare miraculo, ſed contrà quà ſperabat, edito. Cùm enim cuidam Burlæo Gallo, Genevam profugo, & ad extremam inopiam redacto, ſpe lucri perſuaſiſſet, ut ſe in feretro mortuum fingeret, & poſteà ad ejus vocem exiliret, expetitâ in primis fide, & commendato ſilentio: Finxit ille primò ſe ægrotum, deinde mortuum. Cùm autem Calvinus ad ejus domicilium accedens, in cœtu multorum civium, qui miraculum ſpectaturi, undique vocati accurrerant, fuſis precibus præcepiſſet, ut in teſtimonium veritatis à ſe prædicatæ, ſtatim exurgeret; ille immotus manſit, & in pœnam criminis fraudulenti,

Lindanus dialogo 1. Dubitantij c. 1. &c.

Calvinus ex pſeudo-miraculo, plenus confuſione.

Bolſecus in vita Ioan. Calvini c. 13. Bredembach. lib. 7. Collat. c. 3.

non ex mortuo vivus prodiit; ſed ex vivo verè mortuus repertus eſt. Hinc graves uxoris, quæ fraudis erat conſcia, in Calvinum querimoniæ, lacrymis & ejulatibus mixtæ; ſed gravior impoſtoris confuſio. Quam rem fusè narrat Bolſecus in ejus vitâ, & multis teſtimoniis verè geſtam oſtendit.

Miracula ſũt propriũ Dei ſigillum.

Sed ut ad propoſitum redeamus, conſtat ex ſuprà dictis, miracula eſſe argumentum infallibile veritatis, & ſigillum proprium locutionis divinæ; quibus cùm rem aliquam atteſtatur, nefas eſt illius veritatem in dubium revocare: ſiquidem teſtimonio divino nihil certius eſſe poteſt. Unde manet evidenter probata prima propoſitio, quam initio in fronte noſtræ argumentationis ſtatuimus; nimirùm, illud eſſe certum & indubitatum, quod pluribus à Deo miraculis, iiſque manifeſtis comprobatum eſt. Id quod ne ipſi quidem diffitebuntur, qui ſunt ingenio pervicaciori & fidei durioris; niſi affectent ſeipſos excæcare, & oculos mentis, lumini ſeſe ingerenti occludere.

SECTIO TERTIA.

Quòd Chriſtus plurimis miraculis ſuam Divinitatem comprobarit.

Probatio ſecundæ propoſitionis.

NOn tantâ forſan facilitate increduli acquieſcent ſecundæ propoſitioni, quam aſſumpſimus; quòd ſcilicet Chriſtus Dominus plurima miracula & prodigia fecerit in confirmationem ſuæ Divinitatis. Nihilominùs ſi fidem Evangeliſtis, & aliis ſcriptoribus ſacris velint adhibere, quam debent: facillima eſt & plana probatio; cùm apud eos paſſim miracula Salvatoris ſincerè & fideliter referantur, tanquàm facta in atteſtationem ejus Divinitatis. Diſertè id teſtatur

Ioan. 20.

S. Joannes his verbis; *Multa quidem & alia ſigna*

fecit Ieſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc; hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Ieſus eſt filius Dei; & ut credendo vitam habeatis in nomine ejus.

Quæ ſanè, quamvis breviter & generatim dicta ſufficere poſſent homini non impio, nec malè ad credendum affecto. Verùm ad pleniorem hujus tantæ veritatis explanationem, & integram ingeniorum etiam pervicacium convictionem; operæ, ut exiſtimo, pretium erit, majorem illi lucem affundere.

Tria hic probanda.

Quod ut ſolidè fiat, tria diſtinguo quæ in prædictâ propoſitione continentur, quæque poſſunt indigere probatione. Primum eſt, quòd Salvator verè ea miracula patravit, quæ ab Evangeliſtis memorantur. Alterum, quòd miracula quæ fecit, ſunt verè & propriè dicta miracula; divinâ virtute edita. Tertium, quòd ea effecerit in atteſtationem ſuæ Divinitatis.

Prima pars ſecundæ propoſitionis probatur.

Fides non poteſt Evangeliſtis ſacris denegari.

Quod ſpectat ad primam dictæ propoſitionis partem, de quâ ſolâ diſſeremus hac ſectione: oportet certè eum eſſe inſigniter infidelem, & omnia fidei principia impudenter conculcaſſe, qui rennit ſcripturæ ſacræ teſtimonio ſubſcribere; quam omnis retrò ſæculorum memoria, omnes Sancti Patres, & Doctores; uno verbo, tota quanta eſt Eccleſia, pro libris ſacris, & divinam revelationem continentibus ſemper agnovit; inſpiratam Prophetis, Apoſtolis, & Evangeliſtis, qui nativitatem, vitam & mortem Chriſti, ejuſque opera miraculoſa conſcripſerunt. Libenter ab ejuſmodi hominibus incredulis quærerem, utrum putent ſe ingenij perſpicacitate, judicio, & doctrinâ præſtare tot excellentiſſimis viris, tamque eximiè eruditis, qui omnibus ſæculis in Eccleſiâ, tum eruditione, tum ſanctitate floruerunt? Illi autem, qui erant ſcientiarum lumina, oracula ſui temporis, organa Spiritûs Sancti ad populorum inſtru-

ctionem cœlitùs deſtinata; poſt diſcuſſas accuratè omnes rationes credendi Evangelio; poſt examinata diligenter omnia motiva credibilitatis noſtræ fidei; judicarunt unanimiter, nec de Evangelio, ut pote Verbi divini veritate; nec de miraculis Chriſti in eo recenſitis, ullatenùs eſſe dubitandum.

Evangeliſtæ nec per ignorãtiam, nec per malitiam, falsò ſcripſerunt Chriſti Miracula.

Sed ut illorum pervicaciam funditùs expugnemus, ſic argumentor; ſi Evangeliſtæ falsò retulerunt miracula à Chriſto Domino patrata, vel id fecerunt per ignorantiam decepti, aut per malitiam nos decipientes; neutrum autem quiſquam ſanæ mentis judicaverit.

Erant teſtes oculati.

Ioan. Epiſt. primæ. cap. 1. Luc. c. 1. v. 1.

Non enim 1°. poteſt jure præſumi, illos per ignorantiam, ea quæ non fuerunt facta, ſcripſiſſe. Siquidem illi fuerunt non ſolùm Chriſti contemporanei, ſed etiam plerique rerum ſcriptarum teſtes oculati; alii vero certâ fide ab oculatis acceperunt. Id quod disertè ſignificat de ſe, ac de aliis S. Joannes dum ait; *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ, & teſtamur & annuntiamus vobis.* Sanctus verò Lucas. *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt rerum; ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis; viſum eſt & mihi aſſecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile.*

Quis non ſentiat, teſtimonium haberi non poſſe certius & efficacius ad perſuadendum, quàm eorum qui viderunt, aut qui ab his fideli relatione audierunt? Non poteſt igitur veriſimiliter dici, eos falſa pro veris per ignorantiam evulgaſſe.

Non ſcripſerũt falſa in

Jam verò, quòd per malitiam falſa ſcripſerint, in gratiam & vanam commendationem Magiſtri ſui; id non niſi temerè, & contra omnem veri ſpeciem po-

teſt exiſtimari. Plurima enim ſunt quæ omnimodam ab iis malæ fidei, & deceptionis ſuſpicionem penitùs removent. Ignoſcat lector, ſi quædam hîc repono, ex his quæ jam attigi ſuprà in 3°. capite, de ſcriptorum Evangelicorum ſinceritate; res enim eſt magni momenti, & multum intereſt ut ſæpiùs inculcetur, & ſemel benè percipiatur; cùm ſit fundamentum pænè totius Chriſtianæ veritatis. *gratiâ Chriſti.*

Primò igitur illorum ſinceritas & bona fides in ſcribendo poteſt innoteſcere, ſi conſideretur quales illi fuerint; virtus enim & probitas teſtium, magnum eſt præjudicium veracitatis. Illi autem fuerunt homines, ut omnes ſciunt, rerum terrenarum contemptores, vitâ innocentes, ſalutis hominum ſtudioſiſſimi, & zelo gloriæ divinæ ferventes; pro quâ promovendâ, graviſſima ſupplicia conſtanter & alacriter toleravêre; quorum denique ſcripta, cum eximiâ doctrinâ & ſapientiâ, magnam pietatem, ſinceritatem, & ſanctitatem præ ſe ferunt. *Scriptorum ſacrorum ſanctitas.*

Deinde attendendum, quo tempore libros Evangeliorum & geſta Chriſti in lucem dederint; ex quo pronum eſt videre, locum non eſſe ſuſpicioni falſitatis. Tunc enim ſcripſerunt, cùm adhuc viverent multi, qui rebus à Chriſto factis, & hic narratis præſentes interfuerant. Et tamen quis unquam illos inſimulavit falſitatis, & pravæ fidei? Sanè ſi id cum aliquâ veri ſpecie potuiſſet obtendi; Pontifices, Pharizæi & Scribæ, qui erant hoſtes Salvatoris conjurati, ad deterendam illius exiſtimationem, non dubitaſſent propalare. Verùm illi, cùm ſcirent miracula Chriſti eſſe omnibus notiora, quàm ut poſſent negari; ut ea quoquomodò eliderent, ineptè aſcribebant magiæ & Dæmoni. Cúmque nec illud omninò procederet ex voto, de Chriſto occidendo cogitaverunt. Sic enim in concilio, quod hâc ſuper re coëgerunt, fuit ſtatutum; *Potuiſſent à præſentibus redargui falſitatis.*

Digitized by Google

Ioan. 11. v. 48. *Quid facimus, inquiebant illi, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum, omnes credent in eum.* Vides igitur miracula Chriſti non negari à Judæis; ſed in auctorem miraculorum conſpirari.

3. S. Chryſoſtomus diſputans contra Gentiles, ex iis quæ de Chriſto ſcripſerunt Evangeliſtæ, evidenter oſtendit; eos per adulationem non eſſe mentitos in gratiam Chriſti, ut ipſi vanam exiſtimationem conciliarent. Si enim hoc intendiſſent, inquit; quamobrem ſuis ſcriptis inſeruiſſent res, quæ illum poterant contemptibilem reddere? cur non ſubticuiſſent multa, quæ in illo videbantur abjecta & deſpicabilia; quibus ab eo plurimi poterant alienari; ſcribendo duntaxat illuſtria & admiranda facta? Cùm è contrà multa præterierint ſilentio, ejus miracula & prodigia, quorum evulgatio non parùm ad nominis famam augendam contuliſſet, ut S. Joannes fatetur in Evangelio, ubi ait; *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hæc; hæc autem ſcripta ſunt ut credatis, quia Ieſus eſt Filius Dei.*

Chryſoſt. in ſerm. quod Chriſtus ſit Deus. *Sinceritas Evangeliſtarū conſtat ex rebus ſcriptis.* Ioan. c. 20.

Quin & quilibet illorum pleraque omiſit, quæ ab aliis referuntur. Cùm tamen ea quæ ad ejus Paſſionem, tormenta, humiliationes & verberationes indignas, opprobria, contumelias & alia id genus, ſpectant, accuratiſſimè omnia, uſque ad minimas rerum circunſtantias deſcripſerint. Ex quo ſanè conſtare poteſt, quàm ingenuè, quam ſincerè hiſtoriam vitæ, & miraculorum Salvatoris exararint.

Quam ſinceritatem apertè indicat ſtylus ſcribendi ſimplex.

Id quod etiam hinc apparet manifeſtè, quòd res geſtas narraverunt ſtylo ſimplici, & candido; ſine exaggerationibus, amplificationibus, & figuris; abſtinendo ab omnibus verbis acerbis, & conviciis; ſine teſtificatione ullius odij, vindictæ, aut indignationis, adverſus eos qui Salvatorem indigniſſimis modis tractaverunt.

Digitized by Google

Poſſumus autem advertere contra ſemi-Chriſtianos incredulos; quod rectè obſervavit Chryſoſtomus contra Gentiles; eorumque tum ſtoliditatem, tum perverſitatem judicij demirari; quòd cùm in libris Evangelicis legunt contumelias Chriſto illatas, flagellationem, irriſiones, alapas, crucifixionem, mortem, ex iſtis nihil morantur credere. Cùm vero ibidem legunt miracula, fidem recuſant; quaſi non in utriſque æqualiter fide digni ſint. Qui enim dixerunt illa, nonne & alia pariter dixerunt?

Chryſoſt. loco cit. ad finem.

Perverſa incredulorũ ſtoliditas.

4° Denique, quòd non ſcripſerint mendacia, ex eo ſolo certiſſimum redditur, quòd pro veritate rerum, quas ſcripſerunt, tuendâ libenter & ultrò ſubierunt perſecutiones, exilia, carceres, omniſque generis ſupplicia, & mortem ipſam. Si, ut dicit ſcriptura, *pro juſto vix quis moritur.* Quis credat illos omnes voluiſſe pro defenſione falſitatis mori? Quod tantò credibilius eſt, quòd quandò Evangeliorum hiſtoriam contexuerunt, & dederunt in lucem, Chriſtus jam exceſſerat è vivis. Quale igitur emolumentum, quam quæſo mercedem expectare potuiſſent à mortuo, ſi ejus Divinitas figmentum fuiſſet; & ejus miracula falſitas? Imò ſi contra ſpem ſe inanibus promiſſis ab eo deluſos putaviſſent; tantùm abeſt ut pro ejus nomine, & Divinitate confitendâ, voluiſſent ſe ſuppliciis & morti tradere; ut potiùs ejus memoriam odio & execrationi fuiſſent habituri. Præſertim cùm aliunde ab iis quos deciperent, & imbuerent erroribus, nihil ſperare poſſent, niſi odium, vexationem, bonorum proſcriptionem, aliaque acerbiſſima, quæ ab inimicis Chriſtiani nominis pertuliſſe novimus.

Stulti fuiſſent, ſi pro mendaciis tuẽdis mortem ſubiiſſent.

Nihil temporale poterant à Chriſto mortuo ſperare.

Nec ab aliis, niſi infortunia.

Fatêre igitur, quiſquis es, qui contra veritatem reluctaris, nullo modo credibile videri, Evangeliſtas in ſcribendis Chriſti miraculis, vel falſos fuiſſe, vel fallere voluiſſe.

Teſtimonium infidelium de miraculis Chr. Præter hos teſtes ſacros & domeſticos, ſunt etiam extranei, ſcilicet Judæi, Gentiles & Mahometani; qui famâ publicâ miraculorum Chriſti convicti; quamvis Religionis Chriſtianæ hoſtes, ipſis tamen teſtimonium reddidêre.

Joſephi. Ioſeph. l. 18. Antiq. Iudaic. c 4. Atque imprimis Joſephus in Elogio Chriſti, jam ſupra relato cap. 3. ſect. 4. inter alia hæc habet; *Erat enim (Jeſus) operum mirabilium patrator, &c.*

Et in Talmudo Hieroſolymitano, libro quem Judæi appellant, Ganoda zara, memorantur plurimæ curationes morborum miraculoſæ, per virtutem Chriſti Salvatoris effectæ.

Sibyllarum. Inter Gentiles, Sibyllæ expreſſam fecerunt mentionem miraculorum Chriſti; ut videre licet in earum propheticis carminibus de adventu Salvatoris, quæ ſuprà inſerüimus, cap. 1. ſect. 5.

Euſeb. lib. 2. Hiſt. Eccleſ c. 2. Tertul. in Apologet. Pilati ad Tiberium. Refert autem Euſebius ex Tertulliano, Tiberium Imperatorem certiorem factum à Pilato de Chriſti Reſurrectione, & de cæteris ejus mirabilibus, decreviſſe illum inter Deos referre; id quod tamen factum non eſt, Senatu ob rationes humanas reſiſtente, ut antè ſignificavi cap. 3. ſect. 4. Nihilominùs Tiberius in ſua mente perſiſtens, vetuit, ne quis adverſus doctrinam Chriſti, quidquam moliretur.

Mahometis. Quid quòd ipſe Mahometes in ſuo Alcorano paſſim mentionem fecit plurium miraculorum Jeſu Chriſti? Atque inter alia memorat Annunciationem Angeli factam Virgini Mariæ, integritatem Virginitatis illius illibatam, ante & poſt partum. De Chriſto tradit, eum primo Nativitatis die locutum eſſe diſtinctè; cùm fugeret in Ægyptum, palmam coram ipſo ramos inclinaſſe, ut fructus ad ſuſtentationem decerperet: majorem natu leproſos mundaſſe, illuminaſſe cæcos, omnis generis ægrotos ſanaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, &c.

Hæc

Digitized by Google

Hæc autem ab infidelibus adduximus, non quòd magnæ ſint apud nos auctoritatis: ſed ut Divinam Providentiam admiremur, quæ ipſos inimicos Chriſti adegit vel invitos, ut ejus miraculorum atteſtationi, & Divinitatis probationi deſervirent,

SECTIO QUARTA.

Miracula Chriſti non poſſunt alteri potentiæ aſcribi quàm divinæ.

EX dictis perſpicuum eſt, miracula quæ de Chriſto narrantur in Evangelio, non eſſe ſuppoſititia & conficta; ſed verè facta fuiſſe. Quare nunc venio ad ſecundam aſſumptæ propoſitionis partem; quòd ſcilicet miracula à Chriſto edita, fuerint vera miracula, viribus creatis majora, quorum Auctor Deus extiterit. Id quod clarè oſtenditur in hunc modum.

Altera pars ſecundæ propoſitionis probatur.

Si miracula Chriſti Salvatoris non fuerunt edita per virtutem divinam, tanquam per cauſam eorum principalem, vel producta ſunt per vim agentium naturalium, vel per facultatem humanæ naturæ, aut Angelicæ, puta Dæmonum; nihil enim aliud aſſignari poteſt cui poſſint aſcribi. Atqui nihil ex prædictis rationabiliter dici poteſt: igitur neceſſariò debent in virtutem Divinam ſupernaturaliter operantem referri.

Ac primùm, ut à facilioribus & notis ordiamur; non apparet ullo ratio, ob quam refundi poſſint in facultatem naturæ humanæ, immediatè per ſe ad tales effectus concurrentis. Satis enim ipsâ experientiâ conſtat, hominibus ſecundùm ſe ſpectatis; ſive quoad animam, ſive quoad corpus conſiderentur; non ineſſe vim intrinſecam, morborum omnis generis ſanativam, puta lepræ, paralyſeos, ſurditatis à

Miracula Chriſti non poſſunt adſcribi humanæ facultati.

Digitized by Google

nativitate, cæcitatis, &c. multò minùs vim expulſivam dæmonum, ſuſcitativam mortuorum, & ſimilium. Quare non niſi parabſurdè diceretur, Humanitatem Chriſti, vim ſpecialem habuiſſe naturaliter, quâ iſtos omnes mirabiles effectus præſtaret. Cùm certum ſit ejuſdem fuiſſe ſpeciei, & facultatis naturalis, cum aliorum hominum Humanitate; Præſertim ſi ſupponamus id quod volunt, non fuiſſe Divinitati conjunctam. Ex quâ conjunctione non inficior potuiſſe contrahere virtutes aliquas, moraliter aut phyſicè, ſupernaturaliter tamen inditas; quibus mira & inſolita operaretur: Ut opinati ſunt nonnulli Theologi. Sed hæc virtus miraculorum effectrix, ſupponit id quod intendimus; ſcilicet Divinitatem unitam; à quâ, vel in cujus unionis gratiam, prædicta virtus fuiſſet Humanitati communicata.

Nec viribus agentiũ naturalium.

Neque item attribui poſſunt virtuti agentium naturalium, id eſt, rationis & libertatis expertium. Nam primo nulla in cauſis naturalibus virtus reperitur quæ cæco à nativitate viſum impertire poſſit, vel vitam mortuo; quemadmodùm docent omnes Philoſophi, juxta receptum illud effatum; *à privatione ad habitum non datur regreſſus.*

Deinde quia cauſæ naturales ſemper operantur, per virtutem effectui producendo proportionatam. At Salvator nonnunquàm uſus eſt rebus, non modò non idoneis & proportionatis ad effectum producendum; ſed etiam planè contrariis. Ut quandò beneficiò luti, quo oculos cæci illinivit, viſum aperuit; id quod ſanè longè aptius erat ad excæcandum, ſi vidiſſet, quàm ad illuminandum.

3° Cauſæ naturales ſanandis morbis applicatæ, non operantur curationes in inſtanti, ſed paulatim, & cum aliquo ſpatio temporis, ut quotidianis experimentis compertum eſt. At Jeſus effectus miraculoſos opera-

Digitized by Google

batur in momento, & ſine morâ. Ut cùm leproſum ipſi dicentem, *Domine ſi vis, potes me mundare*, his duobus verbis, ſtatim perfectè ſanavit; *Volo, mundare.* Et ita in pluribus aliis. Matth. 8. v. 2.

4°. Agentia naturalia non agunt niſi ad certam diſtantiam, & ut loquuntur, intra ſphæram activitatis ſuæ; nec unquàm in diſtans, niſi agendo per medium. At Jeſus agebat in locis quibuſque diſtantibus, nihil efficiendo in medio. Ut cùm abſens filio Reguli ſanitatem reſtituit, dicens; *vade, filius tuus vivit.* Et filiam Chananææ à vexatione dæmonis liberavit, dicens; *fiat tibi ſicut vis.* Sicque Salvator mirabiles curationum effectus operabatur, ſine medicamentorum, aut ullarum rerum applicatione, ſed ſimplici verbo. Cujus virtutis conſcius Centurio, dicebat Chriſto; *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Matth. 4. v. 5. Matth. 15. 28. Matth. 8 v. 8.

5°. Denique, cùm virtus Agentium naturalium ſit limitata, non extenditur ad quoſvis effectus; ſed tantùm ad quoſdam ſpeciales & paucos. Virtus autem Chriſti miraculorum operativa, erat univerſalis, ſéque extendebat ad omnes cujuſlibet generis. Incedebat enim ſuper aquas, ſedabat ventos & tempeſtates uno verbo; reddebat cæcis viſum, auditum ſurdis, loquelam mutis, greſſum claudis, ſanitatem quibuſlibet ægrotis, vitam mortuis; dæmones de corporibus expellebat, panes multiplicabat & alia innumera.

Cùm igitur manifeſtum ſit, tantam vim, tamque univerſalem, iſtumque modum operandi, quem diximus, ſubitaneum, in diſtans, & ſolo verbo ac nutu, non competere cauſis naturalibus agentium inanimatorum: luce clarius eſt, miracula Chriſti in virtutes cauſarum naturalium refundi non poſſe.

Digitized by Google

Tertia pars ſecunda propoſitionis probatur. Reſtat itaque tertium probandum, quòd Chriſtus non per magicas artes, nec dæmonum ope, ſua miracula patraverit; ut per nequitiam ſingularem, & diabolicam, Judæi vulgabant, dicentes; *In Beelzebub Principe dæmoniorum, ejicit dæmonia.* A quâ impiâ & blaſphemâ opinione, fortè non longe abſunt quidam ſemi-Chriſtiani fluctuantes in fide. Sed hæc atrox calumnia, à quâ piæ aures abhorrent, facilè convincitur falſitatis.

Luc 11. v. 17.

Attribui non poſſunt magiæ aut Dæmoni. Ab hoc longè fuit aliena, mira ſanctitas Chriſti.

Et quidem primò velim ut impij tantiſper advertant ad ſanctitatem Chriſti Salvatoris, hominibus, Angeliſque mirabilem; ut videant, an poſſit illa, cum magicâ pravitate convenire. Ejus enim ſanctitas, à principio vitæ, ad mortem uſque, in omnibus ejus actionibus & doctrinâ mirum in modum reſplenduit: Exhibendo nobis exemplar omnium virtutum excellentiſſimarum, & heroïcarum; nimirùm profundæ venerationis, & cultus eximij erga Deum, Patrem ſuum; perfectæ ſummiſſionis & obedientiæ ad omnia ejus mandata, & voluntates exequendas, quâ dicere ſolebat; *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Jugis & continuæ contemplationis; abſoluti contemptus honorum, divitiarum, voluptatum ſenſualium, omniumque vanitatum hujus mundi. Quid enim ex terrenis hujus vitæ bonis unquàm exquiſivit? Quin è contrà vitam amplexus eſt, duxitque pauperem, humilem, ſolitariam, ab hominum præſertim potentium conſuetudine alienam; abſconditam, latentem, laborioſam & aſperam; caſtitatis pluſquàm Angelicæ nitore præfulgentem; adeò ut infenſiores ejus inimici, qui in cæteris rebus calumnias atroces commenti ſunt, nihil prorsùs habuerint quod ipſi contra hanc virtutem objicerent.

Ioan. 8 29.

Sed ejus patientia in ferendis ignominiis, deriſionibus, opprobriis, percuſſionibus injurioſis Judæo-

Digitized by Google

rum, præſertim tempore Paſſionis, nonne fuit ſtupenda, & tanta ut & Angelos ipſos poſſet in admirationem rapere. Cùm enim ſe pro redemptione generis humani, ad diram crucis mortem, in crudeles impiorum manus tradidiſſet; quantas injurias, quantas acerbitates, & tormenta pertulit? ſed quàm invictâ animi moderatione, manſuetudine, & æquanimitate? Non enim, hæc patiendo, conqueſtus eſt; non exprobravit ingratitudinem pluſquàm belluïnam; non ſe defendit adverſùs calumnias apertas & capitales; non intentavit minas; nec verbo, nec geſtu, neque aſpectu ullum indignationis aut impatientiæ ſignum dedit.

Cujus miræ patientiæ exemplum nobis proponens S. Petrus ait; *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus; qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti ſe injuſtè.* Id quod planè conſentit Iſaiæ, qui multis antè ſæculis, eum depinxerat, ſub agni qui ad necem ducitur, ſimilitudine, his verbis; *Oblatus eſt, quia ipſe voluit; & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet; & non aperiet os ſuum.*

1. Petr. 2. v. 22. 23.

Iſa. 53. v. 7.

Enimverò tùm, cùm adſtaret coram judicibus, pro tribunali tanquam reus, & accuſatus oneraretur undique criminibus falſis; ne verbo quidem criminationes rejecit. Quod prodigioſum ſilentium ſignificarunt Evangeliſtæ; *Et cùm accuſaretur à Principibus Sacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit.* Notantque admirationi fuiſſe ipſi Præſidi; *Cùm enim Pilatus dixiſſet Chriſto; non audis, quanta adversùm te dicunt teſtimonia?* ſubjicit Mathæus, *& non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer.* Ex quo patiendi modo inuſitato, & prorsùs admirabili, facile erat conjicere, in tali reo aliquid

Matth. 27. v. 12. &c. Ioan. 19. v. 9. Luc. 23. v. 13. 14.

ineſſe divinum. Hoc quippè pluſquàm humanum eſt, hominem innocentem, prudentiâ, & eloquentiæ vi præditum, dum falſis accuſationibus opprimitur, quas nullo negotio poſſit diſſolvere, ad omnia tamen penitùs obmuteſcere, & in propriam defenſionem ne verbum quidem proferre.

Iſta autem patientia inaudita, ſemper ſibi conſtans extitit; vultu enim ſemper æquali, & manſueto, omnia reliqua Paſſionis tormenta, quamvis acerba, & indigna ſuſtinuit. Par fuit æquanimitas in ludibriis coram Herode, in immani & barbarâ flagellatione, in crudeliter irriſoriâ coronatione, in probroſâ Crucis geſtatione, denique in ſupplicio Crucis. In quo poſtquàm tres horas paſſus eſt, ſui perfectiſſimè compos, cum mirâ tranquillitate mentis; poſt promiſſum latroni confitenti Paradiſum; poſt matrem Joanni Diſcipulo commendatam, poſt fuſam ad Deum Patrem, pro Crucifixoribus orationem; *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*: Luc 23. v. 34. Denique poſt animam Patri derelictam, placidè inter diros cruciatus expiravit.

Cujus virtutis ita patientis aſpectu, Centurio admiratione perculſus, in hanc vocem exclamavit; Luc. 24 v. 47. Marc. 25. v. 39. *verè hic homo juſtus erat; verè hic homo, Filius Dei erat.* Quo eodem pietatis ſenſu alij plures correpti; & viſo ingenti terræ motu; ac tenebris in meridie cœlum horribiliter obvolventibus ex eclipſi inſolitâ perterriti, compunctique animo, eſſe Filium Dei, Luc. 23. 48 Marc. 25. clarâ voce confeſſi ſunt; *Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua, revertebantur.* Ut teſtantur Evangeliſtæ.

Chriſti Crucifixi nota innocentia.

Nec quenquam movere debet, quòd ſupplicio Crucis addictus fuerit, tanquàm reus: ejus enim innocentia, quamdiu vixit, fuit ejuſmodi nota &

perſpecta omnibus, ut ejus adverſarij, licet malevolentiſſimi, nihil habuerint quod in eo, tanquàm vitioſum veriſimiliter reprehenderent. Unde confidenter dicebat illis; *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Et Pilatus qui ejus judicio præfuit, exceptis undique accuſationibus & auditis collatiſque inter ſe criminantium teſtimoniis, exiſtimavit officij ſui & æquitatis eſſe, illum publicè innocentem ſæpius declarare. Nam, ut aiunt Evangeliſtæ; *Sciebat quod per invidiam tradidiſſent eum.* Itaque omnibus modis conatus eſt eum liberare. 1°. Remittendo ad Herodem; ne ipſe cogeretur condemnare, quem noverat innocentem. Deinde proponendo ut Judæi pro ſuo jure in feſto Paſchatis, unum ex duobus abſolverent, Jeſum aut Barabbam, ratus fore, ut inſontem præponerent ſcelerato. Quod cùm non proceſſiſſet ex voto, dixit; *Quid faciam de Ieſu*? Illiſque inſtantibus ut crucifigeretur, ſubjecit Præſes; *Quid enim mali fecit?* Demùm animadvertens, ſe nihil apud populum furentem, à Sacerdotibus, Scribis, & Pharizæis animatum promovere, quid fecit? *Acceptâ aquâ lavit manus*, (inquit ſcriptor ſacer) *coram populo, dicens; Ego ſum innocens à ſanguine juſti hujus; vos videritis.*

Ioan. 8. 46.

Matth. 2. 17. &c.

Nihilominùs populo, tumultum adhuc majorem excitante, ac Cæſaris indignationem minitante, niſi eum condemnaret, qui ſe Regem feciſſet; metu amittendæ Cæſaris gratiæ, manus lotas præbuit iniquitati; & conſcientiâ reluctante, ut votis Judæorum obſequeretur, *Ieſum flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.* Itaque metus Imperatoris, & crimen Præſidis, injuſtitiæ ſuccumbentis, tota fuit ratio condemnationis Chriſti.

Matth. 27. 26.

Quod attinet ad ipſius doctrinam, conſtat ex Evangelicis libris eam fuiſſe vitæ conformem; nempè ſa-

Doctrina Chr. ſancta.

Digitized by Google

nam, juſtam, pietatis ac perfectionis ſummæ documenta continentem.

Verùm quo ſpectant iſta, paulò fortè diffuſiùs explicata de Chriſti ſanctitate? Ut appareat quàm longè Chriſtus abfuerit à magiâ, qui tantâ integritate & ſanctimoniâ præditus fuit. Quis enim non videat, iſta quæ diximus, in hominem impium, maleficum, & Dæmonis mancipium non poſſe ullatenùs convenire. Neque enim magis inter ſe diſcrepant & opponuntur tenebræ lumini, vitium & virtus, pietas & impietas, quàm ſanctus & Magus. Siquidem ut nemo ignorat, Magia, eſt non tantùm crimen execrandum, ſed etiam ſtatus quidam impietatis, quo homo propter rationes quaſdam temporales honoris, divitiarum, aut voluptatis, totum ſe Dæmoni devovet ac mancipat, ad quælibet ſcelera, ejus inſtinctu & interventu perpetranda. Manifeſtum igitur eſt, Magiæ notam aut ſuſpicionem in Chriſtum non poſſe cadere: & conſequenter ejus miracula non fuiſſe per virtutem magicam, ſive ope Dæmonis patrata.

Longè diſtant inter ſe homo ſanctus & Magus.

2°. Loco, eadem calumnia ſolidè refellitur, ex reſponſo quod ipſe Salvator dedit illis Judæis, qui ejus opera Dæmoni tribuebant, dicebantque; *in principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* Reſpondit enim id omninò repugnare. Siquidem, *omne regnum in ſe diviſum deſolatur; & omnis civitas vel domus contra ſe diviſa, ſtare non poteſt. Et ſi ſatanas ſatanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt; quomodò ergo ſtabit regnum ejus?* Enimverò ſi Chriſtus Dæmonum ope, Dæmones de corporibus ejeciſſet; Dæmones ipſi ad ſuum imperium diſcordiâ ſuâ deſtruendum conſpiraſſent quod tamen de illis credi non poteſt, ut potè qui ſunt ſuæ dominationis conſervandæ appetentiſſimi. Aliundè verò certum eſt, Chriſtum in hunc mundum non veniſſe, neque ad hoc operam contuliſſe, ut Dæ-

Matth. 12. v. 25. &c.

Chriſtus in hunc mundũ venit ad deſtruendum imperiũ diabol.

monum regnum ſtabiliret ; ſed potiùs ut illud funditùs everteret. Cùm enim illi, idolorum cultu & veneratione, Divinitatis famam & honores toto orbe ſibi vindicaſſent; Chriſtus deſtructâ ubique terrarum per ſuos Apoſtolos Idololatriâ, & factâ mundi ad verum Deum converſione, totam dominationem quam ante ejus adventum in homines obtinebant, illis eripuit; disjectis templis, aris everſis, profligato ferè per univerſum Orbem Idolorum cultu, ac ſubſtitutâ veri Numinis adoratione.

An igitur veroſimile eſt, Chriſtum ope Dæmonum, Dæmonum imperium penitùs diſturbaſſe? Quis hoc ſibi perſuadeat? Non igitur per virtutem Dæmonum operabatur, qui illorum tyrannidi bellum mundo ſalutare, omnibus in locis indixerat.

Dæmones triplici tantùm modo poſſunt ad extrà operari.

3°. Idem efficaciter confirmatur ratione Theologicâ, ſumptâ ex poteſtate naturali Angelorum. Omnes Theologi poſt D. Thomam, docent, illos triplici tantùm modo poſſe exteriùs operari; nimirùm. 1°. Per motum localem. 2°. Per applicationem cauſarum naturalium, quarum virtutes intimas perfectiſſimè norunt. 3°. Per illuſionem & præſtigias ſenſuum, exhibendò illis fallaces rerum imagines pro rebus ipſis; aut viſus aut imaginationis deceptione. Atqui miracula Salvatoris, nullo ex his modis effici potuerunt.

Miracula Chriſti per motum localem non sũt facta, nec fieri potuerunt.

Ac primò, de motu locali, id liquet; Cùm enim motus localis non ſit aliud quàm tranſlatio alicujus rei de uno loco in alium locum: conſtat ſolâ corporis in alium locum: locum tranſportatione, non depelli lepram, aut paralyſim, alios-ve morbos; multò minùs reddi viſum cęcis, auditum ſurdis, claudis virtutem ambulandi, & alia ſimiliter. Accedit quòd Salvator plurimas ægritudines ſanavit, multáque præſtitit ſine ullâ corporum agitatione.

Digitized by Google

Nec facta ſunt per applicationem cauſarū naturalium. Quod ſpectat ad alterum modum operandi Angelorum, ſcilicet per applicationem agentium naturalium; licet Angeli, qui virtutes activas illorum optimè perſpectas habent, poſſint multas curationes mirabiles, illarum applicatione efficere: non fuerunt tamen, nec potuerunt eſſe principium miraculorum Chriſti effectivum, ut paulò antè variis rationibus certis & evidentibus demonſtratum eſt. Nimirùm quia Chriſtus illa operabatur ſolo verbo & imperio, ſine applicatione ullius pharmaci, aut agentis naturalis. Deinde operabatur illa in momento, & ſine morâ temporis. 3°. Agebat miraculosè in objecta diſtantia. Ac proinde habitâ ratione & modo, quo Chriſtus illa efficiebat, ſuperabant vires agentium naturalium, & conſequenter ipſorum Dæmonum, qui facere non poſſunt ut agentia naturalia tali modo operentur. Accedit quòd Chriſtus multa edidit, quæ omninò excedebant virtutes cauſarum naturalium, ut reddere viſum cæco à nativitate, ſuſcitare mortuos, & alia ejuſmodi. Igitur clarum eſt, miracula Chriſti hoc ſecundo modo agendi, non poſſe Dæmonibus aſſignari.

Sed neque tertio modo adnotato, videlicet per meram illuſionem ſenſuum, & imaginationis. Id quod invincibiliter probatur multiplici ratione.

Nec per illuſionem ſenſuū, aut imaginationis. Nam primò ridiculum eſt & perabſurdum, velle ſine fundamento, ſibi aliis-ve perſuadere, ea quæ paſſim, & perſæpè à pluribus ſimul perſonis viſa ſunt clarè, tanquàm objecta vera & realia; eſſe duntaxat phantaſmata rerum quæ putabantur videri, & meras fallacias viſus. Et verò ille cenſeretur delirare, qui contenderet, homines qui occurrunt in vicis; milites qui ad bellum proficiſcuntur, exercitus qui præliantur & oppugnant urbes; cibos qui in menſis comedendi apponuntur; & alia omnia

quæ eſſe & fieri à cunctis cernuntur, eſſe præſtigias, & illuſoria mentis aut oculorum ſimulacra, non veras realitates.

Etenim licet interdùm poſſit accidere, ut fallatur ſenſus in alicujus objecti diſtantis perceptione, aut illudatur à Dæmone, Deo propter juſtas cauſas aliquandò id permittente: tamen quando quæ fiunt, quamplurimis teſtibus oculatis communiter videntur, judicanturque pro veris ac realibus, ſine ullâ ratione erroris aut fraudis ſuſpicandæ: ſapienti non licet de eorum veritate ac realitate dubitare: quoniam præſtigias in rebus quæ ſub oculos proximè cadunt & diſtinctè, ita eſſe univerſales, nullatenùs eſt credibile. Atqui miracula quæ Chriſtus edidit palàm in urbibus & oppidis Palæſtinæ, videbantur generaliter ab omnibus, cuncto populo ea inſpectante, & pro veris rebus agnoſcente. Igitur inſani capitis eſt velle ſibi perſuadere, illa nihil præter viſus & phantaſiæ illuſiones extitiſſe.

Non illuduntur, qui veros miraculorum effectus in ſe experiuntur.

Deinde, quamvis ex parte intuentium contingeret in viſu deceptio, ita ut putent ſe videre quod tantummodò apparet, & reipsâ non eſt: in iis tamen eſſe non poteſt, qui ſentiunt & experiuntur in ſe effectus novos quos antè miraculum non experiebantur; puta quòd loquantur, cùm antè non poſſent loqui; quòd ambulent, quòd videant, cùm antè non valerent ambulare, nec videre. Neque enim ſola apparentia viſus reſtituti, aut auditus, aut loquelæ, præſtare poteſt, ut hos novos actus exercere poſſint. Atqui cæcus natus ex. gr. cui Chriſtus viſum reddiderat, experiebatur ſe diſtinctè videre, cùm anteà nihil cerneret: Claudi optimè ambulabant, Lazarus ſuſcitatus à morte, eductus è ſepulcro, movebat ſe, loquebatur, manducabat, & alias vitæ functiones, ſicut ante mortem, exercebat, & adſtan-

tibus teſtimonium dabat irrefragabile ſuæ reſurre-ctionis. Igitur ille non fuit tantùm apparenter ſuſcitatus; nec alij tantùm imaginariè & in ſpeciem ſanati. Ac proinde dubium non eſt, quin fuerint vera & realia miracula.

Præterea, quæ ſunt fictè tantùm apparentia, per faſcinationem ſenſuum, aut fallacem objectorum repræſentationem, non ſubſiſtunt diù; nec viſuntur in omni tempore, nec ab omnibus. At effectus miraculoſi, Salvatoris, diuturno tempore perſtabant, viſebanturque ab omnibus qui aderant, tanquàm effectus reales. Quare ſtolidum eſt dicere fuiſſe res duntaxat vanè apparentes.

Pharizæi diligenter examinarunt veritatem miraculorum Chriſti.

Ad extremum, id efficaciter confirmatur ex eo, quòd, cùm Deus permiſiſſet, ut inimici Chriſti adduci non poſſent ut ejus miracula crederent; ea examinarint ſedulò, ut quemadmodùm optabant, eorumdem falſitatem detegerent; tandémque poſt accuratam diſcuſſionem, vera eſſe compereri. Uti contigit in miraculo cæci nati, quem Chriſtus luto oculis impoſito ſanaverat; quid enim non fecerunt, ut illud eluderent, & fictitium jactare poſſent. Illum quippè Pharizæi jubent ad ſe adduci, ſciſcitantur an verum eſſet eum recuperaſſe viſum, Chriſti interventu; quo tempote, quibus modis. Cùmque perſiſteret aſſerere, ſe mirabiliter ſanatum, ſéque diſtinctè videre, cùm antea planè cæcus eſſet: non contenti hoc teſtimonio, parentes illius advocant, interrogant, eſſet-ne iſte illorum filius? An cæcus fuiſſet? Exquirunt de omnibus curationis circumſtantiis. Poſt hæc cùm non poſſent factum evidens negare, hoc unum habuerunt reprehendere, quòd Chriſtus die ſabbati, oculis ſanandis lutum indidiſſet.

Non dixerunt eſſe præſtigias.

Hìc jam dicant increduli, ſi poſſunt, hoc totum & tam celebre miraculum, fuiſſe meram deluſionem ſenſus.

Digitized by Google

Nos autem ex his concludimus cum omni certitudine, quæ in rebus humanis haberi poteſt, opera Chriſti mirabilia, non aliâ, quàm Divinâ virtute fuiſſe perpetrata. Etenim non ſolùm effecit ea, quæ vires totius naturæ ſuperant: ſed etiam illa effecit modo eminenti & ſupremo, nimirùm ſolo verbo & imperio; qui modus operandi planè divinus eſt, arguitque ſummum in creaturas dominium, quod ſoli Deo competit. Inſuper edidit miracula omnis generis, oſtendens in omnibus parem operandi facilitatem; ſuamque in omnes creaturas potentiam; in Angelos & Dæmones, in homines & animalia; in cœlos, in ſolem, in mare, in terram & elementa; in ventos & tempeſtates, in morbos quoſlibet, in ſepulcra, in rupes, in omnia. Quam ob cauſam dixit illi Nicodemus aliquando; *Nemo poteſt facere hæc ſigna, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Ioan. 3.

Miracula Chriſti non aliâ virtute facta ſunt, quàm divinâ.

Sectio Quinta.

Chriſtus ſua miracula edidit in atteſtationem ſuæ Divinitatis.

RE ſtat ergò nobis probanda tertia pars ſecundæ propoſitionis, quam initio argumentationis adduximus; videlicet Salvatorem ſua operatum eſſe miracula in atteſtationem & manifeſtationem ſuæ Divinitatis. Id quod non ægrè fiet.

Tertia pars ſecundæ propoſitionis probatur.

Sed priùs advertendum eſt; cùm miracula ſint proprium Dei ſigillum, ut ſuprà dictum eſt, quo uti ſolet ad confirmandam aliquam veritatem inviſibilem, ad quam humana ratio pertingere non poteſt; diverſam poſſe eſſe veritatem illam, quam velit iis atteſtari. Sic olim Moyſi dedit Virgam miraculorum operatricem; ut inde populus Iſraëliticus agnoſceret,

Diverſas ve-

vitates poteſt Deus per miracula teſtari. 1. Reg. c. 18. & 4. Reg. c. 1.

eum à Deo miſſum fuiſſe, ad Hebræos ab Ægyptiacâ ſervitute liberandos. Sic Elias poteſtatem accepit, ignem de cœlo in holocauſtum deducendi, ad teſtandum, Deum Iſraël eſſe verum Deum. Sic electionem Aaronis ad ſummum Sacerdotium confirmavit miraculo virgæ, quæ cùm eſſet arida, ſtatim floruit. Item electionem Gedeonis in Ducem populi, miraculo velleris ſicci & madidi. Pariter Apoſtolis, & eorum in prædicationis Evangelicæ munere, ſucceſſoribus, amplam largitus eſt facultatem operandi miracula, ad confirmandas veritates Chriſtianas, quas annuntiabant.

Chriſt. ſua miracula edidit in probationē ſuæ divinitatis. Ioan. c. 20. v. 30.

At finis ſpecialis, propter quem Chriſtus tot edidit miracula, fuit ad fidem ſuæ Divinitatis, hoc teſtimonio divino faciendam. Id quod S. Joannes pluribus locis in Evangelio ſignificat, ubi ait, *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

Ioan. c. 2.

Nec ſatis fuit id declarare generatim; ſed etiam poſt narrationem ſingulorum miraculorum plerumque notat, in eum finem facta fuiſſe, ut intelligeretur, Jeſum eſſe Filium Dei. Ut cap. 2. poſt recenſitum miraculum converſionis aquæ in vinum, ſubdit; *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Canâ Galilææ; & manifeſtavit gloriam ſuam.* Quæ gloria per hoc miraculum manifeſtata, fuit ea, de quâ paulò antè idem Apoſtolus locutus fuerat, dicens; *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre*, id eſt, quòd eſſet Filius unicus Dei Patris; quemadmodum Diſcipuli, viſo miraculo crediderunt, ut ibidem notatur.

Ioan. 1.

Quæ fides pariter ingenerata eſt in mente populi,

Digitized by Google

poſt viſa multa miracula, quæ Chriſtus Hieroſolymis in eorum conſpectu fecerat, ut teſtatur Evangeliſta, his verbis; *Cùm autem eſſet Hieroſolymis, in Paſchâ, in die feſto, multi crediderunt in nomine ejus* (id eſt, in nomine Salvatoris,) *videntes ſigna, quæ faciebat.* Ioan. c. 1. in fine.

Sed & ipſe Jeſus ſæpenumerò declaravit, ſua miracula in eum finem referri, ut agnoſcerent, ipſum eſſe Meſſiam in lege promiſſum, & Filium Dei. Ita expreſsè ſignificavit poſt ſanatum paralyticum in piſcinâ. *Ego autem*, inquit, *habeo teſtimonium majus Ioanne; Opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Ioan. 5. v. 36.

Et aliàs, ad confirmandum, quod alteri Paralytico, ipſi oblato dixerat, illius peccata eſſe remiſſa; ſéque poteſtatem habere, illa condonandi; reſtituendo illi ſanitatem, hæc locutus eſt; *Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terrâ dimittendi peccata; tunc ait Paralytico; ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam; & ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Quæ verba ſupponunt, quod Judæi apud ſe contra ipſum murmuraverant, *dixeruntque intra ſe, hic blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* Quorum cogitationi reſpondens, dixit; Ut ſciatis me poteſtatem habere peccata dimittendi, & conſequenter me Deum eſſe; cùm hæc poteſtas ſolius Dei ſit: Ecce in veſtro conſpectu, & in oculis veſtris, illi ſanitatem reddo, quod ſtatim fecit, dicens; *tibi dico, ſurge.* Matth. 9. v. v. 5. Marc. 2. v. 2. Luc. 5. 18. Ioan. 5. 5.

Similiter Lazarum è ſepulcro ſuſcitaturus, diſertè ſignificavit, ſe illam ſuſcitationem aggredi ob eundem finem, ut intelligerent, & moverentur ad credendum, ipſum eſſe Filium Dei. *Propter populum*, inquit, *qui circunſtat, dixi, ut credant, quia tu me* Ioan. 11. v. 42

miſiſti. Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamavit; Lazare, veni foras; & ſtatim prodiit, qui erat mortuus.

Item cùm poſt viſum cæco nato redditum, interrogaſſent Judæi, eſſet-ne verè Chriſtus; peterentque, ut ſi eſſet, id illis patefaceret quibuſdam ſignis, illos remiſit ad miracula, quæ coram omnibus exhibebat ut crederent. Rem exponit Joannes in hunc modum; *Ambulabat Jeſus in porticu Salomonis; circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei; quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm. Reſpondit eis Ieſus, loquor vobis & non creditis; Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me: & ego & Pater unum ſumus.* Et paulò poſt; *Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas; quia dixi, Filius Dei ſum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio; etſi mihi non vultis credere; ut cognoſcatis & credatis, quia* Pater *in me eſt, & ego in* Patre.

Ioan. 9. v. 24. & ſeq Ioan. 10. v. 17. & ſequ.

Atque ut omittam alia multa quæ poſſent in hanc rem afferri, hanc probationem claudo teſtimonio, quod Salvator dedit Diſcipulis Joannis Baptiſtæ, qui eos ad ipſum miſerat, ut inquirerent an eſſet Meſſias, qui prædictus erat venturus ad redemptionem mundi. Non enim aliter iis reſpondit, quàm ſuffragio miraculorum, quæ viderant ab ipſo perpetrari; quibus in atteſtationem Miſſionis ſuæ divinæ factis, non erat quòd dubitarent ipſum eſſe Meſſiam, de quo ſciſcitabantur. *Euntes*, inquit, *renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis: cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt; mortui reſurgunt: & beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me.*

Matth. 11.

Conſtat igitur, miracula quæ Chriſtus edidit, edita fuiſſe in confirmationem ejus Divinitatis. Id quod omninò

omninò conſonum eſt cum prædictionibus antiquorum Prophetarum, qui hâc ſpeciali miraculorum patrandorum notâ, illum deſignarunt, & agnoſcendum aſſeruërunt; ita expreſsè Iſaïas, *Ecce*, inquit, *Deus veniet, & ſalvabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet, ſicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

Nota à Prophetis data ad Meſſiam agnoſcẽdum, fuit miraculorum effectio. Iſai. 53.

Sectio Sexta.

Ex prædictis veritas Divinitatis Chriſti manifeſtè concluditur.

HAbes ergò, mi Lector, omnes argumentationis propoſitæ partes, evidenter, ni fallor, demonſtratas; ita ut homini ſapienti, & qui nolit contra veritatem apertam pertinaciter obluctari, non ſuperſit ullus dubitandi locus. Ex duabus præmiſſis certis & indubitatis, certò concludimus, quod recta totius Eccleſiæ, & omnium ſæculorum fides à nobis exigit, ut credamus; Igitur certiſſimè Chriſtus Salvator noſter eſt Deus. Cùm enim ex dictis conſtet, Deum qui ſummè & eſſentialiter verax eſt, in eo quod atteſtatur, mentiri non poſſe; adeóque neceſſe ſit, verum eſſe id quod ſua auctoritate confirmat: conſtet item ex probatis in ſecunda propoſitione, Divinitatem Chriſti Domini fuiſſe innumeris, veris, ac minimè dubiis miraculis, à Chriſto, in ejus teſtificationem editis, comprobatam; poteſt-ne rationabiliter & prudenter in dubium revocari, quòd Chriſtus ſit Deus?

Concluſio totius argumentationis.

Nonne poſt tantam probationum lucem, poſt tot divina miraculorum teſtimonia, oportet eum, non modò eſſe gnaviter impium & infidelem; ſed etiam inſanum & contra propriam ſalutem furioſum, qui

Digitized by Google

qui hanc veritatem tam magni ponderis, & fundamentalem in ſalute, nolit, ut debet, firmâ fide confiteri? Si quid credendum eſt, Deo jubente; poteſt-ne quidpiam tutiùs, prudentiùs & rationabiliùs credi, quàm quod auctoritate divinâ tam apertè nititur; & eminentiſſimo probationis genere, quo Deus poſſit rem aliquam confirmare, nimirùm proprio miraculorum ſigillo, ſtabilitum & obſignatum videmus. Denique an poteſt eſſe ſecurior fides, quàm quæ Deum habet tot modis fide-juſſorem? Videat ergò impius quid poſſit Deo, de fide interroganti reſpondere, ſi adhuc nolit, Deo tam manifeſtè loquenti, & atteſtanti credere.

SECTIO SEPTIMA.

Eadem veritas confirmatur ex conſideratione multitudinis miraculorum Chriſti.

QUamvis ex argumento propoſito, res jam plenè confecta videatur; & veritas Divinitatis Chriſti tot miraculorum radiis circumfuſa, omnes incredulitatis tenebras diſcuſſerit: ad uberiorem tamen illorum notitiam habendam, velim ut præter ea quæ dicta ſunt, Lector ad quædam inſuper attendat, quæ non parùm ad eandem fidem magis roborandam, poterunt deſervire; videlicet ad multitudinem varietatemque miraculorum à Chriſto Salvatore editorum, deinde ad eorumdem poſt ejus mortem continuationem, tum per Apoſtolos & Diſcipulos Chriſti, tum per eorum in Eccleſiâ ſucceſſores.

Et quidem quod ſpectat ad multitudinem, de quâ diſſerimus hac ſectione; licet in Evangelicâ Hiſtoriâ recenſeantur permulta: certum eſt tamen, Chriſtum

Digitized by Google

longè plura; adeòque penè innumerata patraſſe.

Id S. Joannes diſertè ſignificat, loco jam antè citato, *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu Diſcipulorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, &c.* Ioan. 20 v. 30 cap. 21. v. 25.

Et facilè colligi poteſt ex Matth. c. 4. ubi ſic habetur; *& circuibat Ieſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam; & obtulerunt ei omnes malè habentes, & variis languoribus, & tormentis comprehenſos; & qui Dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos: & curavit eos.* Ingens multitudo miraculorum Chriſti. Matth. c. 4. v. 24.

Atque ut rectè obſervarunt recentiores, Matthæi 4. & 5. indicatur, Chriſtum, multos alios quàm qui in Evangelio memorantur, à mortuis ſuſcitaſſe, illuminaſſe cæcos, &c. cùm ſic dicitur; *Ite, renunciate Joanni, quæ audiſtis & vidiſtis; cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.*

Et cap. 13. v. 30. *Acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, claudos, debiles, & alios multos; & projecerunt eos ante pedes ejus: & curavit eos.*

Item Luc 6. v. 19. *Et omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.*

Quibus locis innuitur innumerabilis multitudo miraculorum Chriſti. *Quam ob cauſam meritò dixit Chryſoſtomus, Evangeliſtas, nubes quaſdam ſignorum, (miraculis ſcilicet innumeris, veluti guttis pluviæ fœtas) grandi verborum parcitate tranſcurriſſe; neque in ſingulis immoratos eſſe: ſed unico verbo, miraculorum pelagus comprehendiſſe.* Chryſ. Homil. 14 & 18 in Matth.

Hæc miraculorum innumerabilis multitudo, haud

dubiè indicabat in Chriſto fontem inexhauſtum Divinitatis; illorum operatricis.

SECTIO OCTAVA.

Confirmatur 2. eadem veritas ex continuatione miraculorum per Apoſtolos & Diſcipulos Chriſti poſt ejus mortem.

ALterum item digniſſimum conſideratione, eſt continuatio miraculorum Chriſti poſt ejus obitum. Non enim deſiit, poſtquàm ex hoc mundo diſceſſit, miraculis ubique gentium, & omnibus poſteà ſæculis inclareſcere. Siquidem omnia quæ ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, uſque ad hoc tempus, variis in locis facta ſunt, non fuerunt facta niſi in nomine Chriſti Salvatoris, & ex ejus virtute: quæ proinde non ceſſarunt hactenùs ejus Divinitatem toto orbe prædicare.

Miracula per Apoſtolos facta.

De miraculis, quæ Apoſtoli paſſim & frequentiſſimè poſt Chriſti mortem ad perſuadendas fidei veritates, edidêre, habemus teſtimonium Evangeliſtarum, & ipſorum Apoſtolorum, qui id ſæpiſſimè in ſcripturâ ſacrâ teſtantur; afferendo etiam pleraque in particulari, facta publicè & in oculis populorum. Sic S. Lucas in Actis Apoſtolorum cap. 5. v. 12. 14. &c. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe magis: autem augebatur credentium in Domino multitudo, virorum ac mulierum; ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis.* Horum nonnulla ſubjicio.

Marc. ult. Matth. c. 10. c. 16. & alibi.

Actor. 3.

Petrus videns hominem claudum juxta portam ſpecio-

ſam Templi, in nomine Ieſu dixit; ſurge & ambula; & apprehenſâ manu ejus dexterâ, allevavit eum; & conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ. Act. 3.

Ananias & Sapphîra uxor ejus ob defraudatum agri pretium, morientes ad Petri *pedes ceciderunt.* Act. 5.

Angelus Domini per noctem recluſit carcerem, in quo ſub cuſtodiâ publicâ detinebantur Apoſtoli, & eduxit eos. Act. 5.

P*rædicante* Philippo *in Samariâ, multi qui habebant ſpiritus immundos, clamantes, exibant. Multi etiam paralytici, & claudi curati ſunt.* Act. 8.

Saulus dum iret Damaſcum, ad capiendos Chriſti Diſcipulos, cæleſti lumine circumfuſus, in terram proſtratus eſt; ſed interiùs illuſtratus, quamvis extrà excæcatus. Act. 9.

Æneam paralyticum ab annis octo jacentem in grabato, Petrus *ſanavit, dicendo; Ænea, ſanet te Dominus Ieſus.* Actor. 9.

Petrum *incarceratum, catenis duabus vinctum, & à ſexdecim militibus diligentiſſimè cuſtoditum, Angelus Domini ſolutum eduxit; & porta ferrea ultrò aperta eſt eis.* Actor. 12.

Tabithâ mortuâ Petrus *omnibus foras ejectis, flexis genibus oravit, & converſus ad corpus Tabithæ mortuum, dixit; Tabitha, Surge; At illa aperuit oculos, & viſo Petro resêdit.* Actor. 9.

Elymam magum, Pſeudoprophetam Iudæum Paulus privavit lumine oculorum; eò quòd ille Proconſulem Paulum avertebat à fide; & Apoſtolis verbum Dei prædicantibus reſiſtebat. Act. 13.

In civitate Lyſtris erat quidam claudus, ex utero matris ſuæ, qui nunquàm ambulaverat; hunc intuens Paulus *dixit voce magnâ; ſurge ſuper pedes tuos rectus: & exilivit, & ambulavit.* Act. 14.

Quædam puella habens ſpiritum Pythonem, magnum quæſtum præſtabat dominis ſuis, divinando: hæc ſequebatur Paulum & Lucam, clamans & dicens; Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt. Paulus autem dixit ſpiritui; præcipio tibi in nomine Ieſu exire ab eâ, & exivit eâdem horâ. Act. 16.

Cùm eſſent Paulus & Silas in carcere laudantes Dominum, ſubitò terræ motus factus eſt magnus, ita ut emoverentur fundamenta carceris; & ſtatim aperta ſunt oſtia omnia, & univerſorum vincula ſoluta ſunt. Ibidem.

Virtutes non modicas faciebat Deus, manu Pauli, ita ut etiam ſuper languidos deferrentur ab ejus corpore ſudaria, vel ſemicinctia; & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur. Act. 19.

Quidam Iudæi tentaverunt invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Ieſu Chriſti, dicentes; Adjuro vos per Ieſum, quem Paulus prædicat. Reſpondens ſpiritus, Ieſum novi, & Paulum ſcio, vos autem qui iſtis? & inſiliens homo in quo erat dæmonium, dominatus eſt eorum; ita ut nudi & vulnerati effugerent. Ibidem.

Vnâ ſabbati Paulus diſputans protraxit ſermonem uſque ad mediam noctem: ſedens autem quidam adoleſcens ſuper feneſtram, cùm urgeretur ſomno gravi, cecidit de cœnaculo tertio deorſùm, & ſublatus eſt mortuus. Ad quem cùm deſcendiſſet Paulus, *incubuit ſuper eum. Adduxerunt autem eum viventem, & conſolati ſunt nimis.* Act. 28.

Patrem Publii *febribus & dyſenteriâ laborantem* Paulus *factâ oratione, & manuum impoſitione ſanavit: quo facto omnes, qui in inſulâ illâ habebant infirmitates, accedebant & curabantur.* Actor 28.

Tempore hyemali, cùm evaſiſſent Paulus *& ſocij ejus de confractâ navi, & calefacerent ſe ad ignem, vipera*

Digitized by Google

vi caloris procedens, invaſit manum Pauli, quam ille excutiens in ignem, nihil mali paſſus fuit; cùm tamen crederetur ab hominibus regionis illius illicò moriturus. Act. 28.

Sic adhuc poſt mortem Chriſti, vigebat & diffundebatur virtus ejus miraculoſa; Apoſtolis in ejus nomine mira paſſim operantibus; quod certè fieri non potuiſſet, niſi fuiſſet Deus.

Sectio Nona.

Confirmatur tertiò eadem veritas ex continuatione miraculorum in Eccleſia per Apoſtolorum ſucceſſores, & miniſtros Chriſti.

NEque ſolùm Apoſtoli; ſed etiam eorum coætanei & ſucceſſores, per ſingulas ætates à Chriſto uſque ad hæc noſtra tempora, tum ſimilia, tum alia plurima miracula, in nomine Salvatoris ediderunt, quæ ſancti Patres, aliique ſcriptores graves ſuis libris prodidêre. Ut Athanaſius in vitâ ſancti Antonij: Hieronymus in vitâ S. Hilarionis; de quibus uterque teſtatur, illos eximios Dei ſervos ita miraculorum multitudine coruſcaſſe, ut nuſquàm ampliùs latêre poſſent, quacunque ſe reciperent ut applauſum hominum & affluentiam populorum ad ſe undique accurrentium declinarent. Gregorius Nyſſenus in vitâ S. Gregorij Thaumaturgi: Gregorius Nazianzenus in oratione de ſanctâ Gorgonia: Ambroſius in libr. de Virgin. Auguſtinus libro 22. de civitate c. 8. & Epiſt. 98. Chryſoſtomus in oratione de Sancto Babylâ; & homiliâ in Lucianum, aliiſque plurimis locis: Severus Sulpitius in vitâ ſancti Martini: Gregorius magnus in dialogis: Theodoretus in vitâ ſancti Simeonis Stylitæ, de quo ipſe

Miracula per Apoſtolorum ſucceſſores patrata.

aliique tradunt, ad ejus columnam, frequentem hominum concurſum olim fieri ſolitum; ita ut ad eam nemo proficiſceretur æger, qui non rediret ſanus. Evodius Epiſcopus Africanus, ad quem eſt Epiſtola Auguſtini 98. libro integro de miraculis ſuo tempore, per reliquias S. Stephani Protomartyris, factis.

Multa item recenſet Cæſarius, Monachus Ciſtercienſis, prægrandi volumine, de iis quæ ſuo tempore patrata ſunt, exarato; Multa Beda Preſbyter, per Germanum & Lupum Epiſcopos in Angliâ, tum orationibus, tum ad ſancti Albani memoriam facta memorat: Multa Euſebius Cæſarienſis in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, & Baronius ſparſim in Annalibus: Aliique plurimi eruditi & ſancti viri, qui pro ſua ſanctitate vitæ, gravitate, & doctrinâ, ſine dubio longè magis merentur fidem, quam Hiſtorici profani, qui ſæpè per adulationem & in gratiam Principum, à quibus eorum fortuna pendebat, falſa commenti ſunt.

Non erit fortè injucundum lectori, ſi aſſignatis generatim miraculorum fontibus, apud auctores qui eâ ſummâ fide conſcripſerunt; quædam hîc in particulari referam memoratu digna, palàm in oculis omnium geſta, de quorum proinde veritate dubitare inſulſum eſſet; præſertim cùm probatiſſimorum ſcriptorum auctoritate nitantur.

Hiſtor. Eccleſ. l. 7. c. 24. §. 2. *Miraculum ſancti Gregorij*

Euſebius Cæſarienſis, de B. Gregorio Neocæſarienſi Epiſcopo, cognomine Thaumaturgo, ad memoriam poſteritatis hæc tradit. *Stagnum*, inquit, *quoddam erat in* P*onti regionibus ſitum, piſcibus copioſum, ex quorum capturâ prædivites reditus præſtabantur. Iſta poſſeſſio duobus fratribus, ſorte hæreditatis obvenerat; ſed pecuniæ cupiditas, (quæ penè omnium mortalium corda ſuperat,) etiam fraternam neceſſitudinem*

violavit. Coïbatur à fratribus tempore captionis, non tam ad capiendos piſces, quam ad homines decipiendos; cædes ac bella movebantur, humanus ſanguis pro piſcibus fundebatur. Sed Dei providentiâ, affuit aliquandò auxilium adventuſque Gregorij. Vidit prælia & mortes virorum, furenteſque germanos; quid cauſa exiſteret pro quâ in exitium ſui, ſuorumque fratres accenderentur, inquirit; nullam, niſi capturam piſcium, comperit. Tunc ille, cùm pro honore adventus ſui, utræque partes paululùm ſiluiſſent; Nolite, inquit, *ô filioli, rationales animas pro mutis animantibus violare; fraternam pacem, quæſtus cupiditate diſſolvere; Dei leges, & naturæ pariter jura temerare; & unà mecum ad ora ſtagni exitialis accedite. Ego jam vos per virtutem Domini, omni certamine cruentæ contentionis abſolvam. Et cùm hæc dixiſſet, in conſpectu omnium, virgam quam tenebat in manu, ad primas littoris undas defigit, & ipſe poſitis genibus palmas tendit ad cœlum, atque his verbis, excelſo ſupplicat Deo; (Tu Domine Deus patrum noſtrorum, qui cùm tibi primus homo Adam peccaſſet, & mandatum tuum præteriſſet, pœnam culpæ illius moderatus, ad terram, maledictionis ſententiam detorſiſti, dicens; Maledicta terra in operibus tuis. Et nunc ergò miſeratus horum juvenum fraternum ſanguinem, qui periclitatur, præcipe ut maledictæ ſint aquæ iſtæ in operibus eorum, pro quibus furore ſuccenſi, fraternæ pietatis obliti ſunt, ita ut in hoc loco, vel piſcis nunquàm appareat, vel aqua reſideat; ſed ſit campus aratri patiens, ac frugum ferax, & cuſtos in æternum fraternæ concordiæ perſeveret. Simul ut ille finem orandi fecit, ſtatim ſe unda ſubducens, & curſu velociore refugiens, à conſpectu ſuperno juſſa diſcedere, abyſſis ſuis redditur, & arentem campum germanis jam concordibus dereliquit. Sed & in hodiernum, frugum ferax eſſe dicitur ſolum, quod antè fuerat navium ferax.*

Thaumaturgi, in ſtagno litigioſo exſiccato.

Geneſ. 3.

Digitized by Google

Memoratur etiam aliud illuſtrius ab eo, & diviniùs geſtum, inquit idem auctor. *In quodam loco ruris anguſti cùm res poſceret Eccleſiam conſtrui, rupes quædam vicini montis, ex parte Orientis objecta, ex aliâ verò præterfluens fluvius, ſpatium, quantum Eccleſiæ ſufficeret, denegabat: & cùm alius omninò non eſſet locus, omneſque mœſtitiam gererent, quod ſolum ad conſtruendam Eccleſiam non haberent; ille fide plenus, pernoctaſſe in oratione dicitur, & Dominum Ieſum promiſſionis ſuæ admonuiſſe fideliter, quâ dixit; Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tollere, & mittere in mare; & fiet utique. Cúmque hæc plenâ fide atque devotione depoſceret, ad lucem coëuntibus populis, inventa eſt rupes importuna receſſiße tantùm, quantùm ſpatij ad condendam quærebatur Eccleſiam.*

Miraculum de rupe mota pro Tẽplo extruendo.

Matth. 17.

Pluribus aliis prætermiſſis, unum etiam memorabile ſubjicit prædictus Auctor. *Iter*, inquit, *ei fuiſſe quondam per Alpes dicitur hyemis tempore; & cùm perveniſſet ad ſummum Alpium jugum, nivibus repleta erant omnia, nullum uſquàm diverſorium: fanum ibi tantùm Apollinis erat, cui ſuccedens tranſactâ nocte diſceſſit. Sacerdos verò erat quidam fani ejus, cui conſulere ſimulacrum Apollinis, mos erat, & reddere reſponſa poſcentibus, ex quo ei etiam alimoniæ quæſtus eſſe videbatur. Igitur poſt digreßum Gregorij, offerre conſulta, & reſponſa poſcere Sacerdos acceſſit ex more; ſed nihil inde reſponſi veniebat: repetit victimas; ſilentium permanet. Iterum atque iterum litat; ſurdis ingerit fabulam. Cúmque ſtupore iſtius ſilentij æſtuaret Sacerdos, nocte ei aſſiſtens dæmonium, dicit in ſomnis; Quid me illic invocas, quò jam venire non poſſum? Percontanti cauſam, ſe adventu Gregorij dixit expulſum. Quid nunc remedij daretur cùm perquireret; ait, non aliter ſibi licere ingredi locum illum, niſi Gregorius*

Oraculum Apollinis obmuteſcit ex adventu Sancti Gregorij.

permiſiſſet. Quibus auditis Sacerdos, occupat viam, & multa apud ſe volvens animo, pervenit ad Gregorium; cui reverenter ſe ſubmittens, rem pandit ex ordine, humanitatis ſuæ atque hoſpitalitatis admonuit, querelam depulſi numinis premit, ademptam facultatem ſui queſtûs deplorat, ac reddi ſibi omnia in priſtinum ſtatum depoſcit. At ille nihil moratus, ſcribit epiſtolam Apollini in hæc verba; (Permitto tibi redire ad locum tuum, & agere quæ conſueviſti.)

Hanc epiſtolam ſacerdos accipit, & ad fanum defert, poſitâque eâ juxta ſimulacrum, affuit dæmon, ac dedit reſponſa poſcenti. Tum ille in ſemetipſum converſus, ait; ſi Gregorius juſſit, & Deus iſte diſceſſit; nec potuit redire, niſi juſſus; & rursùm jubente Gregorio reſtitutus eſt: quomodò non multò melior iſto Gregorius, cujus hic obtemperat juſſis? Clauſis igitur januis fani, deſcendit ad Gregorium, epiſtolam ſecum, quam acceperat referens, omnemque apud eum rei geſtæ ordinem pandens, ſimulque ſe ad ejus pedes proſternens, rogat ut illi ſe Deo offerat, cujus virtute, diis Gentium Gregorius imperabat. Cúmque enixiùs & pertinaciùs perſiſteret, Catechumenus ab eo factus eſt; & cûm ſe vitæ caſtiſſimæ & abſtinentiſſimæ, derelictis omnibus, non ſolùm erroribus dæmonum, ſed & ſæculi actibus, mancipaſſet, etiam baptiſma conſecutus eſt. Et in tantùm, vitæ merito, ac fidei virtute profecit, ut ipſe Beato Gregorio in Epiſcopatu ſucceſſor extiterit.

Sacerdos Apollinis ad Chr. convertitur.

Nec videtur omittendum quod ex Gregorio Nyſſeno, & Theodoro lectore addit Baronius ad annum Chriſti 266. n. 4. Cùm commune cæteris ſepulcrum optaviſſet; tamen corpus ejus thecâ privatâ repoſitum fuiſſe, & magno honore habitum, miraculis coruſcaſſe; adeóque charas fuiſſe ejus ſacras reliquias Deo omnipotenti, ut Eccleſia, in quâ repoſitæ fuerunt, quam ſcilicet ipſe Gregorius anteà in uſum

Gregor. Nyſſenus, in prædicti Gregorij vita. Theodor. lector.

Fidelium conſtrui curaverat, ſupervenientibus licet diris terræ motibus, quibus illa civitas propemodùm funditùs corruit, publicaque cum privatis ædificia proſtrata ſunt, nihilominùs divino miraculo ſemper remanſerit integra & illæſa.

Colect. lib. 1. *Eccleſia à ſancto Gregor. extructa, immunis à terræ motibus.*

S. Auguſtinus libro 9. Confeſſionum cap. 7. memorat miraculum publicè factum, ſuo tempore, Mediolani ubi aderat præſens, ad contactū feretri in quo repoſita erant corpora Martyrum Protaſij & Gervaſij, in hæc verba. *Tunc Antiſtiti tuo* (Ambroſio) *per viſum aperuiſti, quo loco laterent Martyrum corpora Protaſij & Gervaſij, quæ per tot annos incorrupta in theſauro ſecreti tui recondideras, unde opportunè promeres, ad coërcendam rabiem fœmineam, ſed regiam. Cùm enim propalata & effoſſa digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam Baſilicam; non ſolùm quos immundi vexabant ſpiritus, confeſſis eiſdem dæmonibus ſanabantur; Verùm etiam quidam, plures annos cæcus civis, civitatique notiſſimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiſſet atque audiſſet, exilivit, eòque ſe ut duceret ſuum ducem rogavit. Quò perductus impetravit admitti, ut ſudario tangeret feretrum pretioſa in conſpectu tuo mortis ſanctorum tuorum. Quod ubi fecit atque admovit oculis, confeſtim aperti ſunt. Inde fama diſcurrens, inde laudes tuæ ferventes, lucentes; inde illius inimicæ animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt.* Ejuſdem miraculi mentionem facit idem Auguſtinus, libro 22. de Civitate Dei, cap. 8. col. 2.

Iuſtina Ariana imperatoris matris.

Cæcus ſanatur ad contactum Corporũ SS. Protaſii, & Gervaſii.

Pſal. 115

Ubi & aliud refert, cujus ipſe cum multis aliis teſtis oculatus fuit. Sic rem geſtam, quam pluribus exponit, in pauca contractam ſubjicio. *Cùm*, inquit, *de transmarinis Carthaginem veniſſemus, me & Alipium amicum meum, nondum quidem Clericos, ſed jam*

Auguſt. l. 22. de Civit. c. 8. col. 2.

Deo ſervientes, hoſpitio ſuſcepit. Innocentius vir nobilis, & cũ totâ ſuâ domo religioſiſſimus. Curabatur à medicis propter fiſtulas, quas innumeras atque perplexas habuit in poſteriore, atque imâ corporis parte. Iã ſecuerant eum, & artis ſuæ cætera medicamentis agebant. Paſſus autem fuerat in ſectione illâ & diuturnos & acerbos dolores. Sed unus inter multos ſinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Poſt multas, inter Medicos & Chirurgos, de ſectione faciendâ altercationes, tandem omnes opinati ſunt, eum niſi ferro, nullo modo poſſe ſanari. Æger præteritis doloribus jam penè exhauſtus, ad nuntium renovandæ ſectionis totus exhorruit. Viſitabant eum quotidiè ſancti viri, Saturninus Epiſcopus; presbyter Geloſus, ac Diaconi Carthaginenſis Eccleſiæ. In quibus erat Epiſcoppus cum honore à nobis debito nominandus, Aurelius, cum quo recordantes mirabilia opera Dei, de hac re ſæpè collocuti ſumus.

Ægrotus à Medicis deſperatus ſanatur ob ſuas & adſtantium preces.

Qui cùm eum ſicut ſolebant veſperè viſitarent, rogavit eos miſerabilibus lacrymis, ut poſtridiè manè, cùm ſecandus eſſet, dignarentur eſſe præſentes, ſuo funeri potiùs, quàm dolori: tantus enim eum metus ex prioribus invaſerat pœnis, ut ſe inter medicorum manus non dubitaret eſſe moriturum. Conſolati ſunt eum illi & hortati, ut in Deo fideret, ejuſque voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingreſſi ſumus. Ubi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille ſe ita projecit, tanquàm fuiſſet aliquo impellente graviter proſtratus, & cœpit orare. Quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lacrymarum, quibus gemitibus, atque ſingultibus ſuccutientibus omnia membra ejus, & penè intercludentibus ſpiritum, quis ullis explicet verbis? Utrùm orarent alij, nec in hæc eorum averteretur intentio, neſciebam. Ego tamen prorsùs orare nil poteram; hoc tantùmmodò breviter in

Digitized by Google

corde meo dixi; (Domine quas tuorum preces exaudiſ, ſi has non exaudiſ?) Nihil enim mihi videbatur addi jam poſſe, niſi ut expiraret orando.

Surreximus, & acceptâ ab Epiſcopo benedictione diſceſſimus, rogante illo ut manè adeſſent; illiſque ut æquo animo eſſet, hortantibus. Illuxit dies qui metuebatur, aderant ſervi Dei, ſicut ſe affuturos eſſe promiſerant. Ingreſſi ſunt Medici, parantur omnia, quæ hora illa poſcebat; tremenda ferramenta proferuntur, attonitis ſuſpenſiſque omnibus. Eis autem quorum erat major authoritas, defectum animi ejus conſolando erigentibus, ad manus ſecturi, membra in lectulo componuntur, ſolvuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inſpicit Medicus, & ſecandum illum ſinum armatus atque intentus inquirit. Scrutatur oculis, digitiſque contractat; tentat denique modis omnibus: invenit firmiſſimam cicatricem. Iam illa lætitia, & laus atque gratiarum actio miſericordi & omnipotenti Deo, quæ fuſa eſt ore omnium lacrymantibus gaudiis, non eſt committenda verbis meis: cogitetur potiùs quàm dicatur.

Hactenùs Auguſtinus, qui poſtquam ibidem multa miracula retulit, ſuo tempore & quaſi ſub oculis facta; dolet quod cogatur aliorum plurimorum narrationem abrumpere; veniamque petit à lectoribus ſuis, quod tam multa prætermittat.

Baron. ad an. Chriſti. 484 n.8. *Linguis excisis Confeſſores loquuntur.*

Pergo adhuc nonnulla ex aliis auctoribus certa recenſere. Illud celeberrimum fuit quod ex Victore, cæteriſque narrat Baronius, in Typaſenſi Mauritaniæ civitate contigiſſe. Ubi cùm juſſu Regis quamplurimis Catholicis, Ariano ejus civitatis Epiſcopo communicare detrectantibus, dexteræ amputatæ, & linguæ radicitùs abſciſſæ eſſent; nihilominùs iidem, Spiritu Sancto præſtante, ita abſque linguis articulatè, quamdiù vixerunt, locuti ſunt, quomodò an-

Digitized by Google

teà loquebantur. Cujus ingentis, totoque orbe vulgati miraculi, non ſolùm ipſe Victor, qui ea præ oculis habuit in Africâ, aſſertor eſt: ſed & qui alibi nonnullos ex iis, itidem propriis oculis viderunt, & loquentes audierunt, idem confirmant; nempè Juſtinianus Imperator; & qui ſub ejus imperio floruerunt, Æneas Gazæus, Platonicus Philoſophus, Marcellinus Comes, & Procopius Rhetor Hiſtoricus. Illudque ipſum ab iis qui viderunt, acceptum memoriæ mandarunt S. Gregorius Papa; & Iſidorus. Additque Gregorius, unum ex illis Confeſſoribus poſteà in luxuriam lapſum, juſto Dei judicio privatum fuiſſe dono miraculi; ut qui carnis continentiam ſervare neglexerat, ſine linguâ carneâ non haberet verba veritatis. Sed Procopius, (apud quem iſta corruptè leguntur, inquit Baronius,) duos lapſos eſſe, & gratiâ miraculi privatos ſignificat.

Victor Uticenſ. l. 3. de perſecutione Vvandalica. *In ſua conſtitutione* Æneas Gaz. de imm. animæ, ext t 9. Bibliot. ſanct. Marcel. in Chr. Procop. l. 1. de bello Vvandal. Gregor. l. 2. Dialog 32. Iſidor. in hiſtor. Vvandal. *Lapſi in infidelitatem privantur gratiâ ſine linguis loquendi.*

S. Martinus Turonenſis Epiſcopus tam multa edidit miracula, ut Gregorius item Turonenſis, poſt quatuor libros de iis conſcriptos, multitudine obrutus, coactus ſit cætera premere ſilentio. Et ita facultatem thaumaturgam exercebat, diffundebatque, ut etiam invitos invaderet. Lepidum eſt, & memoratu dignum, cujuſdam mendici exemplum, qui fugiebat occurſum ſupplicationis, in quâ ſancti Martini reliquiæ deferebantur; ne ab infirmitate liberaretur, cujus oſtenſione quæſtum non modicum faciebat, & corrogatis ex miſericordiâ eleemoſynis, vitam copiosè ſuſtentabat. Is enim cùm præter voluntatem in eos incidiſſet, qui thecam ſacri corporis deportabant, invitus & renitens membrorum ſanitatem recuperavit.

Innumera miracula per S. Martinum edita. Mendicus ad occurſū reliquiarum S. Martini ſanatur invitus.

Digitized by Google

Multa miracula à S. Bernardo patrata.

Baron. ad an. Chriſti 1147. n. 9.

Inſigne miraculum à S. Bernardo publicè patratum.

In vitâ S. Bernardi, centum & ſexaginta miracula numerantur illuſtria, cum omnibus ſuis circunſtantiis diligenter expreſſa. Ex quibus unicum profero, quod refert Baronius ex gravibus, & oculatis authoribus. Cùm apud oppidum Sarlatum, die quodam contra hæreticos ſui temporis populosâ concione ſermonem habuiſſet; plurimi, de more, oblati ſunt ei panes ad benedicendum: ille fide vivâ, & zelo gloriæ divinæ fortiter animatus, eos ſigno crucis in nomine Dei benedicens, hæc adjecit verba; *In hoc ſcietis vera eſſe, quæ à nobis; falſa quæ ab Hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri, guſtatis panibus iſtis, adepti fuerint ſoſpitatem.* Cúmque Gaufredus Epiſcopus Carnotenſis, qui aderat, addidiſſet; *ſi bonâ fide ſumpſerint, ſanabuntur*: confeſtim S. Bernardus nihil hæſitans; *non ego hoc dixerim, ait; ſed verè qui guſtaverint, ſanabuntur, ut per hoc nos veros & veraces Dei nuntios, eſſe cognoſcant.* Tam magna autem multitudo languentium, eo pane guſtato convaluit, ut re per totam provinciam divulgatâ, vir ſanctus per vicina loca regrediens, ob concurſus intolerabiles à viâ declinaverit, & poſteà timuerit eò reverti. Hæc Gofridus, qui teſtatur, ſe penè omnibus quæ de ſancto Bernardo ſcripſit, præſentem interfuiſſe.

Gofridus in vita S. Bernardi l. 3. c. 5. & 6.

In præfat. ejuſdem lib. 3.

Miracula S. Franciſci de Paula.

Superiori ſæculo S. Franciſcus de Paulâ, Ordinis Minimorum Inſtitutor, tot miraculis, etiam vivens, claruiſſe perhibetur, ut ea quaſi ad manum dicatur habuiſſe. Quorum illud imprimis celebre, quòd à nautis non permiſſus illorum navim conſcendere, ſtrato ſuper fluctibus pallio, Siciliæ fretum, omnibus qui aderant vehementer mirantibus, incolumis trajecit.

Atque ut brevitatis causâ, innumerabilia cæterorũ ſanctorum poſtremi temporis miracula reticeam, ſcilicet

licet Vincentij Ferrerij, Caroli Borromæi, Nerij, Tereſiæ, aliorumque plurimorum: lubet in exponendis aliquot S. Franciſci Xaverij pauliſper immorari, quæ non homines tantùm aut oppida, ſed provincias & regna pro teſtibus habuerunt, quæque ita fuerunt fulgentia ut ipſorum hæreticorum confeſſionem extorſerint. Sic enim de illo Richardus Haclultus Miniſter Anglus ſcribit in 2. volumine de primis navigationibus, parte 2. pag. 8. *Pius ille Confeſſor, Indorum, in iis quæ ad Religionem pertinent, Inſtitutor Franciſcus Xavier, poſt multos exantlatos labores, poſt injurias & calamitates magno animo ſuperatas, omnibus benedictionibus plenus obiit anno 1552. poſtquàm multa hominum millia ad fidem Chriſti perduxiſset. De hoc viro ſancto, virtutibus ejus & mirabilibus, omnes recentes Indorum hiſtoriæ teſtantur.*

Miracula Sancti Frãciſci Xaverij etiã ab Hæreticis prædicata.

Hæc ille, vi manifeſtæ veritatis, coactus eſt eloqui; ſuffraganturque Hollandorum eò navigantium de ejuſdem ſanctitate & prodigiis teſtimonia. Nonnulla hîc ſummatim perſtringo, ex certâ Hiſtoriæ Indicæ, & ejus vitæ Scriptorum relatione; quæque ex ipſius Canonizationis actis ſeriò & ſtudiosè examinatis, collecta traduntur. Primo quòd omnis generis ægritudines curaverit, non tantùm per ſe, ſed etiam per pueros, quos ſæpè mittebat ad ægrotos, cùm non vacaret eos adire; pueri autem recitatione ſymboli, aut applicatione roſarij Beati Patris, illos ſanabant.

Innumera miracula à Sancto Franciſco Xaverio in vita, & poſt mortem edita.

2. Donum habuit linguarum infuſum, ſicut veteres Apoſtoli; ita ut diverſorum gentium linguis, quas non didicerat, cùm eas adiret Evangelij causâ, ita expeditè & eleganter loqueretur, ut eum concionantem, diverſarum nationum homines, ſuâ quiſque linguâ politè loquentem, audirent. Quin & ſæpè unico loquens idiomate, ab omnibus tamen, licet diverſis intelligebatur.

Digitized by Google

3. Nonnunquàm inter navigandum, aquâ dulci propter malaciam quatuordecim dierum, deficiente ad bibendum; facto ſigno Crucis, aquam ſalſam in vaſis ipſi ad benedicendum propoſitam, in dulcem convertit, unde ad reliquam navigationem quingenti vectores abundè ſitim reſtinguerent. Quo miraculo attoniti, multi etiam ex Mahumetanis fidem amplexi ſunt. Quin ex aquâ quæ navigationi ſuperfuit, in varias provincias, & urbes Indiæ diſtributâ, multi ægroti ſanitatem miraculosè receperunt.

4. Tempeſtates horridas ſæpè ſedavit; ac ſemel injectâ in Oceanum, Crucifixi effigie, quam de collo pendentem gerebat. Hanc ita projectam, & amiſſam Cancer marinus, obambulanti in littore maris reſtituit.

5. Sæpè viſus eſt è terrâ ſublatus, & in aëre ſuſpenſus, dum Sacrum faceret; dumque genibus flexis Euchariſtiam populo miniſtraret.

6. Urbem in Mauricâ regione, Chriſto rebellem, pluviâ ardenti cinere mixtâ caſtigatam, ad Dei obſequium reduxit.

7. In proceſſu ipſius Canonizationis, agniti ſunt viginti homines à morte ſuſcitati, in quibus fuit puer quidam qui ex peſtilenti febre mortuus, Mutano in Oppido Indiæ Orientalis, veſte funebri de more illius gentis obvolutus & conſutus, per viginti quatuor horas aſſervatus, ſepulturæ mandandus efferebatur, magno parentum ejulatu. Cui occurrens Xaverius, qui tunc in eodem oppido operam navabat Ethnicis ad fidem convertendis, & iis quos baptizaverat in fide Chriſtianâ erudiendis; parentum orbitatem miſeratus, genibus flexis, & oculis ad cœlum elevatis, Deum oravit pro pueri vitâ, & corpus aquâ benedictâ aſperſit. Deinde juſſit funebrem veſtem reſcindi; & cùm cadaver appareret, cruce illud ſi-

Digitized by Google

gnans, atque manu apprehendens, in nomine Jeſu vivere jubet: nec mora, puer ſtatim ſurrexit vivus, eumque viventem & ſanum parentibus tradidit. In cujus miraculi memoriam, & honorem Chriſti, Crux eo loco ab incolis fuit erecta, magnâ omnium celebritate.

In iis item fuit alius puer in promontorio Comorino; quem jam ab uno die ſepultum, inſpectante magnâ populi multitudine, vitæ reſtituit.

8. Prophetiæ donum habuit quaſi habituale, quo multa poſt futura libera prædixit; vidit abſentia, cogitationes internas & occultas penetravit. Satis erit unum ex plurimis exemplis proferre. Cùm Xaverius in animo haberet, puellam parentibus orbatam matrimonio jungere, ut eam eriperet periculo pudicitiæ, in quo verſabatur; divitem Mercatorem, Petrum Vellium, veterem amicum ſuum, in urbe Macao prope Sinas convenit; quem cùm latrunculis ludentem in domo alienâ reperiſſet, ab eo eleemoſynam petiit ad opus pium. Ei Vellius tradidit arcæ nummariæ clavim, jubens auferre quot vellet nummos. Xaverius domum illius profectus, trecéntis nummis aureis ex arca depromptis, Vellio retulit clavim. Qui domum reverſus, apertâ arcâ, nullam ex eâ pecuniam extractam fuiſſe cognovit. Poſt ſciſcitanti à Xaverio, quantùm auri abſtuliſſet, Pater reſpondit, ſe trecentos aureos deprompſiſſe. Cui Vellius ſignificavit, ſe omnes nummos, quotquot habebat, in arcâ repériſſe; addens ſe eâ mente clavem arcæ ipſi tradidiſſe, ut ex æquo dimidiam triginta millium aureorum, qui inerant, partem ſibi aſſumeret.

Mortis præſcientiam Vellio Mercatori prænũtiat; & vitam fortunæ bonis abũdantẽ.

Cui Xaverius; Ego verò tibi, Velli, polliceor in nomine Dei, & prædîco, Deum nunquàm tibi, dum vixeris, defuturum; & tibi ſemper ſuppeditaturum abundanter, ea quæ tibi opus erunt; & omnes tibi

liberali animo, ac voluntate largituros. Inſuper addo fore ut ſupremum vitæ diem præcognoſcas. Nec Vellium fefellit Franciſcus: quia licet multa ei acciderint adverſa, quibus videbatur in paupertatem caſurus, niſi eum omnes liberaliter juviſſent; nihil tamen illi aliquando, ſeu pro ſe, ſeu pro ſuâ familiâ defuit.

Multos igitur poſt annos, Vellius de inſtanti morte divinitùs præmonitus; rem ſuam familiarem magnâ ex parte in pauperes diſtribuit; Miſſas pro animæ ſuæ ſalute celebrari juſſit. Propinquis & amicis ſanus adhuc, ultimum vale dicens, Xaverij prædictionem, & ejus eventum lætus expoſuit, qui eum delirare rati ſunt. At verò cùm interfuiſſet Miſſæ, ſolemni defunctorum ritu celebratæ, ipſe ſe in feretro diſpoſuit, tapete coopertus, mortem ſenex expectans. Finitâ Miſſâ & dicto à Sacerdote, reſponſorio, Requieſcat in pace; famuli ejus accurrerunt ut auferrent tapetem, exiſtimantes vivum eſſe: ſed ille jam animam reddiderat ſuo Creatori. Quâ re ab omnibus perſpectâ, Xaverij vaticinatio fuit plenè comprobata.

Ejus corpus poſt obitũ conſervatur integrum & vegetum.

9. Mortuo P. Franciſco Xaverio in inſulâ Sanciano prope Sinas, ejus corpus in capsâ ligneâ, vivâ calce injectâ, ſub terrâ ſepultum fuit; ut quamprimùm exesâ carne, oſſa poſſent in Indiam deportari. Quatuor indè poſt menſes effoſſum eſt, apertâque capsâ, & excuſsâ calce prorsùs integrum repertum, ſine ulla tabe, perinde ac ſi recens humatum eſſet; ita ut color vividus, caro recens, veſtimenta nullâ ex parte læſa eſſent.

Injecta iterùm calce, in eadem arcâ Malacam defertur, ibique apertâ iterum arcâ, integrum ſicut anteà invenitur. In templum Beatæ Virginis de monte defertur; excuſſâque calce in novo loculo ſepelitur. Ubi cùm aliquamdiù jacuiſſet, nono poſt obitum

Digitized by Google

menſe, ſepulcro patefacto; non minùs integrum ex humo, quàm anteà ex calce inventum eſt; & velum, quo ejus facies operta fuerat, propter ingeſtæ compreſſæque terræ pondus in humatione, recenti imbutum cruore.

Quo moti miraculo, qui aderant, novam curarunt arcam, ſericâ & aureâ veſte intùs & foris coopertam. Sic in Indiam delatum Cocini portum primũ appulit, civibus ex devotione & admiratione confluentibus ad corpus contuendum. Inde Goam exportatum, celebrique ac feſtâ pompâ à Prorege & omnibus ordinibus exceptum, in Eccleſiam Societatis Jeſu defertur; ubi ut affluentis populi cupiditati fieret ſatis: corpus validis cancellis munitum, per totum triduum omnium oculis exponi neceſſe fuit.

Et quoniam rei miraculum excedebat fidem; de mandato Proregis, ab inſigni Medico corpus inſpectum fuit, ac pertentatum; compertumque incorruptum, ſuccoſum, & molle, integris ac ſolidis inteſtinis, ex quibus per parvum vulnus inflictum manabat ſanguis, nullo balſami, oleive indicio. Exacto triduo, arca prope aram maximam, ad dexteram, in ſepulcro per eos dies parato, ad tempus condita eſt. Poſteà Vicarius Generalis Epiſcopi Goani, ſede vacante, & Inquiſitor Generalis, aperto ſepulcro, multis collucentibus facibus, pro ſuo munere atque officio pertentarunt iterùm ac denuò corpus, nihilque in eo non integrum repererunt.

Manſit autem hactenus in ſtatu incorruptionis & integritatis à pluſquam centum & viginti annis; quanquàm ab eo tempore quo brachium ejus dextrum pietatis causâ, juſſu P. Claudij Generalis anno 1614. 3. Novembris, præciſum fuit, Romam aſportandum, non nihil fuit exſiccatum. Quâ re & aliis prodigiis ab ejuſmodi abſciſſione deterrentibus,

Digitized by Google

Deus & ipſe Sanctus ſignificarunt illam ſibi non placuiſſe.

Sanctum verò corpus, multis aliis miraculis Deus exornavit. Nam licet nullo odoramentorum genere perfuſum fuiſſet; tamen in toto tempore advectionis ſuæ ex inſulâ Sanciano, & in omnibus locis depoſitionis; ſuaviſſimum odorem emittebat: ita ut omnium ſpiritus ſuſcitaret, & confortaret; nec poſſent diſcernere, cujuſnam rei ille tam ſuavis odor eſſet.

Malaca ſæva peſtis ſubitò extinguitur, ad præſentiam ejus corporis.

Item cùm peſtis ſæviſſima Malacam urbem Indiæ Orientalis celeberrimam depopularetur, plurimique brevi tempore jam periiſſent cives; ut primùm corpus Beati Franciſci, quod ex Sinis in Indiam afferebatur, eò appulit, & ex navi eò delatum fuit: ſubitò & quaſi in momento, tota lues adeò repreſſa eſt ut exhinc nullus eâ correptus ſit, nullumque deinceps ejus veſtigium ſuperfuerit.

Cùm verò Goam Xaverij corpus Malacâ adveniſſet, & in Eccleſiâ expoſitum fuiſſet, ad indulgendum devotioni publicæ; magnaque populi multitudo ad deoſculandos illius pedes accurreret; mulier quædam inſulsè devota, ac fervore anomalæ pietatis impulſa, digitum pedis morſu apprehendit, nixa dentibus fruſtulum evellere, quod pro reliquiâ ſibi conſervaret.

Ex demorſo mortui digito, ſanguis effluit.

Quo ex morſu recens effluxit ſanguis, perinde ac ſi de corpore vivo manaſſet. Quo miraculo viſo omnes qui aderant præſentes hæſerunt ſtupefacti, & magno devotionis ſenſu erga B. Xaverium accenſi.

Lampades ante ejus maginē

Tradunt quoque Acta Canonizationis S. Xaverij, in Eccleſia Cottatæ oræ Travancoritidis in India Orientali, lampades poſitas ante imaginem P. Xaverij, ſolâ aquâ benedictâ repletas, ſæpè ardere viſas eſſe, & per multas horas, perinde ac ſi oleo plenæ fuiſſent. Et hoc in confirmationem fidei

Chriſtianæ, & ad oſtendendam Idololatriæ falſitatem, ac ſanctitatem P. Xaverij; multis Ethnicis, Mahometanis & Chriſtianis id videntibus & admirantibus; quorum aliquot, præſertim ex Infidelibus, invitati à Chriſtianis ad miraculum inſpiciendum, ut experimentum facerent de illius veritate, aquam ſubinde mutarunt, & nova ellychnia in dictis lampadibus impoſuerunt, quæ nihilominùs arſerunt ut anteà; & cùm eſſent extinctæ, ignem interdùm ex ſeipſis concepêre. *poſita, ardent ex ſola aqua benedicta.*

Multa alia referuntur facta miracula tum ad ejus ſepulcrum, tum per ejus invocationem, diverſis temporibus & locis, authoritate publicâ certiſſimis teſtimoniis comprobata; quæ faſtidij vitandi gratiâ lubens prætermitto. Unius duntaxat mentionem facio, quod patratum eſt in perſonâ Patris Marcelli Maſtrilli. Is filius erat Marchionis ſancti Marzani, cujus familia inter illuſtriores Neapolitanas clareſcebat. Cùm aliquando Neapoli in quadam Eccleſiâ, ad ejus ornatum quidpiam præpararet; malleus duarum librarum pondo, ex altitudine 25. pedum, in ejus caput decidit; quo ictu graviter percuſſus, & proſtratus, pro mortuo habitus eſt. *Sanatio P. Marcelli Maſtrilli planè mirabilis; & prædictione confirmata.*

Hinc ſtatim in domum Patrum Societatis Jeſu, cui nomen dederat jampridem, relatus, in gravia ſymptomata incidit, ex quibus plagam eſſe lethalem, ab omnibus judicatum fuit. Supervixit tamen adhuc aliquot dies; quamvis violentâ febri, doloribus capitis acutiſſimis, & graviſſimo totius corporis ſtupore conflictaretur, aliiſque pluribus malis, quibus tandem ad extremum vitæ diſcrimen deductus, ſacro extremæ unctionis oleo inunctus eſt. Cùmque vita ejus eſſet deplorata, nihilque ab omnibus, qui confertim aderant in cubiculo, expectaretur, niſi ut ſpiritum Deo redderet: repentè & ſine morâ ex invoca-

tione factâ ſancti Xaverij, cui ſpeciali devotione addictus erat; in omnium conſpectu ab eodem Sancto ſanatus eſt, qui & ipſi edixit, ut in Japoniam pergeret, ut ibi martyrio vitam finiret; quod peractum eſt cum circunſtantiis ita ſingularibus, ut omnes rei novitate attoniti obſtupeſcerent.

Surrexit igitur illicò, & in gratiarum actionem de ſanitate perfectè recuperatâ, cum omnibus Religioſis, qui lectum ejus circumſtabant; coram imagine ſancti Xaverij, cepit decantare, (*Te Deum laudamus, &c.*) Die inſequenti Sacrum publicè celebravit; & poſt non multos dies, iter in Indiam ſuſcepit. In tranſitu autem Italiæ & Hiſpaniæ, Urbano VIII. ſummo Pontifici, & Regi Philippo IV. ac Reginæ Hiſpaniæ, ex ordine, miraculum, ut geſtum fuerat exponit; cujus jam fama, regiones illas pervaſerat; ſcripto authentico, Neapoli & Romæ ad rei tantæ notitiam edito.

Certatim omnes accurrebant ut viderent hominem tam inſigni miraculo ſanatum, & ad palmam martyrij jucundè properantem.

Nec diù poſtquàm in Japoniam appulit, vix inchoatâ Evangelij prædicatione, juſſu Magiſtratûs apprehenſus, ad ſupplicium foſſæ illis locis familiare, damnatus eſt; ubi, cùm per quatriduum capite inverſo pependiſſet, adhuc vivus, capite truncatus fuit.

His miraculis tam patentibus, tam publicis, tam ſeriò & ſeverè examinatis, ſi quis fidem nolit adhibere: ſaltèm vel ex hoc ſinat ſe convinci, quòd minimè credibile eſt unicum hominem, imbellem & inermem, tot regna, tot nationes barbaras, totam ferè Indiam ad veri Dei & Chriſti cultum, ex idololatriâ inveteratâ ſine prodigiis adducere potuiſſe. Enimverò ad ejus prædicationem tanta fiebat animorum mutatio, ut non ſinguli, ſed millenarij converteren-

Digitized by Google

tur; & converſiones non ſecundùm perſonas, ſed per Provincias & regna numerarentur. Meritóque ac verè multi Scriptores prodidêre; unum Xaverium plures nationes infideles ad fidem Chriſtianam traduxiſſe, quàm omnes ſimul Hæretici perverterint; longiúſque imperium Chriſti dilataſſe, quàm ullus unquàm Monarcha victor ſuam dominationem propagârit.

S. Xaverius innumeros Infideles ad Chr. traduxit.

SECTIO DECIMA.

Confirmatur quartò eadem veritas, ex miraculis in Eccleſiâ permanentibus.

PRæter ea quæ ſuprà diximus de miraculis, virtute Chriſti factis, in omnibus Eccleſiæ ſæculis, adhuc obſervatione videntur digna, ea quæ Deus voluit in Eccleſiâ fieri continuò & perſeveranter, non tranſeuntia more cæterorum, ſed permanentia; qualia fuerunt apud Judæos, Piſcina probatica, & alia quædam. Tædioſum eſſet, omnia quæ nonnulli in hanc rem congeſſerunt, certa & incerta, recenſere: ſatis erit aliqua ex indubitatis & omnibus notis, hîc delibare.

Miracula permanentia, in veteri lege, & in Eccleſiâ Chriſtianâ.

Ex hiſtoriis & experientiâ compertum habetur, Judæos poſt necem Domini ita fœtêre, ut eos odoratus ferre vix queat. Et quod inſuper valdè mirum eſt, odor ille fœtidus poſt baptiſmum ſuſceptum, ſtatim diſſipatur; quemadmodùm illi poſt converſionem ſæpè faſſi ſunt. Et ſcripto tradidit Fortunatus Poëta, hoc diſticho;

Fœtor innatus Iudæis. Suſcepto baptiſmo abigitur.

Abluitur Iudæus odor baptiſmate divo,
Et nova progenies reddita ſurgit aquis.

Fortunatus. l. 5.

Celebre eſt illud, quod quotannis viſitur Neapoli

Bullitio ſanguinis S. Januar. Baron. ad ann. Chriſti 305. n. 1.

in Eccleſiâ Cathedrali, cum omnium ſpectantium admiratione, in ſanguine S. Januarij Epiſcopi Beneventani, qui apud Neapolim martyrio coronatus eſt, anno Chriſti Domini 305. ſub Conſtantio & Galerio Auguſtis. Ejus enim ſanguis poſt martyrium olim piè collectus è terrâ, cùm in ampullâ vitreâ concretus aſſervetur; tamen quotieſcunque ad ejuſdem Martyris caput admovetur, protinùs liquefieri, fluere, & ebullire cernitur. Quod miraculum fit item quotannis primo die ſabbati menſis Maij, quo ejus Martyris caput per urbem ſolemniter in ſupplicatione defertur.

Inſtrumenta Dominica Paſſionis in corde ſanctæ Claræ. Boſius de ſign. Eccleſiæ ſigno 59

Apud Montem Falconem in Umbriâ, in Monaſterio Religioſarum Auguſtinianarum, cor ſanctæ Claræ, ejuſdem loci Monialis, ad Paſſionem Domini olim ſingulariter affectæ, conſpicitur; in quo Dominicæ Paſſionis inſtrumenta, ſcilicet Crux, clavi, corona, lancea, &c. diſtinctè etiamnùm viſuntur; ut teſtatur Boſius, qui ea ipſis oculis vidit.

Tres globuli ſigillatim, & conjunctim æquiponderantes. Spondan. ad an. Chr 1308.

In eodem loco ſpectantur tres globuli mirabiles, in illius veſicâ fellis inventi, rotundi, nucis avellanæ magnitudine, coloris cinerei, ignotæ materiæ; ita diſpoſiti, ut trianguli formam efficiant; & Sanctiſſimæ Trinitatis, cujus illa extitit cultrix ſingularis, myſterium quodammodò exprimere videantur. Cùm, non ſolùm colore, figurâ & magnitudine, verùm etiam pondere ita ſint pares, ut tum ſinguli inter ſe, tum unus cum altero, aut tres ſimul appenſi, æquale ſemper pondus obtineant. Extant adhuc illa pietatis monumenta, unà cum corpore, incorrupta.

Petrus Clun. Abbas

Romæ in Eccleſiâ ſanctæ Mariæ Majoris, res item mira conſpicitur, teſte Petro Abbate Cluniacenſi; nimirùm quòd cerei, qui in pervigilio feſti Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, ad primas veſperas accenduntur, manentque accenſi uſque ad ſecundas, id

eſt, per 24. horas continuas, nullo modo minuuntur. Id quod, inquit prædictus Auctor, ad commendandam mortalibus Dei Matris gloriam, non ſemel tantùm, ſed aſſiduè recurſu annuo, Divina pietas, & potentia operatur.

l. 2. de miraculis, c 30. Cerei accenſi non minuuntur.

Aſſiſij, item in Italiâ, licet intueri glorioſa ſtigmata, corpori ſancti Franciſci olim divinitùs impreſſa, quæ adhuc extant in corpore incorrupto, incorrupta. Adduntque Hiſtorici, ſanctum illius corpus ſtare rectum in pedes, ſine ſuſtentaculo, manibus junctis, vultu & oculis in cœlum intentis, in modum hominis Deum precantis. Quod profectò tantum eſt, (inquit qui hoc miraculum refert) ut cùm ſit viventium ſtare, defunctorum ſubitò procumbere; nemo tamen vel vivens, hactenùs potuerit inveniri, qui per annum immobilis in precibus perſtiterit.

Stigmata corpori ſancti Franciſci incorrupto impreſſa. Corpus mortuū ſtat rectum in pedes.

Eodem Boſio teſte, in oppido Montoni, prope Eugubium, conſervatur una ex ſpinis, quibus caput Chriſti transfixum eſt, quam eò detulit Fortebrachius, ille militum dux celeberrimus. Hæc quotannis ſtato Paſſionis dominicæ die, cunctis videntibus & admirantibus floret. Allocutuſque ſum ego, (inquit prædictus Auctor) viros fide digniſſimos, qui id conſpexerunt. Refertque Epiſcopum ejus loci, nomine Paulum Marium, anno Chriſti 1472. iſtius miraculi teſtimonium publicum, ad eum miſiſſe, coram populo palàm exaratum, & Notarij manu, novemque primorum urbis, qui rem accuratè vidiſſe atteſtantur, obſignatum.

Boſius l 15. de ſignis Eccl. c. 9.
Boſius l 15. de ſignis Eccleſ. c. 16.
Sacra ſpina quotannis floret.

In Siciliâ velum ſanctæ Agathæ Virginis & Martyris oſtentatur venerationis gratiâ; quo objecto Cives Catanenſes, flammeos turbines ex monte Æthnâ ſubinde erumpentes, mirabiliter reprimunt ac ſiſtunt; flammis viſibiliter retro abeuntibus. Fazolus

Velum ſanctæ Agathæ flāmas. Æthnæ

us arcet. teſtatur rem ſæpiùs contigiſſe.

In Inſulâ Melitâ, ubi olim S. Paulus, morſus à viperâ nihil tamen inde mali paſſus; Deus in ſervi ſui commendationem effecit ut ex eo tempore ſerpentes omnes ibi veneno carerent; & quantumvis aliquem momorderint, nihil prorsùs afferant nocumenti. Quin & terram inſulæ, ejuſdem Apoſtoli merito, factam eſſe contra venena præſens antidotum, experientiâ conſtat univerſo Orbi, inquit Baronius.

Baron. ad an. Chriſti 58. n. 63. *In inſulâ melitâ ſerpentes ſunt ſine veneno*

Apud Caſſiodorum memoratur miraculum fontis, in eâ Italiæ provinciâ quæ Baſilicata cognominatur, qui quotannis in pervigilio diei veneris hebdomadæ ſanctæ, notabiliter intumeſcit & inflatur, dum Sacerdos ſacra Baptiſmatis vaſa benedicit; cæremoniâ verò peractâ, ſtatim ad nativam altitudinem deprimitur; Hæc ſunt Auctoris verba; *Cùm die ſanctæ noctis, precem baptiſmatis cœperit Sacerdos effundere, & de ore ſancto ſermonum fontes emanare; mox in altum unda proſiliens, aquas ſuas non per meatus ſolitos dirigit, ſed in altitudinem, cumuloſque tranſmittit. Erigitur brutum elementum ſponte ſuâ, & quadam devotione ſolemni præparat ſe miraculis, ut ſanctificatio Majeſtatis poſſit oſtendi. Nam cùm fons ipſe quinque gradus tegat, eoſque tantùm ſub tranquillitate poſſideat, aliis duobus cernitur areſcere, quos nunquàm præter illud tempus cognoſcitur occupare, &c.*

Fons intumeſcit dum ſacra baptiſmatis vaſa benedicũtur. Caſſiod. l. 8. Epiſt. ult. ad Severum.

Poſſumus quoque meritò inter miracula permanentia, recenſere ſacram, ut vocant, Ampullam, quæ Remis aſſervatur, de cœlo ad ſanctum Remigium delatam ad unctionem Clodovæi, cæterorumque Regum Franciæ; quæ poſt tot unctiones ab illo tempore repetitas, nondùm conſumpta eſt, vel exſiccata, oleo ad ſacram illam cerimoniam perenniter ſuperſtite. Quid quòd & ipſi Reges Galliæ, ex virtute unctionis

ſuæ mirabiliter acceptâ, nullâ habitâ meritorum ratione, pollent arcanâ & divinâ facultate, ſtrumas ſolo tactu curandi, his duntaxat verbis adhibitis; *Rex te tangit, Deus te ſanet.* Quæ miraculoſa virtus morbum incurabilem curandi, jam inde à pluribus ſæculis perpetuò viget.

Ampulla ſacra Remis in templo ſancti Remigij.

Reges Galliæ, ſolo tactu ſcrophulas curant.

Nihil hîc dico, de ſacris veſtigiis Chriſti in monte Oliveti impreſſis loco, unde glorioſus in cœlum aſcendit; quæ nullâ terræ ablatione delentur. Nihil de miraculo duplicis ſudarij, quibus Chriſtus è Cruce depoſitus, ad ſepulturam involutus eſt; aſſervanturque Veſuntione & Taurini, integra, illibata, & quaſi recens efformata; quamvis ad venerationem populi, & magnatum eò adventantium, fuerint infinities explicata, oſtenſa, replicata: de iis enim jam ſuprà dictum eſt cap. 2. ſect. 3.

Sacra Chriſti veſtigia in monte Oliveti.

Miraculoſa conſervatio duplicis ſudarij Chriſti.

Sed omitti non debet Cereus ſuâ perennitate miraculoſus Atrebatenſis in Arteſiâ; qui cùm quotannis in Eccleſiâ Cathedrali, certis diebus, longo temporis ſpatio ſoleat accendi, nullatenùs minuitur, nec ullum ceræ, aut ponderis diſpendium ſentit. Ut refert Guilbertus Gazetus, qui rei geſtæ hiſtoriam à principio retexit. Quod miraculum à pluſquam quingentis annis perſeverat; extatque vas ex ejus cerâ benedictâ ſtillante compoſitum, quod identidem repletur aquâ, quæ vim habet ulcera maligna mirabiliter ſanandi. In Epitaphio Tumuli ſancti Lamberti, Epiſcopi Atrebatenſis, cui prædicti cerei revelatio, & largitio à Beata Virgine facta eſt, hæc verba veritatis monumenta leguntur; *Huic Epiſcopo, & duobus joculatoribus, (i. fidicinibus) Itherio & Normanno, B. Maria, in hâc Eccleſiâ apparuit, dans eis candelam, per quam ſanantur ardentes igne malo.*

Cereus Atrebatenſis, qui non conſumitur.

In Angliæ regno perhibetur videri res planè mira, quæ a tempore quo S. Thomas Archiepiſcopus Can-

Digitized by Google

Cauda innaſcens poſteris interfectorum S. Thomæ Archie. Cant.

tuarienſis martyrio affectus eſt, hactenùs perſeverat; quòd ſcilicet poſteri omnes ab ejus interfectoribus oriundi, cum caudâ naſcantur; id quod apud Anglos magnæ infamiæ vertitur.

Miraculum præſervationis à rabie apud ſanctum Hubertum.

Eſt autem omnibus nobis notum, & valdè celebre miraculum ſancti Huberti Epiſcopi ultimi Tongrenſis, & primi Leodienſis, in oppido Ardüennæ Sylvæ, quod Andaïnum appellant. Cujus ſtolæ particulâ in frontem inſertâ, demorſi à canibus, vel aliis belluis rabie correptis tutò & certò ſanantur. De quo Adulphus Happartus in vitâ ſancti Huberti; & Joannes Robertus Societatis Jeſu, in libro de ejus geſtis fusè ſcripsêre. Qui poſtremus quatuor in eo circunſtantias planè miraculoſas adnotat.

Quatuor in eo circunſtãtiæ planè mirabiles.

Prima eſt, quòd quamvis ex prædictâ ſtolâ, plurimæ particulæ fuerint præciſæ: tamen ex eo non imminuitur; ita ut, quemadmodùm citatus Auctor obſervat, in eâ ſtolâ contingat, quod olim de ſacroſancto Crucis ligno ſcripſit S. Paulinus, ut in plures particulas diſtributa, integra ſemper perſeveret; *Sic indigentibus*, inquit, *texturam ſuam commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat; quotidiè dividuam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus.*

Altera circunſtantia mirabilis eſt quòd, (ſicut tot annorum centenariis probatum eſt,) minimæ illæ particulæ, quæ periclitantium frontibus inſeruntur, in iis non conſumuntur, ſed ſubſtantiæ ſuæ integritatem retinent. Quod eò magis eſt mirum, quòd & recula minima eſt; & ſanguis, caroque viva, vim habet, ea quæ inſita fuerint extrinſecùs, vel extrudendi validè, vel potenter tabefaciendi; id quod Medici & Chirurgi omnes fatebuntur. Caro quippe animalis ſic comparata eſt, nihil ut intra ſe extraneum patiatur: illud enim ſi accidat, omni ope expellere

Digitized by Google

conàtur ; neque antè dolore, tumore, pure & ſuppuratione caret, quàm moleſtum hoſpitem foras ejecerit. Id in minimis quoque corpuſculis evenire, argumento ſunt tenuiſſimi ſpinarum aculei, quibus cuticulam fortuitò ingreſſis, nulla pax aut quies eſt donec extrudantur. Et tamen aurum vel byſſus Hubertinæ ſtolæ intra frontem ex profeſſo ſepulta, tranquillè ibi, velut in amicâ ſede habitat ; nullus inde dolor, tumor nullus, nulla ſanies, mera ſanitas.

Tertia circunſtantia adhuc mirabilior, eſt quòd qui ſemel apud ſanctum Hubertum, ob rabiei periculum inciſus fuit, facultatem habet, malum alteri impendens ſuſpendendi & moram ſalubrem elargiendi, donec commodè poſſit ad ſubeundam inciſionem accedere, quâ de re authoris citati hæc ſunt verba; *ſed multò majus eſt, tantillam particulam, alicujus fronti inſertam, eam prætereà homini vim tribuere, ut in rabiem ipſe imperium obtineat ; & tamen res ita ſe habet. Morſu rabioſi animalis offenſus quiſpiam, vel itineris longitudine, vel difficultate, vel ætatis infirmitatiſque ratione, vel alioquin legitimè impeditus, Andaïnum tam properè nequit venire, quàm tanti mali imminentis magnitudo requirat ; accedit ad quempiam, cui illud ſtolæ beneficium impenſum ſit ; indicat periculum ſimul, & adhibendi properè remedij impedimentum ; opem rogat. Hic Chriſtianæ charitatis memor, & poteſtatis à Deo, ſanctoque Huberto acceptæ, ſibi conſcius ; quadragenûm dierum ſpatium illi prorogat ; quo toto tempore nullum illi ab rabie periculum ; quæ alioquin certò, poſt dies paucos invaderet.*

Quòd ſi elapſis 40. *illis diebus, necdum ſacri corporis domicilium adire liceat, necdum fronte ſtolam excipere ; eundem, alium-ve ſtolatum ſi iteratò accedat, à quo alios quadragenos dies, addi ſibi petat, obtinebit. Idque toties faciat & tamdiù, quamdiù & quoties juſta*

Digitized by Google

neceſſitas exiget; quâ ſublatâ Andaïnum petat, & quod moris eſt, juris-ve præſtet. Poteſt autem hæc temporis producendi ratio, etiam in plures annos uſurpari; dummodò qui eàm petit, quadraginta dierum ſpatium, ad ſingulas periodos, non planè effluere permittat; ſed aliquantò antè quàm penitus abierint, alias totidem poſtulet. Quòd ſi ultrà expectaret, in rabiem incideret; ut plurimis exemplis compertum eſt.

Quarta denique circunſtantia hujus miraculi, eſt quòd ut notat idem Auctor, qui fragmentum illius ſtolæ, fronte ſemel excepit; certum eſt nullum deinceps ei, quicquid acciderit, à rabie periculum imminere: id quod non vacat admirabilitate.

Plurima ſanctorum corpora incorrupta. Suaveolentia, & miraculorũ feracia.

Prædicto miraculorum permanentium generi, jure poſſunt adnumerari plurima ſanctorum corpora quæ etiamnum viſuntur integra & incorrupta, ut ſancti Nicolai Myrenſis Epiſcopi, Barij in Apulia; Beatæ Claræ de Montefalco; & aliorum de quorum ſepulcris, vel lipſanis liquores funduntur ſuaveolentes, & ad varios morbos ſalutiferi; vel ipſorum reliquiæ ægrotis applicatæ ab infirmitatibus ac periculis liberant. Quorum effectuum experientia tam aperta eſt paſſim, ut omnem cavillandi impudentiam ſuperet.

Oraculorum ceſſatio.

His adde continuatam huc uſque oraculorum ceſſationem, olim etiam ab Ethnicis decantatam, & in novo Orbe, ad præſentiam Evangelij renovatam.

Expulſio Dæmonum per exorciſmos.

Adde denique notiſſimam, & frequentiſſimam improborum Spirituum, vel invitorum obedientiam, ad Chriſti nomen, & exorciſmorum adjurationem.

Qui omnes effectus ſupernaturales, clarè prædicant Chriſti Divinitatem, in illis influxu perpetuo radiantem.

SECTIO

Sectio Undecima.

Solvuntur objectiones contra miracula Chriſtiana, & primam Propoſitionem.

TAmetſi omnes ſuperioris ratiocinationis partes, tam ſolidè & evidenter ſtabilitæ ſint, ut nihil poſſit in contrarium opponi, quod illas infringere valeat: nihilominùs ut magis percipiantur, diſſipenturque omnes difficultates, quæ in mente hominis pertinacis poſſent ſuboriri: hîc ea proponam, quæ vel inſcitia, vel impietas ſolet obtendere.

Et quidem contra primam propoſitionem nonnulli objiciunt primò. In hiſtoriis profanis legimus, miracula quædam fuiſſe ab Ethnicis facta; videlicet, per Simonem Magum, quem in cœlum volantem S. Petrus ſuis precibus in terram dejecit. Per Magos Pharaonis, qui prodigia Moſis æmulabantur. Per Apollonium Tianæum, qui etiam magicam artem profitebatur. Et Tacitus in hiſtoriâ humanâ refert, Veſpaſianum, Alexandriæ in Ægypto, ex inſtinctu Dei Serapis, duos ægros ſanaſſe, quorum unus oculorum tabe, alter manu laborabat. Et ſexaginta octo poſt annis, Imperator Adrianus, teſte Spartiano, mulieri cæcæ viſum reſtituit; & homini item cæco à nativitate. Quin & nonnulli dicuntur mortuos ſuſcitaſſe.

Miracula quædam produntur ab Ethnicis facta.

Tacit. l. 4. n. 115.

Ex quo videtur infringi allata probatio, ex miraculis petita; atque effici, illa non eſſe teſtimonium Dei, aliquam veritatem atteſtantis; ac proinde non continuò verum eſſe, quod iis comprobatur.

Illa aut falsò ſuppoſita fuerunt; aut tantùm impropriè dicta miracula.

Reſp. Ex initio prænotatis de duplici genere miraculorum, propriè & impropriè dictorum. Et fateor quidem, Magos antè nominatos potuiſſe, & reipsâ

Digitized by Google

feciſſe quædam, quæ impropriè & latè tantùm vocantur miracula; id eſt, effectus quoſdam, qui hominum quidem, ſed non Dæmonum facultatem excedunt. Verùm iſta non dico, eſſe certum teſtimonium veritatis, quia non ſunt divinum. In propoſitione autem noſtrâ, quâ ſtatuimus, aliquid eſſe certiſſimè verum, quod miraculis eſt atteſtatum, locuti ſumus de veris & propriè dictis miraculis, quæ ſuperant vires activas totius naturæ creatæ, & conſequenter à Deo ſolo fieri poſſunt. Quo genere miraculorum Divinitatem Chriſti frequentiſſimè fuiſſe atteſtatam oſtendimus.

Quid ſentiendum de miraculoſa curatione, quæ attribuitur Veſpaſiano.

Quod attinet ad miraculum Veſpaſiani memoratum, ſi verè factum eſt; factum eſt ope Dæmonis, & interventu Apollonij Tianæi Magi, qui tunc Alexandriæ degebat, eratque Veſpaſiano perfamiliaris. Et verò iſte Imperator manus ægris impoſuit, non quòd in ſe aliquam eos ſanandi virtutem agnoſceret: ſed ex ſuorum impulſu Aulicorum, qui affirmabant illi, fore ut prædictis ægris ſanitatem redderet.

Quid de miraculis adſcriptis Adriano.

Miracula autem quæ aſcribuntur Adriano, merè fictitia, & falsò ſuppoſita eſſe conſtat, ex ipſomet Spartiano Hiſtorico, qui ea refert. Siquidem addit, Marium Maximum, (qui eſt auctor antiquus & gravis) ſignificare, ea fuiſſe de induſtriâ conficta, ad leniendum tantiſper animum miſeri Imperatoris, qui rabie efferatus, in ſeipſum paratus erat ſævire, quòd aquâ intercute torqueretur. Ut ſcilicet eo artificio deſperati Principis animus erigeretur in ſpem ſanitatis recuperandæ, ſiquidem ipſe alios valuiſſet curare.

Quid de aliis ſimilibus.

Idem dicendum eſt de quibuſdam aliis, Antonino imperante, falsò ad populo gratificandum, adinventis in commendationem Æſculapij. Quâ in re Polybius auctor gravis, fidem Hiſtoricorum reprehendit, qui iſta figmenta literis prodidêre.

Cæterùm ſi qui ſuſcitationem mortui referant ab aliquo Gentili factam; certum eſt, id per adulationem, aut vanè confictum eſſe, adeóque inter fabulas computandum. Aut certè per faſcinationem à dæmone factum eſſe in ſpeciem, ad homines decipiendos; aſſumendo ad aliquod breve tempus, cadaver mortuum, & in eo locutionem efformando.

Suſcitatio mortui nulla per Gentiles facta.

Vel certè ut benè tradit, ex antiquis, Michaël Medina, illi qui viſi ſunt revixiſſe, fuerunt Apoplectici; quem morbum, quidam ſiderationem vocant, quòd ſubitò invadat: quidam verò, attonitum appellant; quòd ut Aëtius ex Archigene docet, qui in hanc paſſionē inciderunt, cum totius ſenſus mortificatione, & privatione, ſolâ vitâ ſervatâ, ſubitò concidant. In iſtâ enim paſſione, cerebro, communi omnium nervorum principio, patiente, univerſæ corporis partes, ſubitaneam totius ſenſus & motus, qui per nervos in totum corpus diffunditur, jacturam patiuntur.

Michaël Medina l. 2. de rectâ in Deum fide, c. 7.

Nonnulli qui viſi ſunt revixiſſe, fuerunt Apoplectici.

Aut erant κάρῳ correpti; qui morbus, ut Poſſidonius docet, non eſt aliud, quàm capitis quædam ſubita perculſio, cum debili febre, frigidis humoribus cerebrum invadentibus, ex quo totius corporis immobilitas, & ſtupor conſequitur, cum primariarum actionum læſione. In quo morbo, homo profundiſſimo ſomno correptus, oculis clauſis in ſpeciem demortui, per maximum tempus jacet immobilis.

Aut κάρῳ correpti.

Aut erant Syncoptici, id eſt, Syncope affecti. Quod genus morbi, Græci λειποψυχίαν, hoc eſt, animi deliquium vocarunt. In quo plerumque morbo, non tantùm totius corporis, & univerſorum ſenſuum ſtupor incurritur; ſed etiam pulſûs motus amittitur; ita ut à mortuo nihil homo differre videatur, quamdiù eo morbo detinetur. Nam cùm in reliquis humani corporis morbis, pulſus remaneat, unde vitæ colligun-

Aut Syncoptici.

Digitized by Google

tur indicia: in hoc nec pulſus quidem, qui indicet hominem vivere, permanet; unde non tantùm vulgo, ſed etiam ſapientibus, qui hoc morbo laborat, defunctus apparet. Provenit autem iſta pulſûs amiſſio ex cordis frigiditate; quoniam & pulſus ipſe ad cordialis caloris eventationem, & refrigerationem fuit à naturâ inditus. Unde ex pravâ affectione, & præternaturali frigiditate, cor frigidum eventatione non indiget; ideóque pulſûs neceſſitas naturalis ſubmovetur. Durat autem hæc paſſio, quamdiù eſt humorum præternaturalium ſymptôma & inſultus.

Mulieres hysterico morbo vexatæ, nonnũquàm mortuis ſimiles.

Sunt & in fœminis paſſiones, quas Græci vocant hyſtericas, id eſt, uterales, quibus etiam mirâ quadam ratione, multum tempus, quaſi mortuæ, jacent; quâ de re fusè Medina loco citato. Nonnunquàm autem ex uteri ſtrangulatione fit, ut toto corpore frigefacto, oris ac narium reſpiratio intercidat; ſuperſit autem ea quæ ab arteriis fit: profundiſſimo itaque ſopore hæ mulieres corripiuntur, voce, ſenſu, ac motu interruptis. Ita Aetius.

Ex quo conſtat, nullum eorum à mortuis revixiſſe, ſiquidem mortui non erant: ſed conſumpto humore, & peractâ morbi periodo, illos convaluiſſe; aut vehementiâ agitationis, à morbo excitatos; ut rectè docet Euſebius, libr. contra Dionem Alexandrinum.

Quòd verò fuerint veræ mortuorum ſuſcitationes, quæ à Chriſto, vel Apoſtolicis viris factæ ſunt, id eſt, quas vera animæ & corporis ſolutio præceſſerit; vel inimicorum Pharizæorum in hac parte ſilentium apertè demonſtrat. Cur enim non Apoplecticos, aut Syncopticos, aut aliis, quos enarravimus, morbis correptos clamaſſent; niſi vidiſſent, ſe tanquam mendaces, & procaces Sycophantas, qui rem manifeſtam calumniarentur, eſſe à populo ridendos;

An qui in Beelzebub dæmonia fugare, & rem cum diabolo habere Chriſtum dicebant; in mortuorum ſuſcitatione, ſi potuiſſent cum aliqua veriſimilitudine, naturales morbos non fuiſſent cauſaturi? Sed quos naturales morbos in fœtido Lazaro prætexere poterant? Naturali enim languore correptus, dum adhuc anima manet in corpore, corrumpi non poteſt; Lazarus autem præ cadaveris fœtore, ferri non poterat.

In Archiſynagogi etiam filiæ ſuſcitatione, tanta erat mortis evidentia, ut eo dicente non eſſe mortuam, ſed dormire puellam, penè ut delirum riderent.

Idemque ſentiendum de cæteris, vel quos per ſe Chriſtus evocavit; vel quos vivificavit Apoſtolica manus, in Chriſti nomine & virtute; ſiquidem in iis nullum fuit prædi[c]torum morborum indicium vel ſuſpicio.

Adde, quod eſt efficax argumentum, & quod naturalis morbi prætenſionem penitùs excludit; antè memoratas mortuorum ſuſcitationes, non ſponte naturæ, nec remediis adhibitis; ſed ad Chriſti imperium, vel Apoſtolorum preces fuiſſe patratas, in teſtimonium Evangelicæ veritatis. Et verò impudentiſſimum eſſet dicere, Lazarum, aut filium viduæ, aut Archiſynagogi puellam, humore conſumpto ad priſtinum ſtatum rediiſſe; cùm non ſuâ ſponte lapſu temporis, ſed ſtatim ad juſſionem Chriſti redierint. In illis, quos ex Gentium hiſtoriis produnt ſuſcitatos, naturalis morbi peractâ invaſione, ſcilicet quando humores qui ſtuporem illum cauſabant, vel pharmaco inſtillato, vel ipsâ naturæ vi paulatim reſoluti evaneſcebant; ſalus & vitæ actiones, ad nullius imperium provocatæ, revertebantur. Sed longè aliter ſe res habuit in prædictis Chriſti & Apoſto-

Digitized by Google

lorum ſuſcitationibus, ut conſtat.

Homines pravi, Hæretici & pagani, vera interdũ patrarũt miracula. Objicere poſſunt 2. Sæpè contigiſſe, ut homines peſſimæ vitæ, atque etiam Hæretici, Judæi, ac Pagani, vera & propriè dicta miracula fecerint: Igitur ne quidem vera miracula, ſunt certæ atteſtationes veritatis. Antecedens probatur primo ex ipsâ Scripturâ ſacrâ; legimus quippè apud Marcum, Joannem Apoſtolum dixiſſe Chriſto; *Vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.* Significavit autem Salvator, non debuiſſe illum impedire. Marc. 9.

Matth. 24. Et apud Matthæum, multos in die judicij dicturos eſſe Chriſto; *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis,* (inquit Chriſtus,) *quia non novi vos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem.*

Matth. 24. Et alio loco dicitur; *Surgent Pſeudo-Chriſti, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.*

Apocal. 13. Item in Apocalypſi S. Joannes prædicens miracula, quæ facturus eſt Anti-Chriſtus, ait; *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum, & ſeduxit habitantes in terrâ, propter ſigna quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ, &c.*

Probatur 2. Ex Hiſtoriâ profanâ, & Eccleſiaſticâ; in quâ proditur, mulierem quandam Romanam, nomine Claudiam, cùm inſimularetur adulterij, in teſtimonium pudicitiæ ſervatæ, magnam navim, funiculo cinguli alligatam pertraxiſſe ad littus quam multi boves, nec ulla vis humana potuerat loco movere. Similiter Virginem Veſtalem, quam falſo crimine calumniabantur, quòd virginitati labem intuliſſet; ut eam intactam oſtenderet, cribro aquam

Digitized by Google

hauſiſſe, ita ut nullâ parte diffluerct. Et hâc noſtrâ ætate. Pariſiis nonnulli, quorum fides erat valdè ſuſpecta, multa in publicum dederunt miracula, apud ipſos per ſanctam Spinam patrata.

Reſpondeo 1. Pleraque miracula, de quibus Scriptura locis citatis loquitur, eſſe tantùm impropriè dicta miracula, quæ virtute cauſarum naturalium, ope Dæmonis effici poſſunt. Qualia ſine dubio erunt, quæ edentur ab Anti-Chriſto, & olim à falſis Prophetis edita ſunt. Quibus populo illudebant falſis rerum imaginibus; vel producendo effectus mirabiles auxilio diaboli agentia naturalia ſubtiliter applicantis, quorum virtutes occultas optimè novit: quibus proinde plurimos morbos, qui ab hominibus incurabiles reputantur, facillimè curat; poteſtque per motum localem, res velociſſimè adductas aliundè, oculis aſpectantium, non ſine admiratione, ſubitò exhibere. Sed ut jam ſignificavi, iſta pſeudo-miracula non ſunt atteſtatio divina, de quâ hîc agimus, nihilque vetat quominùs in mendacij commendationem fiant. *Non omnia quæ iis attribuuntur, fuerunt vera miracula.*

Reſpondeo 2. Quamvis vera & divina miracula ut plurimùm patrari ſoleant, per homines ſanctos, & virtute conſpicuos, tanquàm per inſtrumenta magis idonea, & Deo meliùs conjuncta: fateor tamen, nonnunquàm Deum juſto fine uti hominibus pravis, atque etiam hæreticis & infidelibus ad aliqua perficienda miracula: quemadmodùm olim Balaam, licet impium, dono Prophetiæ inſtruxit. Et nemo neſcit, proditorem Judam, multa cum aliis Apoſtolis prodigia operatum eſſe. Cujus rei hæc eſt ratio, quòd facultas miraculorum effectrix, eſt donum merè gratuitum, ut ſunt aliæ gratiæ, quas Theologi gratìs datas appellant, quæ ſcilicet non dantur intuitu meritorum, neque ad bonum ejus cui dantur, ſed bo- *Non repugnat ut Deus per homines improbos, aut Infideles, peretur miracula, juſtos ob fines.* Numeror. 24.

num ſpirituale aliorum. Quare donum miraculorum nullatenùs ad hoc ordinatur, ut eorum ſanctitatem ſignificet, qui miraculosè operantur; ſed ſolùm veritatem, quam per ea Deus vult declarari aut confirmari.

Itaque Deus interdùm cum Infideli concurrit ad miraculum edendum, ut innocentiam injuſtè accuſatam, teſtetur: uti præſtitit in causâ Claudiæ illius Romanæ fœminæ, cujus facta eſt antè mentio; & in ſuffragium Virginitatis prædictæ Veſtalis. Aliàs ad confirmandam veritatem quarumdam reliquiarum; vel ad aliarum rerum ſacrarum commendationem; in patrandis miraculis utitur operâ pravorum hominum, atque adeò inimicorum Eccleſiæ; ſive formando ſignum Crucis; ſive aquam benedictam, vel oleum ſacrum, aut quidpiam ſimile applicando.

Nunquàm Deus per miracula, falſum atteſtatur. Nec per ea approbatur vita aut doctrina operantium.

At, quamcunque perſonam Deus adhibeat ad miraculum efficiendum; certiſſimum eſt, eum per illud, non niſi verum atteſtari; cùm maximè repugnet Deo, qui eſt prima & ſuprema veritas, ſuo teſtimonio, putà hæreſi alicui ſuffragari; quamvis per Hæreticum fiat. Quamobrem non valet illatio, ſi quis dicat; iſte edidit miraculum tale: igitur eſt homo juſtus; igitur Deus illius doctrinam approbat; aut mores; horum nihil planè ſequitur. Quam in rem præclarè S. Gregorius dixit; *Veros Dei famulos, non miracula, ſed vera charitas probat.* Et verò quemadmodùm quidam in Eccleſiâ reperiuntur nomine ſanctitatis illuſtres, qui nulla, dum viverent, miracula fecêre; (nam ex. gr. nuſquàm legimus Beatiſſimam Virginem, ſanctum Joſephum, aut S. Joannem Baptiſtam, miraculis in vitâ claruiſſe;) ita potuerunt aliquandò impij, vel Hæretici, in fines à Deo intentos, miraculorum effectores exiſtere.

S Greg. 20 Moral. in Iob. c. 8.

Porro ſciendum eſt, quoniam miracula ſecundi &

minoris ordinis, quæ vires naturæ creatæ non excedunt, poſſunt indiſcriminatim tum à Deo interdum, tum à dæmone procedere: de ſe non eſſe ſigna ad veritatem certò teſtandam determinata. Quare in iis diſcernendis prudens adhibenda eſt cautio, & explorandæ omnes circunſtantiæ; præſertim verò attendendus finis, ut ex eo principium effectivum dignoſcatur. Nam 1. Ubi neque honor Dei promovetur; neque hominum, quos ad arctam Dei amicitiam vita ſancta provexit, gloria commendatur; nec credentium utilitas quæritur; non eſt facilè credendum divinam virtutem interveniſſe. Multò minùs ſi advertatur, ea fieri oſtentationis vanæ gratiâ; vel ad conciliandam perſonæ operanti exiſtimationem; aut delectationis cauſâ ad ſpectantium curioſitati ſatisfaciendum. Divina quippè miracula non ſunt curioſitatis irritamenta, non vanitatis pabula, non quæ humanos ſenſus oblectando demulceant: ſed quæ Eccleſiam ædificent; quæ Dei reverentiam & timorem in animis generent; quæ ad ſanctorum venerationem, & imitationem provocent.

Cautio adhibenda in diſcernendo principio effectivo Miraculorum ſecundi generis.

Deinde, ſi quod miraculum edi videatur in confirmationem doctrinæ pravæ, quæ nimirum adverſetur dogmati in Eccleſiâ communiter recepto, & definito; vel nixo evidenti authoritatis Divinæ, ſeu Scripturæ ſacræ teſtimonio, aut multis aliis miraculis confirmato: illud ſine dubio, Dæmoni tanquam Authori tribuendum eſt, non Deo. *Deus enim, ut ait Apoſtolus, ſeipſum negare non poteſt.* Nec ſuæ revelationi aliàs factæ contradicere. Quem in ſenſum idem Apoſtolus ad Galatas ſcribebat; *Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quàm quod evangelizavimus vobis, Anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico; ſi quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepiſtis, Anathema ſit.*

Ad Timoth. Epiſt. 2. c. 2. v. 13.

Ad Galat. 1.

SECTIO DUODECIMA.

Solvuntur objectiones contra ſecundam propoſitionem, de veritate miraculorum Chriſti.

CONtra ſecundam propoſitionem, fortè objicient. 1°. Quamvis allatæ probationes miraculorum Chriſti ſint valdè probabiles, non pariunt tamen evidentiam de illorum veritate; & conſequenter non eſt omninò evidens, Chriſtum eſſe Deum; ac proinde non apparet eſſe obligatio illud firmiter credendí.

Res fidei non debent habere evidentiam, ut credantur.

Reſpondeo, non haberi quidem evidentiam metaphyſicam, aut phyſicam de veritate miraculorum Chriſti; ſiquidem ea ipſi non vidimus: nihilominùs habemus de iis evidentiam quandam moralem, & tam certam, ut de iis prudenter dubitari non poſſit. Quâ certitudine & evidentiâ novimus, Rempublicam Romanam aliquando extitiſſe; exiſtere nunc in mundo Sinas, & Indos; eſſe urbem Romam aut Conſtantinopolim. Quas res licet non viderimus, tamen ex communi hominum teſtimonio, quos non eſt credibile ad nos decipiendos conveniſſe, ita moraliter certum eſt illas exiſtere; ut nemo poſſit eas non ſolùm prudenter, ſed nec ſine ſtoliditate & inſaniâ in dubium revocare.

Sed potiùs obſcuritatem.

Tantùm autem abeſt, ut veritates fidei debeant evidenter innoteſcere, ut credantur: ut potiùs ex naturâ & eſſentiâ fidei debeant eſſe obſcuræ, ſaltem ex parte motivi revelationis divinæ, propter quam rebus revelatis aſſentitur. Alioqui nihil omninò virtutis eſſet in ſubmiſſione intellectûs noſtri, ad locutionem divinam; nec ullum meritum in fide. Quid enim meriti aut virtutis poteſt eſſe, ſi credas quod vides?

Digitized by Google

Id nos Apoſtolus docet, cùm dicit; *Fides eſt argumentum rerum non apparentium.* Et alio loco, *Videmus nunc in ænigmate, & per ſpeculum; tunc autem facie ad faciem.* Et in eundem ſenſum S. Petrus fidem vocat, lucernam in tenebris hujus vitæ, obſcurè lucentem. *Lucerna eſt*, inquit, *lucens in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat.* In æternitate beatâ. Ad Hebr. 11. 1. Corinth. 13. 2. Petr. 1. v. 19.

Idem tradunt unanimi conſenſu ſancti Patres; ita ut S. Auguſtinus fidem in eo conſtituat, quòd objectum creditum non videatur. *Quid eſt fides?* inquit, *credere quod non vides.* Auguſt. tract. 40. in Ioan.

Et S. Gregorius; *Non habet fides meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Greg. Homil. 26. in Evang.

Quare cùm fides Chriſtiana non poſtulet evidentiam, ſed potiùs eam reſpuat, ut meritoriè credat: ad firmiter credendum, ſicut debemus, ſufficit ut revelatio, ſeu atteſtatio divina, ſit ita evidenter credibilis, ut de eâ prudenter dubitari non poſſit. Quo in caſu Deus pro ſuâ authoritate exigit à nobis, & præcipit, ut ſibi ſub tantâ credibilitatis luce loquenti ſubmittamus intellectum, aſſentiamurque veritati revelatæ, tot tantiſque ſignis ac teſtimoniis divinis confirmatæ. *Ad firmitatē fidei, ſufficit evidens credibilitas, excludens omnem prudentem dubitationem.*

Quo pacto Rex jure à ſuis ſubditis exigit, ut ſibi cum comitatu & apparatu regio, cæteriſque ornamentis, Regem maximè credibiliter deſignantibus adventanti, honor ac reverentia exhibeatur, quamvis non metaphyſicè evidenter conſtet, Regem eſſe. Vel quemadmodùm Gubernator aut Magiſtratus alicujus urbis, ex Regis imperio graviter tenetur, literas ab ipſo miſſas, ſigillo regio obſignatas admittere; illis fidem adhibere, & exequi quod jubent. Licet non planè evidenter illi notum ſit, has literas eſſe regias; ſatis eſt quòd de iis moraliter certus ſit, & dubitare non poſſit quin ſint literæ regiæ: quo in caſu ſi eas re-

Digitized by Google

pudiaret, ſi nollet obtemperare, ſine dubio Regem graviter offenderet, & meritò plecteretur.

Quo exemplo ſenſibili manifeſtum redditur, ad credendum Deo, evidentiam omnimodam non requiri; illoſque eſſe inexcuſabiles, qui poſt tantam miraculorum Chriſti veriſimilitudinem, & credibilitatem ejus Divinitatis tam lucentem, pertinaciter renuunt credere.

Objiciunt 2°. Quod jam tempore Auguſtini, Chriſtianis hominibus objiciebatur: Si facta ſunt olim tam multa tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis miracula; cur nunc fieri deſierunt; cùm ſit idem Deus & eadem fides?

Aug. l. 22. de Civit. c. 8. *Non sũt nunc neceſſaria miracula Chriſtianis.*

Reſponderi poteſt 1°. Quod olim huic objectioni reſpondit ipſe Auguſtinus; *Neceſſaria quidem fuiſſe miracula, priuſquàm crederet mundus; eum autem qui adhuc prodigia, ut credat, inquirit, ipſum magnum eſſe prodigium, qui mundo credente, non credit.*

Gregor. Homil. 29. in Evang.

Quæ ratio ſolida eſt, & confirmatur ſimilitudine appoſitâ, quam affert in hanc rem S. Gregorius; *Cùm enim*, inquit, *arbuſta plantamus, & adhuc tenera ſunt, ſæpiùs irrigantur ut creſcant; quando autem creverint in arborem duram & ſolidam, ceſſat irrigatio. Similiter quando Eccleſia erat naſcens, & adhuc tenera, indiguit irrigatione miraculorum, ut adoleſceret; poſtquàm autem toto orbe diffuſa eſt, miraculorum irrigatio ceſſavit.*

Et verò ſic legimus, Moſaicæ Legiſlationis initio, multa & ingentia fuiſſe patrata miracula, quæ poſtea, ſemel eâdem lege receptâ, cuncta ceſſarunt; eorum tantùm in mentibus hominum memoriâ ſervatâ, quâ quoties eſſent ad Deum revocandi, commoniti, peccare deſiſterent. Nihil enim in Scripturâ ſacrâ frequentius, quàm miraculorum repetitio; quòd ſcilicet ea ſine novis miraculis, ad retinendam legem &

fidem ſemel ſuſceptam, divino judicio ſufficere viderentur. Quidni pariter & in lege Chriſtianâ?

Sed hoc & in cæteris rebus humanis, videmus contingere, ut benè obſervavit Michaël Medina, in quibus nova incepta, aliquamdiù duratura, ſolemnibus quibuſdam ceremoniis, & nobili pompâ principio firmantur; non item poſteà quàm hominum aut Reipublicæ conſenſu ſunt comprobata. Ut conſtat in electione Imperatoris, aut Pontificis; in matrimonio ineundo, & ſimilibus, quæ præviis ceremoniis ſufficienter manent probata & ſtabilita; Evangelica miracula ſunt, ut diximus, ſigilla quædam verbi divini, quibus cœleſtem doctrinam, quaſi Regia aut Imperatoria reſcripta, firma eſſe cognoſcimus. Ergò poſteaquàm primis Eccleſiæ, Reique publicæ Chriſtianæ parentibus, initio Religionis naſcentis, Apoſtolico munere, miracula orbi innotuerunt: non ſunt iterùm propter infidelem quorumdam duritiem, in medium revocanda.

Medina l. 2. de rectâ fide, c:

Miracula ſunt irrigatio Eccleſiæ naſcentis.

Fuerunt in ædificio Eccleſiaſtico miracula, fulcra quædam; eò quòd dum exſtruebatur, molli ac tenero operi erant neceſſaria: poſteà verò ædificio conſtructo, ſunt diruta; quoniam nulla ampliùs eorum neceſſitas ſuberat. Quemadmodùm perfecto ædificio materiali, ligna & trabes quæ operi ſtruendo ſupponebantur, è medio tolluntur; quoniam deinceps magis impediunt, quàm proſint.

Sunt ſimilia fulcris ædificiorum ex ſtruendorum.

Cæterùm qui non credit Scripturæ, & Divinæ revelationi, quam ſcit tot olim miraculis illuſtratam fuiſſe; aut qui ejus commonitione à peccatis non recedit: certè neque ſi coram illo fierent miracula, crediturus eſſet, aut aliter victurus. Etenim dives ille avarus in Evangelio infortunatè celebris, qui ob impiam vitæ mollitiem, fuit in gehennam detruſus; cùm ad fratres commonefaciendos, mitti quem-

Qui renuit credere Scriptura ſacra, & Eccleſiæ; miraculis etiam

viſis non credet. piam poſtularet; ne ſi ſua ſequerentur veſtigia, in eundem tormentorum locum venirent; eo quod expetebat, recuſato, reſponſum accepit; *Moyſen habent & Prophetas*: Cúmque ille inſtaret; *Non, Pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ad illos ierit, pœnitentiam agent*: rursùs audivit; *Si Moyſen & Prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Quòd ſcilicet, quem Scriptura non valet inflectere, neque miracula commovebunt.

Luc. 16. v. 14.

Enimverò quot & quàm illuſtria miracula viderunt Pharizæi? nec tamen propterea ad meliorem frugem converſi, peccare deſierunt. Magna item prodigia vidit Pharao, videruntque Ægyptij; neque tamen ſeipſis meliores effecti, à populi Dei perſecutione quieverunt. Magna fecit Eliſæus coram Achab & Joram Regibus Iſraël: & tamen tunc maximè Idololatria viguit. Nimirùm quia, *Perverſi difficilè corriguntur; & quem Deus deſpexit, nemo poteſt corrigere.*

Eccleſ. 1.

Satis igitur eſſe debet homini Chriſtiano, ſi ad antiqua miracula mentem convertat; non requirendo nova curioſè, ne fortè audiat, quod Chriſtus Pharizæis, ſignum de cœlo petentibus reſpondit; *Generatio prava & adultera ſignum quærit, &c.*

Luc. 11.

Poſt Apoſtolorum tempora, miracula non defuerunt. Reſponderi poteſt 2°. Divinam miſericordiam, etiam poſt Apoſtolica tempora, omnibus Eccleſiæ ſæculis, multis paſſim miraculis, Chriſti Domini Divinitatem, & Religionis Chriſtianæ veritatem confirmaſſe. Ut conſtat ex iis quæ ſuprà dicta ſunt de continuatione miraculorum in Eccleſiâ poſt mortem Chriſti, ſect. 7. 8. 9. 10.

Objiciunt 3°. Gentiles Hiſtorici, qui minima quæque ſuorum temporum, memoriæ mandarunt, miraculorum Chriſtianorum quæ antè retulimus, mentionem non fecerunt: igitur fuerunt à Chriſtianis conficta.

Digitized by Google

Reſpondeo negando conſequentiam; eorum quippè veritas ſatis aliundè, & certò fuit ex Authoribus omni exceptione majoribus comprobata. Non eſt autem mirum ſi Gentiles ea ſuis libris non conſignarunt; cujus ſilentij multæ ſunt cauſæ. 1°. Quia homines Chriſtianæ Religionis hoſtes, noluerunt futuris temporibus, illius fundamenta relinquere. Deinde quia non poterant ſine violatæ religionis ſuæ ſuſpicione, referre miracula Chriſtiana; ideoque non ſunt auſi ea ſuis libris inſerere, ne in crimen vocarentur. 3°. Quia dæmone illos excæcante, & proprio in contrarium inducti præjudicio, ea ſibi perſuadebant, eſſe aut fabulas, aut præſtigias magicas, quas non exiſtimabant eſſe tanti, ut mererentur ſuis in libris locum obtinere.

Cur Hiſtorici Gentiles miraculorum Chriſtianorum mentionem nō fecerint.

Qui autem Deo illuſtrante, eorum veritatem agnoſcere non abnuerunt, & veriti non ſunt propter ſupplicia imminentia, Chriſtianæ fidei nomen dare: ſtatim atque fidem amplexi ſunt, Divinorum prodigiorum patroni & præcones effecti ſunt; eáque ſuis in ſcriptis commemorarunt. Quòd autem Ethnici non poſſent inficiari, fieri talia miracula, conſtat ex ſcriptis Chriſtianorum, ad ipſoſmet; ut ex Apologetico Tertulliani ad Scapulam; & ex libro 6. Arnobij aliorumque contra Gentes.

DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI.

CAPUT QUINTUM.

Quintum argumentum illius demonſtrativum. Prædictiones, & cogitationum internarum cognitio.

SECTIO PRIMA.

Quòd ſolius Dei proprium ſit, res liberè futuras certò præcognoſcere.

NON eſt hîc nobis ſermo de prædictionibus, ſeu prophetiis olim factis de ipſo Chriſto, antequàm naſceretur; de iis egimus in primo argumento credibilitatis; ſed de prædictionibus ipſius Chriſti, ſive quas ipſe fecit de rebus futuris ab humanâ voluntate pendentibus; ac de cognitionibus intuïtivis cogitationum cordis humani, quas ſæpè ſine ullo indicio revelavit.

Argumentatio ſecundùm formam proponitur. Quæ probatio, ut clariùs & fortiùs procedat, ſic diſcurſum demonſtrativum inſtituo. Ille maximè prudenter, & omninò veriſimiliter creditur Deus, qui longè antè præſcivit, ac prædixit plurima futura in poſterum, contingentia, à Dei & hominum voluntate

luntate dependentia: novitque certò cogitationes penitùs internas & occultas, nullo externo indicio manifeſtatas; præſertim ſi innumera aliunde concurrant, ejuſdem Divinitatem apertè demonſtrantia. Atqui Chriſtus dum viveret, multa ejuſmodi futura longè antè prænunciavit; & cogitationes hominum latentes intuitus, ſæpenumerò ſignificavit ſe noſſe ac declaravit. Igitur Chriſtus ſummâ cum veriſimilitudine, & ita prudenter creditur Deus, ut non niſi cum maximâ temeritate, & animi obſtinatione negari poſſit. Singulas hujus ratiocinationis partes, claritatis gratiâ, diviſim ſequentibus ſectionibus demonſtrabo.

Et quidem prima propoſitio de prædictionibus rerum futurarum contingentium, videtur ex eo manifeſta; quòd ut docent unanimi conſenſu Theologi, cum ſancto Thoma, ſolius Dei ſit futura libera certò præcognoſcere; ita ut nequidem Angelus, quamvis ſummâ inter creaturas, intelligendi vi præditus, poſſit naturaliter iſtiuſmodi futura certò prænoſſe; multò minùs homo, qui Angelo longè inferior eſt in vi & modo cognoſcendi. *Probatio prima propoſitionis.* *S. Th. 1. p. q. 57. art. 3.* *Solius Dei eſt futura libera certò præcognoſcere.*

Probaturque primò ex ſcripturâ paſſim, ubi futurorum illorum cognitio aſſertur pro manifeſto ſigno Divinitatis, ſicut eorum certa prædictio pro charactere ſermonis divini. Ut Iſaiæ 41. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis.* Et ibidem cap. 46. *Ego ſum Deus, & non eſt ultrà Deus, nec eſt ſimilis mei, annuncians ab exordio noviſſimum, & ab initio quæ nondum facta ſunt dicens.* *Ex ſcripturâ ſacrâ.*

Suffragantur communiter ſancti Patres; Tertullianus Apol. c. 20. *Idoneum*, inquit, *ut arbitror, teſtimonium Divinitatis, eſt veritas divinationis.* Etenim divinatio non aliunde dicta eſt quàm quia eſt aliquid divinum. Et cap. 22. loquens de dæmonibus; *æmulantur*, in- *Authoritate ſanctorum Patrum.*

quit, *Divinitatem, dum furantur divinationem.* Scilicet ex ſcripturis, & Prophetis.

S. Chryſoſtomus Homil. 18. in Joan. *Miracula*, inquit, *apud ſtultam plebem nonnunquàm calumniâ notantur; Prophetia nulli criminationi eſt obnoxia. Hoc enim vel maximè Dei opus eſt, quod neque dæmones imitari poſſunt, quamvis majorem in modum adnitantur.*

Idem docent S. Auguſtinus in libro de divinatione dæmonum, præcipuè cap. 6. Damaſcenus libro 2. de fide, cap. 4. & alij.

Experientiâ & ratione.

Probatur 2. Experientiâ & ratione. Experientiâ quidem reſpectu hominum; omnes enim experimur, nos futura contingentia non cognoſcere certò, ſed tantùm dubitanter ex quibuſdam conjecturis, quæ ſæpè noſtram divinationem fallunt.

Ratione verò, etiam reſpectu dæmonum, quia nimirum ejuſmodi futura libera, nullo in medio vel objecto detegi poſſunt ab Angelis. Non enim in ſeipſis videri; cùm illa non magis ſint actu, quàm merè poſſibilia. Non in ſuis cauſis, cùm adhuc liberæ ſint, & ad utrumque indeterminatæ. Non in aliquâ ſpecie ipſis innatâ; ſiquidem ut docent Theologi nullas habent naturaliter ſpecies rerum futurarum repræſentativas. Ac proinde certum eſt, ſolius Dei eſſe, per infinitam & ineffabilem intelligentiæ ſuæ virtutem res liberè futuras, certò & diſtinctè præcognoſcere.

Quomodò dæmones futura libera prænunt ient.

Itaque vanum eſt, quod nonnulli obtendunt, Dæmones multa ſæpè, vel per ſe, vel per homines malos ab ipſis edoctos, liberè futura vaticinari; putà Regum ſeries, ſummorum Pontificum mutationes, regnorum viciſſitudines, bellorum exitus & ſimilia.

Ad hoc enim reſponderi poteſt, primo & ſæpè

Digitized by Google

dæmones eſſe mentitos ; unde reſponſa ſua , & prædictiones ſoliti ſunt verbis ambiguis involvere, ne mendacij arguantur, ut eſt illud ; *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.*

Reſpondetur 2. Quamvis interdùm verà præſignificent, non propterea notitiam habere liberorum futurorum ſecundùm ſe, & ſine medio extrinſeco. Poſſunt quippe nonnulla prædicere 1. Ex divinâ revelatione ipſis factâ, vel immediatè à Deo, vel per Angelos bonos, juſtas ob cauſas, & tanquàm Divinæ juſtitiæ Miniſtris ; ut tradit Auguſtinus libro 2. de Geneſi ad literam. Conſtat enim Deum etiam per malos & impios, quædam revelare ; ut per Balaam & Caïpham ; & per Sibyllas Gentiles, atque Idololatras, olim prædixit ventura. Deinde poſſunt illa nonnunquàm vaticinari, ex eo quòd norint revelationes hominibus ſanctis à Deo factas, ſive ad proponendum Eccleſiæ, ſive ad privatam ipſorum conſolationem, ſive ad bonum commune, & Principum. Quæ revelationes ex eorumdem dictis aut ſcriptis, aliisve ſignis, poſſunt Dæmonibus innoteſcere, ut docet Tertullianus cap. 20. Apologet.

3. Quia ſæpè prædicunt quæ ipſi facere decreverunt ; aut ſunt procuraturi per homines malos, quos experimento ſciunt, ſibi fore obſequentes. Ut ſcribit Auguſtinus libro de divinatione Dæmonum, cap. 5.

4. Quia interdùm nunciant facienda, quæ jam facta ſunt, aut fieri incipiunt ; ut qui poſteà audiunt, vel vident facta, exiſtiment verè fuiſſe prædicta.

5. Denique poſſunt ſolerter hujuſmodi futura conjicere ex variis experientiis, & perſpectâ diſpoſitione atque inclinatione cauſarum liberarum, ſeſe exteriùs per ſigna & effectus prodente.

Quâ de re pluribus agit S. Thomas lib. 3. contra

Digitized by Google

Gentes, cap. 158. Et pleniſſimè S. Auguſtinus in libro citato de divinatione Dæmonum.

Sectio Secunda.

Quòd ille ſit Deus qui ſecreta cordium novit.

Deus ſolus per ſe ſectas habet occultas animi cogitationes Probatur 1mò ex ſcriptura.

Dixi præterea in propoſitione allatâ, eum habere quidpiam divinum qui internas hominum cogitationes intuetur; quia illud quoque eſt proprium Dei. Ut habetur 1. ex diſertis ſcripturæ teſtimoniis, nempè 2. Paralipom. c. 6. v. 30. ubi dicitur; *Tu enim noſti corda filiorum hominum.* Nomine autem (cordis) in ſcripturâ, intelligitur tum intellectus, tum voluntas hominis libera.

Et 3. Regum 8. v. 39. *Tu ſolus noſti cor omnium filiorum hominum.* Et Pſal. 7. v. 10. *Scrutans corda & renes Deus.* Id quod illi tanquàm proprium aſcribitur. Et Pſal. 43. v. 22. *Ipſe enim novit abſcondita cordis.* Jeremiæ 17. v. 9. *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus, ſcrutans cor, & probans renes.*

Probatur ſecundò authoritate ſanctorum Patrũ, & Theologorũ.

Habetur 2. Non tantùm ex communi Theologorum conſenſu, cum D. Thomâ 1. p. q. 57. art. 4. quos citat & ſequitur Tannerus diſput. 5. de Angelis, qu. 3. dub. 3. n. 15, Suares l. 2. cap. 21. &c. Sed etiam ex ſanctorum Patrum expreſſo teſtimonio. Atque inprimis Cyrilli, qui lib. 2. in Joan. c. 17. ait; *Nulli alij, ſed Divinæ tantùmmodò naturæ, Propheta attribuit illud;* (*Scrutans corda & renes Deus.* Et Chryſoſtomus Homil. 30. in Matth. *Solius*, inquit, *Dei eſt, mentem atque animos hominum cognoſcere.* Hieronymus in illud Jeremiæ 17. (Pravum eſt cor hominis, &c.) ait; *Hinc diſcimus, quòd nullus cogitationum ſecreta cognoſcit, niſi ſolus Deus*

Idem aſſerunt Athanaſius qu. 27. ad Antiochum, S. Auguſtinus l. 10. Confeſſ. cap. 2. in Pſalmum 7. & 141.

Ratio autem propter quam ſecreta cordis naturaliter, etiam ab Angelis ignorantur, hæc communiter affertur à Theologis, quia ad bonum naturæ intellectualis, ſcilicet Angelorum & hominum, plurimùm intereſt, ut actus interni, tum intellectûs, tum voluntatis, non ſint aliis pervij, nec noti; niſi manifeſtante, aut conſentiente ipſo, qui interiùs quidpiam cogitat, aut vult. Nimirùm ne lædatur pax & concordia politica, ac libertas agendi; utque natura intellectualis perfectum habeat in ſuos actus dominium: Quod non haberet, ſi cuilibet fas eſſet, illos actus internos, altero nolente, pro libito intueri & introſpicere. Ac proinde jure quodam naturali, exigit denegationem concurſûs divini ad illos inſpiciendos, donec per liberum conſenſum cogitantis, auferatur ſigillum ſecreti. Unde fit ut Deus deneget naturaliter concurſum Angelo, ad ſecreta mentis diſpicienda. Sicut propter bonum Univerſi phyſici & corporei, Deus denegat concurſum bonis & malis Angelis, ad cœlos aliter movendos, aut ſiſtendos; ad terram centro ſubmovendam, ad domos & urbes evertendas; ad faſcinandos & dementandos homines; niſi quando Magis & Veneficis adhibitis, aliquid præter naturam, ob rationes arcanas, Dæmoni Deus permittit.

Ratio cur ſecreta cordis debeant eſſe ignota.

Sed quæcunque ſit ratio hujus occultationis, parum ad præſens inſtitutum intereſt: ſufficit, id tanquàm certum à Doctoribus haberi, ſecreta cordis humani non poſſe naturaliter & certò innoteſcere Angelis, multò minùs homini; ac proinde ſignum eſſe Divinitatis latentis, illa penetrare & revelare, præſertim ſi alia plurima ſigna ejuſdem loquentis Divinitatem

Digitized by Google

Homines interdum per divinam revelationem penetrât arcana cordis.

atteſtentur; & ipſe illa prodat, ut ſe Deum eſſe oſtendat. Fateor enim homines divinitùs afflatos, quales fuerunt Prophetæ, potuiſſe Deo revelante, futura & occulta detegere: Sed hoc illi non faciebant in atteſtationem ſuæ Divinitatis; neque hoc attribuebant ſibi, nec ulla ſuppetebant aliunde ad id perſuadendum argumenta.

Sectio Tertia.

Quòd Chriſtus futura liberè contingentia longè antè cognoverit.

Chriſtus præſcivit ac prædixit eventus liberè futuros.

IAm verò quòd Chriſtus plurimas res liberè futuras longè antè præſciverit, atque in atteſtationem ſuæ Divinitatis prædixerit, conſtat ex multis in ſcripturâ memoratis; quorum vaticinationem ſuo tempore adimpletam fuiſſe, notius eſt, quàm ut à quoquam negari poſſit.

Prima Chriſti prædictio, de ſuâ Paſſione, morte & Reſurrectione. Marc. 9. 31. Luc. 9 44. Marc. 10. 38. Luc. 13. 31.

Ac primò ſuis Diſcipulis ſæpè Paſſionem ſuam, mortem, & Reſurrectionem prædixit. Matth. 16. v. 21 ſic habetur; *Exinde cœpit Ieſus oſtendere Diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occîdi, & tertiâ die reſurgere.* Et alterâ vice, Matth. 17. v. 22. *Converſantibus autem eis in Galilæâ, dixit illis Ieſus; Filius hominis tradendus eſt in manus hominum, & occîdent eum, & tertiâ die reſurget; & contriſtati ſunt vehementer.* Tertiâ item vice adhuc expreſſiùs. Matth. 20. v. 17. & ſeq. *Et aſcendens Ieſus Hieroſolymam, aſſumpſit duodecim Diſcipulos ſecretò, & ait illis; Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte; & tradent eum Gentibus, ad illudendum & flagellandum,*

& crucifigendum : & tertiâ die reſurget, Et hoc factum eſſe ſigillatim, ut dixerat, cognoſcimus : igitur iſta futura diſtinctè præſciebat.

2. Prædixit Diſcipulis fore, ut ab uno ex illis, quem tacitè deſignabat, traderetur. Matth. 26. v. 20. *Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim Diſcipulis ſuis, & edentibus illis dixit; Amen dico vobis, quia unus veſtrûm me traditurus eſt. Et contriſtati valdè, cœperunt ſinguli dicere, Nunquid ego ſum Domine? & ipſe reſpondens ait; Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo; Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit; Nunquid ego ſum Rabbi? Ait illi; Tu dixiſti.* Quâ in vaticinatione duo prædixit; 1. Se à Judâ tradendum eſſe. 2. Judam miſerè periturum. Nonne hoc utrumque factum legimus?

Secunda quod eſſet tradendus ab uno ex Diſcipulis. Marc. 14. 18. Luc 22. 3. Ioan. 13. 21. Pſal. 49 v. 10.

3. Prædixit Petro, fore ut eum ter neget, antequàm Gallus bis cantet; & Diſcipulos diſſipatum iri tempore ſuæ Paſſionis. Matth. 26. v. 30. &c. *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti: tunc dixit illis Ieſus; Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſtâ nocte; ſcriptum eſt enim; Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis. Poſtquàm autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Reſpondens autem Petrus, ait illi; Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquàm ſcandalizabor. Ait illi Ieſus; Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequàm gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus, etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes Diſcipuli dixerunt.*

Tertia quòd Petrus eſſet illum negaturus. Zachar. 13. 7.

Marc. 14. v. 28. 30. 70.

Ecce, Magiſtro affirmante, Diſcipulis pro certo negantibus ſe eſſe facturos quod ille aſſerebat, videbatur Chriſti Domini prædictio quodammodò pe-

riclitari; ne falſa redderetur, per id quod à negantium voluntate pendebat. Sed plus videbat veritas, quàm eſſet factura, præſumptione plena infirmitas. Nam eventus, certitudinem prædictionis probavit, & humanæ mentis inconſtantiam oſtendit. Diſcipuli enim, Chriſto à Judæis apprehenſo, omnes diſperſi fugerunt; & Petrus ad vocem ancillæ, Dominum turpiter negavit. Ut teſtantur ipſi Evangeliſtæ; Matth. 26. v. 56. ubi expreſſè dicitur; *Tunc Diſcipuli omnes relicto eo fugerunt.* & v. 74. 75. *Et ſtatim gallus iterùm cantavit, & recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus; Priuſquàm gallus cantet bis, ter me negabis: & cœpit flere.*

Ioan. 18 v. 27. Marc. 14. v. 68. &c. 72.

Quarta factum Mariæ Magdalenæ, toto orbe memorandum cum Evangelio.

Ioan. 12. 2. Marc. 14. 3.

4. Chriſtus, Diſcipulis ægrè ferentibus, quòd Maria Magdalena in domo Simonis leproſi, accedens ad eum recumbentem, unguentum pretioſum effudiſſet in caput ipſius recumbentis, prædixit fore, ut illius factum toto mundo, ſimul cum Evangelio memoretur. Matth. 26. v. 6. *Cùm autem Ieſus eſſet in Bethaniâ, in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier, habens Alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem Diſcipuli, indignati ſunt, dicentes, Vt quid perditio hæc? potuit enim venumdari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Ieſus, ait illis; Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me. Nam ſemper pauperes habetis, me autem non ſemper habebitis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod fecit, in memoriam ejus.*

Quibus verbis duo prædixit, nempè prædicationem Evangelij per univerſum mundum poſteà faciendam; & ſimul piam Magdalenæ unctionem, ſemper toto orbe celebratum iri. Et hæc nonne cernimus contigiſſe?

Digitized by Google

Quâ ſuper re S. Chryſoſtomus ſic diſſerit; *An evênit, inquit, quod prædixit, an fuit inane vaticinium? Etiamnùm in omnibus Eccleſiis appellari mulierem audimus. Sunt Conſules, Duces, viri, mulieres, illuſtres, ſplendidi in omnibus urbibus, & in quamcunque orbis partem deveneris, audiunt omnes hujus mulieris officium celebrari. Atqui quot Reges multa, magnáque in multos contulerunt beneficia, bella cum laude geſſerunt, trophæa ſtatuerunt, gentes gubernarunt, civitates erexerunt, & innumeris commodis auxerunt Rempublicam: & tamen cum ſuis beneficiis, ſilentio teguntur? Item Reginæ, primariæque fœminæ innumerabilia benefacta contulerunt in eos quibus imperabant, quæ ne de nomine quidem ulli nota ſunt.*

Oratione ſecunda adverſùs Iudæos. Hominum facta, etiã nobiliſſima, oblivione temporum ſepeliũtur.

Hæc autem abjecta mulier, quæ tantummodò effudit unguentum, toto terrarum Orbe decantatur. Ne temporis quidem longitudo tam immenſa, memoriam illius vel extinxit, vel extinguet unquàm. Idque cùm ipſum factum non eſſet inſigne; (quid enim magni erat, unguentum effundere?) neque perſona eſſet inſignis; (erat enim mulier abjecta;) neque multi teſtes aderant; (nam inter Diſcipulos res eſt geſta;) neque locus nobilis; neque enim hoc fecit in loco publico, ſed in domo privatâ, duodecim tantùm præſentibus. Attamen neque perſonæ vilitas, neque teſtium paucitas, neque loci obſcuritas, neque ulla res alia potuit illius abolêre memoriam. Quin potiùs Reginis omnibus, ac Regibus univerſis celebrior nunc eſt hæc mulier; nec ulla ætas oblivioni tradidit quod factum eſt. Unde id? dic mihi, aut quis hoc effecit, aut prævidere potuit ita futurum? Annon Deus ipſe, cui tùm hoc officium præſtabatur, hanc famam per omnia loca diſperſit, & diſpergendam prævidit? Num enim hujuſmodi rem prædicere, virtutis humanæ videtur? Nemo ſanæ mentis hoc dixerit. Nam

Digitized by Google

ſi quis prædixiſſet, quæ facturus eſſet, antequàm ab ipſo fierent, minùs quidem mirum videri poſſit: at prædicere longiſſimo antè tempore, quæ ab aliis poſteà facienda ſunt, hæc perſpicere non poteſt, niſi Deus. Hæc S. Chryſoſtomus.

5. Prædixit obſidionē Hieroſolymæ, illius ſubverſionem, ac templi Et Mat. 24. 2.

5. Prædixit Urbis Hieroſolymæ excidium, & ſubverſionem templi, tùm cùm ejus rei nullum planè eſſet indicium; eò quòd Judæi ipſum pro Meſſiâ noluiſſent agnoſcere. Cujus excidij plures circunſtantias ab hominum libertate pendentes ſigillatim expreſſit, Lucæ 19. v. 41. & ſequ. *Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit ſuper illam, dicens; quia Si cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt, & coanguſtabunt te undique; & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt; & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.*

Quæ prædictio poteſt eſſe clarior, & magis diſtincta? Et quis ita excæcatus, ut non convincatur, ejus quoad omnes circunſtantias, adimpletione? Etenim Chriſtus rem geſtam ita accuratè deſcripſit, ut non futuram aliquandò, ſed præſentem aut præteritam narraſſe videatur. Illis quippè verbis non ſolùm generatim memoravit iſtius miſeræ civitatis deſtructionem: ſed etiam ſpeciatim declaravit modum integræ ſubverſionis, ita ut lapis ſuper lapidem non eſſet manſurus. Tantâ enim ruinâ & deſolatione civitas & templum, & ædificia disjecta fuêre, ut Joſepho teſte, tranſeuntibus vix urbis aut templi veſtigium appareret. Meminit obſidionis, & circumvallationis, quâ urbs tam arctè cingebatur undique, ut in eam neque quiſquam ingredi poſſet, neque ex ejus muris egredi.

Ioſeph. de bello Iudaico

Narrant autem Evangeliſtæ quòd cùm Chriſtus exiret de templo cum Diſcipulis, ipſique oſtenderent illi magnificentiam ſtructuræ, lapidum magnitudinem, totius ædificij molem, & pulchritudinem ſtupendam, dixit; *Videtis hæc omnia? non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Cúmque pergerent interrogare, quandonam id eſſet eventurum; *Dic nobis quando iſta fient, & quod ſignum erit, quandò hæc incipient conſummari?* inter cætera, hoc reſpondit; *Cùm videritis circundari ab exercitu Ieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus. Tunc qui in Iudæâ ſunt, fugiant ad montes; & qui in medio ejus, diſcedant; & qui in regionibus, non intrent in eam. Quia dies ultionis hi ſunt, ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus; erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij, & captivi ducentur in omnes gentes; & Ieruſalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.*

Marc. 13. 1. Luc. 21. 20. Math. 24. 1.

Marc. 13. 4. &c. Luc. 21. 20.

Quæ omnia contigiſſe 40. pòſt annis, anno ſcilicet Chriſti Domini 72. Veſpaſiano imperante, Tito ejus filio urbem obſidente, & captam penitùs devaſtante, ex Joſepho, teſte oculato, aliiſque paſſim Hiſtoricis notiſſimum eſt. Quâ de re plura dicentur in argumento 8. de Judæorum diſſipatione.

Ioſeph. l. 6. de bello Iudaic. c. 11.

Cæterùm hæc prophetia Salvatoris, quamvis eſſet unica, ſufficeret ad demonſtrandam divinam ejus præſcientiam. Nam ut rectè arguit Granatenſis, ſi Pharao prudenter credidit Joſephum fuiſſe ſpiritu Dei præditum, ex eo quòd abundantiam, & ſterilitatem ſeptem annorum futuram prænuntiaſſet: quantò certius argumentum eſſe debet Divinitatis Chriſti, quòd tot antè annis, cùm nulla appareret vel minima conjectura ſubverſionis futuræ Jeruſalem, & Judæorum

Catechiſ. l. 2. c 29. §. 3.

Digitized by Google

deſolationis; illius obſidionem præſignificavit cum omnibus ſuis circumſtantiis circumvallationis, cædium, captivitatis, ruinarum totius civitatis ac templi, quibus luctuoſam illam tragœdiam peractam ſcimus.

6. Prædixit Eccleſiæ ſuæ fundationē, & ſtabilitatē perpetuam.

6. Prædixit Petro, coram aliis Diſcipulis, Eccleſiæ ſuæ fundationem, & ſtabilitatem perpetuam; contra quam portæ inferi non eſſent prævaliturae. Matth. 16. v. 18. Poſtquàm Petrus Chriſtum, eſſe Filium Dei confeſſus eſſet. *Et ego*, inquit, *dico tibi, quia tu es* Petrus, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; *& portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam.*

Quâ prophetiâ, tria prædixit. 1. Ædificationem Eccleſiæ, & converſionem totius Orbis. 2. Perſecutiones, quibus erat vexanda & oppugnanda. 3. Firmam illius in iſtis tempeſtatibus ſtabilitatem. Quæ omnia conſtat eveniſſe; cùm tamen nullum adhuc extaret veſtigium Eccleſiæ conſtituendæ; & mundi converſio tunc magnum eſſet paradoxum, & figmentum incredibile videretur. Sicut & ejus Eccleſiæ, (ſi qua conſtitueretur) conſtans in omnium nationum reluctantium oppugnatione ſtabilitas.

Quæ diu videbantur incredibilia.

Quæ res, quàm fuerit mirabilis, & difficilis prævideri, præclarè expendit Chryſoſtomus in hæc verba; *Duodecim*, inquit, *erant Diſcipuli ſequentes ipſum, & eorum nullus tunc Eccleſiam mente concipiebat; ſiquidem nec erat nomen Eccleſiæ, ſed florebat Synagoga Iudæorum. Quid igitur dixit? Orbe fermè toto impietate detento. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Conſidera tecum & cogita, quid ſit in tam brevi tempore, omnem ſub ſole terram tot Eccleſiis impleri, tot gentes ad fidem transferri; ut patrias leges deſerant, conſuetudines ſtabilitas & radicatas revellant, altaria & templa, & ſtatuas & ſacrificia,*

Homil quòd Chriſtus ſit Deus. Et Orat 2. contra Iudæos

& profana feſta aboleant: excitentque altaria vero Deo, ubique gentium; in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, & ultra Orbem noſtrum. Vt credant in hominem ignotum, ductum ad tribunal Præſidis, à ſuis derelictum, morte crucis maledictâ occiſum.

Quibus autem hoc perſuaſum eſt? non duobus, vel decem, vel viginti, vel centum, ſed omnibus fermè ſub ſole habitantibus. Et per quos perſuaſum? per viros undecim illiteratos, privatos, ineloquentes, obſcuros, pauperes; præcellentiâ gloriæ, dignitate progenitorum, vehementiâ Rhetorices, eminentiâ ſcientiæ carentes; per piſcatores; per pelliones, per barbaros.

Sed de iſtâ miraculosâ mundi converſione, pleniùs dicetur in argumento 7. Hæc modò ſufficiunt, ut intelligatur; Divinæ omninò fuiſſe virtutis, potuiſſe tunc prædicere; *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Illa enim verba Dei effecerunt opus tam mirabile, ut nemo ſibi perſuadere potuiſſet.

Nam ſicut cùm dixit; *Germinet terra herbam virentem*; Terra mandatum ſuſcipiens, innumeris ſtatim ornata eſt plantis: ſic & nunc, ubi dixit; *ædificabo Eccleſiam meam*; multâ acceleratione extructa eſt: etiam Tyrannis contra illam ſe armantibus, & militibus arma moventibus, & populis in contrarium inſanientibus, & obluctante inveteratâ conſuetudine; etiam Oratoribus, & Sophiſtis, & divitibus & Principibus, ſermo Dei, velut ignis validus adveniens, ſpinas Idololatriæ conſumpſit, agros repurgavit, ſeminavit verbum prædicationis, Orbem totum ad fidem Chriſti traduxit. Quod quàm operoſum fuit, ut fieret; tam difficile erat ut faciendum prædiceretur.

Geneſ. 1.

Sed non minùs incredibile potuit videri, quod item propheticè adjecit; *Et portæ inferi non prævalebunt*

Digitized by Google

Matth. 16. *adverſùs eam.* Annon teſtimonium cum rebus conſentit, (inquit Chryſoſtomus,) etiamſi mille modis

Chryſ. loco citato. ad eam deſtruendam pugnatum ſit. Quot enim bella adverſùs eam concitata ſunt? Quot exercitus inſtructi? Quot arma mota? Quod non afflictionum, & pœnarum genus excogitatum? Sartagines, catapultæ, lebetes, fornaces, lacus & præcipitia, beſtiarum dentes, maria & proſcriptiones, aliaque innumera tormentorum genera, neque dictis memoranda, neque factis toleranda?

Numera quot Tyranni ab illo tempore, adverſùs illam inſtruxerunt acies, quot graviſſimas tempeſtates moverunt; quomodò toto prædicto tempore, quando novitia erat fides, & nuper plantata, teneræque hominum mentes, Gentiles regnabant. Tiberius, Caius Nero, Trajanus, Veſpaſianus, Titus, & poſt illum omnes uſque ad Conſtantini tempora; & omnes illi, alij minùs alij ſæviùs infeſtabant Eccleſiam: ſuis inſidiis & machinationibus, magnum nobis Martyrum numerum impleverunt; Eccleſiam & orbem univerſum cædibus & ſanguine Chriſtianorum conſperſerunt.

Quid tandem profecit iſtud perſecutionis robur? quid contra Eccleſiam effecerunt tot carnificinæ? ſicut aranearum telæ diſcerptæ ſunt; ſtetit immobile verbum prædictionis & veritatis, *& portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

Atque hæc non tantùm ab extraneis, verùm etiam à domeſticis bella ſuſcitata ſunt. Nam civile quoddam bellum occupârat omnia, vel quodvis potiùs bello civili pernicioſius. Neque enim Cives modò cum civibus, verùm etiam cognati cum cognatis, domeſtici cum domeſticis, amici cum amicis conflictabantur. Nihil tamen horum Eccleſiam attrivit, ac ne infirmiorem quidem reddidit. Quod ſanè permi-

rum eſt, cùm hæc in ipſis ſtatim primordiis mota ſint. Nam ſi tùm irruiſſent hæc acerba, poſtquàm radices egit, & per omnes mundi partes plantatum fuit Evangelium; haud perindè fuiſſet dignum admiratione, Eccleſiam tot procellis & fluctibus non fuiſſe ſubverſam. Sed cùm in ipſo doctrinæ exordio, nuper jacto fidei ſemine, teneris etiamnùm Auditorum mentibus, iſtæ tempeſtates bellorum eruperint: res Chriſtianas, non ſolùm non fuiſſe diminutas, ſed etiam multâ acceſſione auctas; ſanè ſuperat omne miraculum; & ſine Divinæ Sapientiæ luce, illud nec prævideri, nec prædici potuit; *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Ex his autem quæ hactenùs facta ſunt; & de futuris crede, quòd ad finem mundi non ſint prævalitura. Hæc Chryſoſtomus.

7. Prædixit Evangelium toto Orbe prædicandum.

7. Prædixit Evangelium toto Orbe prædicandum, Matth. 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni, in univerſo Orbe, in teſtimonium omnibus gentibus.* Et cap. 26. v. 13. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Dic mihi ſi Chriſtus fuiſſet homo purus, ſicut cæteri, quomodò potuiſſet præſumere, fore ut poſt mortem ſuam homines doctrinam ejus in omnes mundi partes deferrent? Quis enim doctor aut Magiſter auſus eſt unquàm tantùm ſibi tribuere, ut diceret; mea doctrina omnibus populis & nationibus annuntiabitur? Nonne Socrates, Plato, Ariſtoteles, cæterique quamvis magni nominis Philoſophi, ſuos ſinguli habuerunt diſcipulos & auditores? Quis eorum placita apud Scythas, Indos, Moſcovitas, Æthiopes, Sinas, Japones, aliaſque Gentes prædicavit. Et quis unquàm fuit Rex aut Princeps tantæ authoritatis, ut ejus juſſa & leges poſt obitum per Univerſum promulgarentur?

Digitized by Google

Id quod mirabiliter effectum eſt. Hoc Chriſtus effecit, non vi, non armis, non divitiis, non potentiâ; ſed per duodecim homines inermes, ignaros, pauperes, impotentes, omni auxilio humano deſtitutos: qui in Orientem, in Occidentem, in omnes terræ plagas habitabiles profecti; inter mille pericula, contradictiones, perſecutiones, naufragia, mortes, ubique gentium, hominis Crucifixi Divinitatem prædicarunt. Hoc ipſum eſt quod David diù antè de Diſcipulis Chriſti vaticinatus fuerit, cùm dixit; *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ, verba eorum.* Pſal. 18. 5.

Non ſic ulla cujuſquam hæreſis totum Orbem permeavit: quælibet enim, ut ait S. Auguſtinus, ſuis in angulis ſedet: Hæreſis Donati ſeminata eſt in Africâ; Arij & Eunomij in Oriente; Joannis Hus in Boëmia, Lutheri in Saxonia & Germaniâ, Calvini in Galliâ: ſola Eccleſia Chriſti, Catholica eſt, id eſt univerſalis, & in omnibus mundi partibus, per Evangelij prædicationem diffuſa. August. l. 4. de ſymbolo ad Catech. Idem de vanitate ſæculi. c. 8.

Initio videri poterat omnino incredibilis hæc vaticinatio Chriſti; *prædicabitur hoc Evangelium in univerſo mundo*, propter innumeras illius rei exequendæ difficultates; Et tamen hoc tam inauditum, tam incredibile prædictum, factum eſt ſicut prædictum fuit. Quis igitur in iſtâ prædictione, divinam ſcientiam, & in Chriſto prædicente Divinitatem non agnoſcat?

8. Prædixit Eccleſiæ, Apoſtolorum, ac fidelium perſecutiones. 8. Chriſtus prædixit Eccleſiæ & Apoſtolorum, Chriſtianorumque perſecutiones. Matth. 24. v. 12. *Tunc*, inquit, *tradent vos in tribulationem, & occident vos; & eritis odio omnibus propter nomen meum.* Item Luc. 21. v. 12. *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus, & perſequentur tradentes in Synagogas & cuſtodias; trahentes ad Reges & Præſides, propter nomen meum. Continget autem vobis in teſtimonium. Ponite*

ergo

Digitized by Google

ergo in cordibus veſtris, non præmeditari quemadmodum reſpondeatis; Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere adverſarij veſtri. Trademini autem à parentibus & fratribus, & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis; & eritis odiò omnibus propter nomen meum. Et capillus de capite veſtro non peribit; in patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras.

Item Joannis c. 15. v. 18. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit; ſi de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret; quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis; non erit ſervus major domino ſuo; ſi me perſecuti ſunt; & vos perſequentur; ſi ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum; quia neſciunt eum qui miſit me, &c.* Ioan. 13. 18.

Et paulò poſt cap. 16. v. 1. *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini; abſque ſynagogis facient vos; ſed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Sed hæc omnia locutus ſum, ut cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.*

Iſta certè prædictio poterat multùm Diſcipulos, & omnes cultores Chriſti ab ejus famulatu deterrêre: ſed tamen ſæpè iterata eſt & inculcata; tùm ne incautos tanta malâ improviſa percellerent; tùm ut in prædicente virtutem divinam agnoſcerent, cujus auxilio erant omnia acerba toleraturi. Hæc illi ſuis temporibus experti ſunt; & nos adimpleta fuiſſe novimus.

9. Prædixit ſuis cultoribus afflictiones in hâc vitâ.

9. Prædixit quoque Diſcipulis ſuis & Chriſtianis ſuæ doctrinæ Sectatoribus, afflictiones hujus vitæ, & tribulationes varias in hoc mundo, ut ſpe in pro-

Digitized by Google

miſſam Beatæ vitæ poſſeſſionem erigerentur. Joan. 16. v. 20. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus, cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur, nunc quidem triſtitiam habetis; iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Et illud nonne quotidiè contingit in iis, qui Chriſti obſequio ſe mancipavêre; quibus permittit cruces, & afflictiones ſeu internas, ſeu externas accidere; ut à ſæculi delectationibus abſtracti, cœlo vivant; & patiendo, gloriam æternam promereantur.

10. Prædixit hæreſes ſubinde orituras. Luc 21. v. 8.

10. Prædixit, ſuborituros identidem Hæreticos, falſos Doctores & Prophetas, in veſtimentis ovium, & multos ab iis ſeductum iri. Matth. 24. v. 11. & 14. *Et multi Pſeudo-Prophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* Item Matth. 7. v. 15. *Attendite à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoſcetis eos; &c.*

Nunquid Eccleſia omnibus ſæculis vidit hæreſes naſci, & Pſeudo-Doctores ſub ſpecie pietatis, aut ſeveritatis Chriſtianæ, dogmata Chriſtiana corrumpentes?

11. Prædixit calamitates publicas in mundo exstituras.

11. Prædixit bella, ſeditiones, famem, terræ motus, & varias orbis agitationes, antequàm veniat dies ultimus. Luc. 21. v. 9. *Cùm audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri; oportet primùm hæc fieri, ſed nondùm ſtatim finis. Tunc dicebat illis; ſurget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum; & terræ motus magni erunt per loca, & peſtilentiæ & fames, terroreſque de cœlo, & ſigna magna erunt, &c.*

12. Denique, Prædixit Apoſtolis, ſe poſt Aſcenſionem ſuam, miſſurum in eos Spiritum Sanctum, qui eos illuminaret, doceret omnia, repleret charitate, & Divinâ vi ſupra modum corroboraret. Luc. 24. v. 49. *Et egò mitto promiſſum Spiritum Patris mei in vos; vos autem ſedete in civitate; quoad uſque induamini virtute ex alto.*

12. Prædixit Adventum Spiritus Sancti in Diſcipulos, à quo illuminarentur & docerentur de omnibus.

Et Joan. 14. v. 25. &c. *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens; Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quæcunque dixero vobis.*

Et cap. 15. v. 26. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me; & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.*

Id quod paucis poſt Aſcenſionem diebus, impletum fuiſſe ſcripſit S. Lucas in Actis Apoſtolorum, cap. 2. v. 1. his verbis; *Et cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco; & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquàm advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquàm ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, &c.*

Vides igitur quàm multa prædicta ſint à Chriſto Domino, quæ ſcripta fuerunt palàm, ac publicata in oculis eorum, quorum plerique prædictionibus interfuerant; citata paulò poſt & declarata à viris maximis, Dionyſio, Polycarpo, Ignatio Martyre, Juſtino, Origene, Tertulliano & aliis, coram Gentium Principibus; quæ deinceps ſuis temporibus juxta prædictionem contigiſſe cernimus. Undè meritò Tertullianus Apologet. cap. 20. ait; *Quicquid agitur, prænuntiabatur; quicquid videtur, audiebatur &c.*

Hæc omnia prædicta fuerunt, a damuſſim impleta.

idoneum opinor teſtimonium Divinitatis, veritas divinationis.

Quare cùm conſtet de veritate prædictionum Chriſti, an non pariter conſtat de veritate ejus Divinitatis. Enimverò ſi miracula Deum probant; non minùs id præſtant Prophetiæ, cùm ſint ejuſdem authoritatis, ut pote utraque teſtimonium Dei; qui ſicut ſolus poteſt edere miracula, ſive effectus creatis viribus majores: ita & res poſthac liberè eventuras, certò prædicere. Imò quamvis utriuſque teſtimonij eadem ſit authoritas, & vis æqualis in perſuadendo; videntur tamen Prophetiæ aliquo modo nos efficaciùs movere, quàm miracula: eò quòd miracula credimus quidem facta; ſed non cernimus; Prophetiæ autem ita creduntur à nobis, ut etiam quodammodò videantur; quatenùs eas noſtris temporibus adimpletas conſpicimus.

Sectio Quarta.

Quòd Chriſtus cogitationes merè internas cognoverit.

Chriſt. internas animi cogitationes perſpectas habuit.

Reſtat altera pars aſſumptæ propoſitionis breviter probanda; nimirùm quòd etiam Chriſtus occultas animi cogitationes notas habuerit. Cujus rei certam faciunt fidem Evangeliſtæ; teſtes ſancti & & incorrupti, qui quod viderunt & audierunt, ſcripſerunt.

Marc. 2. 8. Luc 5. 18.

Id habetur cap. 9. apud Matthæum, v. 4. & ſequ. *Et aſcendens*, inquit, *in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum, jacentem in lecto; & videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico; confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe; (id*

Digitized by Google

eſt in corde ſuo,) hic blaſphemat. Et cùm vidiſſet Ie- Ioan. 5.
ſus cogitationes eorum, dixit; ut quid cogitatis mala in 5
cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere; dimittuntur Probatur ex variis ſcriptura locis.
tibi peccata, an dicere; ſurge & ambula. Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait paralytico; ſurge, tolle grabatum tuum & vade in domum tuam; & ſurrexit & abiit in domum ſuam. Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Ecce in hoc facto illuſtre ſubitæ ſanationis miraculum; & cogitationum internarum apertam manifeſtationem.

Idem factum aliâ occaſione Joannes teſtatur cap. 2. v. 23, &c. *Cùm autem*, inquit, *Ieſus eſset Hieroſolymis in Paſchâ in die feſto, multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes. Et quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine; ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.*

Et poſteà, cùm Jeſus paulò ante Paſſionem ſuam, dixiſſet Diſcipulis ſuis; *Modicum & jam non videbitis me, & iterùm modicum & videbitis me, quia* Ioan. 1. v. 16. & ſequ.
vado ad Patrem; dicerentque ad invicem, quid eſt hoc quod dicit modicum, neſcimus quid loquitur. Subditur; *Cognovit autem Ieſus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis; de hoc quæritis inter vos quod dixi vobis, modicum & non videbitis me. Amen Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, &c.*

Item Luc. 7. v. 39. 40. ſignificavit ſe noſſe, quid de ipſo cogitaret Pharizæus, apud quem accumbebat; dum ſcilicet apud ſe judicabat, quòd ſi Chriſtus eſſet Propheta, non ignoraret, quænam eſſet mulier illa,

Digitized by Google

quæ ad ejus pedes provoluta, ſua peccata deflebat. Cui cogitationi Chriſtus appoſitè reſpondit.

In aliis item occaſionibus oſtendit, ſibi perſpectum eſſe, quid homines in ſuo corde cogitarent.

Ex quibus rectè & ſolidè ad credendum concludimus, reſumptâ breviter ſuperiori ratiocinatione, in hunc modum. Solius Dei eſt cognoſcere res liberè futuras, & internas hominum cogitationes: Atqui Chriſtus iſta cognovit, ut ſuprà demonſtratum: Igitur Chriſtus eſt Deus.

Digitized by Google

DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI.

CAPUT SEXTUM.

Sextum argumentum illius demonſtrativum.

RESURRECTIO CHRISTI,

SECTIO PRIMA.

Ad ſtabiliendam Fidem Divinitatis Chriſti, neceſſaria fuit ejus Reſurrectio; eſtque illius ſignum indubitatum.

OMNIUM Myſteriorum Fidei noſtræ, nullum eſt quod pluribus probationibus, magiſque convincentibus confirmatum nobis fuerit, quàm Myſterium Reſurrectionis Chriſti. Utpotè quod eſt fundamentum Religionis Chriſtianæ; quo everſo vel nutante, tota evertitur; quo poſito & ſtante, certa atque indubitata conſiſtit. Nam ut ait Auguſtinus. *Non magnum, nec proprium Chriſtianorum eſt credere, quia mortuus eſt Chriſtus: hoc & Pagani, & Iudæi, & omnes iniqui credunt; hoc omnes credunt, quia mortuus eſt; Fides Chriſtianorum, reſurrectio Chriſti eſt.* Quam fidem de Reſurrectione

Veritas Reſurrectionis Chriſti, eſt fundamentum Religionis Chriſtianæ.

Auguſt. in Pſal. 120.

Digitized by Google

Chriſti maximè commendavit Apoſtolus; ait enim; *Si credideris in corde tuo, quia Deus ſuſcitavit eum à mortuis, ſalvus eris.* Rom. 10.

Ideò neceſſaria fuit, ad fidem ſtabiliendã. Ideò neceſſarium omninò fuit, Chriſtum reſurgere, ad fidem noſtram circa ejus Divinitatem, aſtruendam. Si enim Chriſtus non reſurrexiſſet, quis Gentilium ſibi unquàm perſuadere potuiſſet, hominem, judicis ſententiâ flagellatum, ſuſpenſum, Crucifixum, eſſe Filium Dei? Siquidem & ipſorum Diſcipulorum euntium in Emaüs, quamvis tot miracula vidiſſent ab eo patrata, langueſcebat fides, dum dicebant; *Sperabamus quòd eſſet redempturus Iſraël; & ecce jam tertia dies eſt.*

Hinc Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. ait; *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra.* Quod maximè verum erat, ſuppoſitâ Chriſti prædictione, de ſuâ Reſurrectione. Unde in Pſalmo 29. v. 10. de Chriſto dicitur; *Quæ utilitas in ſanguine meo, dùm deſcendo in corruptionem?* id eſt, ſi ego mortuus non ſtatim reſurgam, meo corpore in cineres, ut in aliis fit, redacto, quid proderit effuſus ſanguis & mea Paſſio? Quis credet me eſſe Filium Dei? Econtrà verò ſi reſurrexit, certum & manifeſtum eſt ſignum Divinitatis. Niſi enim, qui ſe Deum fecit, verè Deus eſſet; haud dubiè nec Deus illum, (ut potè impoſtorem,) ſuſcitaſſet, nec ipſe ſemetipſum; nec alius, ſiquidem hoc proprium opus Divinitatis eſt, homines mortuos ad vitam revocare. Ad Roman. 1. Propterea D. Paulus de Chriſto ait; *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ex reſurrectione mortuorum.* Id eſt, juxta locutionem græcam, *qui ex reſurrectione declaratus eſt Filius Dei.*

Reſurrectio Chriſti Quare ſancti Patres dicunt, Reſurrectionem Chriſti eſſe divinorum ipſius operum, quaſi ſigillum, per quod videlicet noſcuntur eſſe divina. Eandem ob cau-

Digitized by Google

Jam, Judæis à Chriſto poſcentibus ſignum Divinitatis ſuæ, dedit eis ſignum Reſurrectionis ſuæ; tanquàm indubitatum, dicens; *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Addit autem Evangeliſta; *Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt Diſcipuli ejus, quia hoc dicebat; & crediderunt Scripturæ, & ſermoni quem dixit Ieſus.* Et aliàs Scribis & Pharizæis dicentibus, *Magiſter volumus à te ſignum videre,* reſpondit; *Generatio prava & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, (ſcilicet, efficacius) niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti diebus tribus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.* Quâ figurâ illis ſuam Reſurrectionem, tertio poſt mortem die futuram, deſignavit.

eſt quaſi ſigillum divinorum operum. Ioan. 2. 19. *Chriſtus illam aſſignavit in ſignum certum ſuæ Divinitatis.* Matth. 12. 39

Ut autem vis hujus argumenti faciliùs penetretur, & omnibus clarè appareat: hoc pacto ſub unum aſpectum breviter colligo. Si Chriſtus, qui ſe Deum fecit, & in ſignum Divinitatis ſuæ, Reſurrectionem ſuam, paucis poſt mortem diebus futuram prædixit, reipsâ ut dixerat, reſurrexit: dubitari non poteſt, quin ipſe ſit Deus: Atqui certiſſimum eſt, illum tertio poſt mortem die, reſurrexiſſe: Igitur dubitari non poteſt quin ipſe ſit Deus.

Vis hujus argumenti.

Major propoſitio per ſe conſtat ex antedictis. Minor, in quâ tota vis hujus argumentationis ſita eſt, multis & ſenſibilibus teſtimoniis probabitur ſectione ſequenti.

Sed priùs ſupponendum eſt, quod pro certo omnes facilè admittunt, nimirùm Chriſtum eſſe mortuum. Niſi enim verè mortuus eſt, non potuit verè reſurgere, cùm reſurrectio ſit à mortuis ſuſcitatio. Id autem pluribus locis Scriptura teſtatur, dum ait apud omnes Evangeliſtas, Chriſtum in Cruce expi-

Supponitur Chriſtum eſſe mortuum.

Matth. 27. 5.1 Marc. 16. 37. Luc. 23. 46. Ioan. 19. 30. 33. &c.

raſſe. Et ipſe Centurio accerſitus à Pilato; ſignificavit, verè mortuum eſſe. Ideóque crura non ſunt ipſi fracta, quòd ante duos latrones obiiſſet. De cujus latere, lanceâ poſt mortem aperto, ſanguinem & aquam profluxiſſe, ſcripſit S. Joannes oculatus teſtis, hæc addens; *Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus.* Sed ſepultura ejus, quam item memorant ſcriptores ſacri, fidem mortis certiſſimam facit,

Sectio Secunda.

Quòd Chriſtus verè & certò reſurrexit.

IAm quod Chriſtus verè reipsâ reſurrexerit, ex multis variiſque probationibus minimè dubiis oſtenditur.

Probatur primo ex teſtimonio Apoſtolorũ, qui eum ſæpius viderũt ſuſcitatum.

Et quidem primum probationis caput deſumo ex teſtimonio Apoſtolorum, qui ſæpiùs ſuſcitatum viderunt; & Scripturæ ſacræ, id diſertè aſſerentis, Matth. 28. v. 5. & 6. *Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus, nolite timere vos; ſcio enim quòd Ieſum, qui Crucifixus eſt, quæritis; non eſt hîc, ſurrexit enim, ſicut dixit; venite & videte locum, ubi poſitus eſt Dominus.* Idem habetur Marci 16. v. 6. Et Lucæ 24. 5. & Joan. 20. v. 8. & 9. Ubi ſic loquitur; *Tunc ergo introivit & ille Diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit & credidit, nondùm enim ſciebant ſcripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere.*

Item Actor. 2. v. 24. *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri ab illo.* Et cap. 3. n. 15. *Authorem vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus.* Et infrà c. 10. v. 40. *Hunc Deus ſuſcitavit tertiâ die, &*

Digitized by Google

dedit eum manifeſtum fieri. Idem habetur c. 13. v. 30. c. 13. v. 31.

Idem tradit Apoſtolus ad Roman. 8. v. 34. *Quis eſt qui condemnet? Ieſus Chriſtus, qui mortuus eſt, imò qui reſurrexit; qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis, &c.*

Et cap. 14. v. 9. *In hoc autem Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.*

Et 1. Corinth. 15. v. 4. *Tradidi enim vobis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas; & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertiâ die ſecundùm ſcripturas.*

Et 2. ad Timotheum 2. v. 8. *Memor eſto Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ex ſemine David, &c.*

Quod ſi quis renuat credere manifeſtis Scripturæ ſacræ teſtimoniis; hoc ipſo infidelis eſt, hæreticus & impius. Si Apoſtolis & Evangeliſtis, id ex proprio viſu, & frequenti, cum Chriſto ſuſcitato, colloquio teſtantibus, inſanus eſt; cùm fides Apoſtolorum id aſſerentium nullatenùs poſſit eſſe ſuſpecta, propter rationes allatas, tum in 2. argumento Divinitatis Chriſti, ſumpto ex teſtimonio Apoſtolorum; tum in 3. ubi de miraculis Chriſti.

Probatur ſecundo ex convictione ipſorum Iudæorũ

Secundum caput probationis Reſurrectionis Chriſti, ſumitur ex convictione & teſtimonio ipſorum Judæorum, qui præter intentionem ſuam, Reſurrectionem Chriſti certam & manifeſtam reddiderunt. Factum quippè eſt divino conſilio planè admirabili, ut ipſi Judæi cuſtodiam militum ad ſepulcrum adhibuerint; ne ſi ab aliis abhibita fuiſſet, fraudem factam, & Chriſti corpus clanculùm ablatum dicerent. Deinde ut ſigillo ſuo ſepulcrum in rupe cavâ exciſum, & ingenti lapide clauſum munirent. Illi ut referunt

Matth. 27. 63. &c. Marc. 16. 6. Ioan. 20. 21. Evangeliſtæ, *Pilatum adierunt, dicentes; Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens; Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulcrum uſque in diem tertium; ne fortè veniant Diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, ſurrexit à mortuis; & erit noviſſimus error pejor priore. Ait illis Pilatus, habetis cuſtodiam, ite cuſtodite ſicut ſcitis: illi autem abeuntes, munierunt ſepulcrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.*

Ecce quantâ prudentiâ, ut putabant, & præcautione uſi ſunt, ne Diſcipuli poſſent corpus Chriſti ſurripere, & ejus Reſurrectionem falsò prædicare. Per quod ipſi vel inviti, veritatem Reſurrectionis palpabilem effecere. In quo mirare Providentiam Divinam, qua factum eſt, non tantùm ut illi à Pilato cuſtodiam petierint; ſed etiam ut Pilatus non dederit milites qui ſepulcrum obſignarent, & cuſtodirent; ſic enim Judæi anſam habuiſſent, iſtorum militum fraudem inſimulandi; ſed illis permiſerit ut ipſi per ſe quantâ poſſent ſecuritate, & per homines ſibi fidos id exequerentur.

Tertiâ autem die illuceſcente, cùm prædicti cuſtodes Principibus Sacerdotum & ſenioribus ſignificaſſent omnia quæ acciderant, nimirùm Chriſtum reſurrexiſſe, terræ motum factum eſſe, & lapidem qui claudebat ſepulcrum, ab Angelo revolutum fuiſſe; quid excogitarunt illi, ut rem apertam tegerent? Attende prudentiam excæcatam! *Et congregati cum ſenioribus,* (inquit Matthæus) *conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes; dicite quia Diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. At illi acceptâ pecuniâ fecerunt, ſicut erant edocti. Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos uſque in hodiernum*

Matth 28. 12. &c.

diem. Id eſt, in vulgus ſparſum eſt iſtud impudens & fraudulentum mendacium tanto ſtudio & paſſim à Judæis Chriſti oſoribus tanto conſenſu receptum; ut illorum magna pars, falſo rumore imbuta, non aliud etiam nunc perſuadere ſibi poſſit aut velit.

Quam Judæorum excæcationem pulchrè ventilat Auguſtinus; *Damus, inquiunt, vobis pecuniam, & dicite quia vobis dormientibus venerunt Diſcipuli ejus, & abſtulerunt eum. Verè defecerunt*, inquit, *ſcrutantes ſcrutationes*, (i. conſilia mala.) *Quid eſt hoc quod dixiſti, ô infelix aſtutia? tantum-ne deſeris lucem pietatis, & in profundâ verſutiâ demergeris, ut hoc dicas? dormientes teſtes adhibes; verè tu ipſe obdormiſti, qui ſcrutando, talia feciſti. Si dormiebant, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodò teſtes ſunt?* In Pſal. 63.

Et alibi; *Quanta*, inquit, *cæcitas in falſis teſtibus, quanta cæcitas, fratres? ſolent hoc pati falſi teſtes, ut excæcentur & contra ſe dicant, neſcientes unde appareat, quia falſi ſunt teſtes. Quid enim illi contra ſe dixerunt? cùm dormiremus, venerunt diſcipuli ejus, & abſtulerunt eum. Quid eſt hoc? quis eſt qui dicit teſtimonium? qui dormiebat. Stulta inſania; ſi vigilabas, quare permiſiſti? ſi dormiebas, unde ſciſti?* Hæc ſanè fraus, eſt manifeſta convictio veritatis. Auguſt. in Pſal. 36.

Non poſſum autem omittere, quod egregiè hanc in rem ſcripſit Sedulius Poëta, hos cuſtodes exagitans, nimirùm tam grandem lapidem qui ſepulcrum claudebat, non ita potuiſſe revelli & volvi ſilentio, ac ſine ſtrepitu, quin dormientes excitarentur, aut aliquis ſaltem eorum, qui cæteros excitarent. Præterea rectè advertit, nihil fuiſſe cauſæ, cur corpus ligatum tot faſciarum voluminibus ſolveretur, & linteamina relinquerentur in ſepulcro ſeparatim involuta, & ſudarium complicatum: longè enim citiùs, expeditiùs, & minori periculo poterat corpus, ut erat, ſuis lin- *Moraliter impoſſibile erat corpus extrahi de ſepulcro clauſo & ſigillato, quin Cuſtodes perſentiſcerent.*

Digitized by Google

Alia circunſtantia excludentes veriſimilitudinem ablationis.

teaminibus obvolutum auferri, quàm illis exutum:

Anne beati
Corporis ablator, velocius eſſe putavit,
Solvere contectum, quàm devectare ligatum?
Cùm mora ſit furtis contraria; cautiùs ergo
Cum Domino potuêre magis ſua lintea tolli;
Mentita eſt vox vana ſibi, &c.

Accedit quòd, nullo modo veriſimile videtur, fieri potuiſſe, ut Diſcipuli inſciis cuſtodibus, Chriſti corpus auferrent. Siquidem, cùm ſepulcrum non ex cæmento conſtructum eſſet, ſed cavatum in rupe, deſuper aperiri non potuit; quare oportuit, ut per oſtium auferretur. At illud, ut dictum eſt, clauſum erat lapide ingenti, obſignatum Judæorum ſigillo, & à militibus diligenter cuſtoditum. Quomodò autem potuit tantus lapis removeri, & ſigillum ferreum perrumpi ſine ſtrepitu, quo unus ſaltem militum excitaretur, etſi omnes dormiiſſent. Conſtat igitur luce clariùs, non fuiſſe clam & tacitè à Diſcipulis ſublatum.

Præterea in iſtâ difficultate auferendi corpus Chriſti, quis judicet Diſcipulos id auſos eſſe attentare, cùm paulò antè, Chriſto apprehenſo, & à Judæis detento, omnes præ timore in fugam verſi latuiſſent? qui viventem deſeruerant ex levi metu; quomodò eo mortuo auſi eſſent aggredi rem tam difficilem & periculoſam?

Denique, ſi ſtatuto tempore non reſurrexiſſet, ut illis prædixerat; vel ſi credidiſſent, hoc ab illo illuſoriè & fallaciter fuiſſe promiſſum; quis ſibi perſuadeat, quòd ita decepti, voluiſſent fingere ſuſcitatum? cùm præſertim eo tempore nihil ampliùs ab eo vel ſperare, vel timere poſſent? quin potiùs proclive illis erat ut cùm viderent, ſe ab illo turpiter illuſos, & pro-

Digitized by Google

pter ipſum à totâ gente vexatos, domibus expulſos, & omni modo malè habitos; eum potiùs ut illuſorem execrarentur, quàm ut ei gloriam falſæ reſurrectionis tanto ſuo detrimento, tantiſque periculis procurarent.

Divinâ Providentiâ factum eſt ut Chriſtus non ante, nec poſt diē tertium reſurrexerit.

Cæterùm Divinæ etiam Providentiæ fuit, res ita diſponere, ut nec ante tertium diem, nec poſt tres dies completos reſurrexerit; ne dicerent vel eum fuiſſe mentitum; vel poſt illud tempus, incuſtodito, & derelicto à militibus ſepulcro, fuiſſe ablatum. Si citiùs reſurrexiſſet, prædictionis ſuæ veritatem non impleſſet; ſi seriùs, id fuiſſet juſtæ ſuſpicioni obnoxium. Oportuit itaque ad veritatis convictionem, ut ipſis Judæis aſſidentibus & cuſtodientibus, adeóque intra trium dierum ſpatium reſurgeret.

Ad extremum, etiam ita proviſum eſt à Deo, ut non ab alio, ſive virtute cujuſpiam alterius Sancti ſuſcitatus dici poſſet. Quemadmodùm olim contigiſſe memoratur homini à latronibus interfecto, & in Eliſæi ſepulcrum injecto. Quam ob cauſam de Eliſæo dixit Eccleſiaſticus; *Mortuum prophetavit corpus ejus: in vitâ ſuâ fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.* Ideò Divinâ Sapientiâ factum eſt; non tantùm ut in ſepulcro lapideo, in petrâ exciſo poneretur, ne ut dixi, ſuffodi potuiſſe crederetur, & eâ ratione deſurſùm extrahi, ſicut ſi cæmentarium fuiſſet: Sed etiam ut in ſepulcro novo, in quo nullus adhuc poſitus fuerat, ne ipſius Reſurrectio alterius virtuti tribueretur; vel ut ait S. Ambroſius, ne non ipſe, ſed alius ſuſcitatus, à perfidis diceretur. Rectè autem obſervat obiter idem S. Doctor, unum Evangeliſtam dixiſſe monumentum in quo Chriſtus conditus eſt, fuiſſe novum; alium, fuiſſe monumentum Joſeph. Videlicet quia Chriſtus tumulum non habebat, nec debuit habere; quoniam tumulus his paratur, qui

Eccleſ. c. 40.

S. Ambroſ. l. 10. in Luc. c. 23.

ſub lege mortis ſunt, & in eo ſtatu ſunt manſuri. At victor mortis, qualis fuit Chriſtus, tumulum proprium non habebat; quæ enim conventio tumulo & Deo?

Probatur tertio ex pluribus & variis apparitionibus per 40. dies. Tertium caput probationis Reſurrectionis Chriſti, luculentum efficitur ex ipſius morâ ſuper terram per 40. dies poſt Reſurrectionem; & variis frequentibuſque apparitionibus, quibus ſe ſuis Diſcipulis redivivum ſæpiùs exhibuit, ut teſtantur Evangeliſtæ. Quâ de re S. Lucas in Actis Apoſtolorum cap. 1. n. 3. ſic generatim ſcribit; *Quibus* (i. Apoſtolis) *& præbuit ſeipſum vivum poſt Paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies 40. apparens eis, & loquens de regno Dei.*

Matth. 28. 9. Marc. 16. 9. Luc. 24. Ioan. 20. Baron. ad an. Chriſti 34. n. 53. Quamvis autem Hiſtorici ſacri mentionem non faciant apparitionis factæ Beatæ Virgini: tamen omninò par eſt credere de filio matris amantiſſimo; & ut teſtatur Baronius, vetus traditio eſt per manus majorum ad poſteros dilapſa, Chriſtum Dominum ſtatim reſumpto corpore glorioſis dotibus prædito, primùm ſanctiſſimæ ſuæ Genitrici Mariæ videndum ſe, ad eam conſolandam præbuiſſe.

2. Poſtquàm piæ mulieres, quæ ſummo mane ad monumentum venerant, ab Angelo admonitæ fuerunt de Chriſti Reſurrectione, & juſſæ eam Petro cæteriſque Diſcipulis nunciare, Chriſtus ipſe apparuit Magdalenæ ſub ſpecie hortulani.

3. Petro & Joanni ad monumentum advenientibus.

4. Diſcipulis duobus euntibus in Emmaüs.

5. Apoſtolis Hieroſolymæ congregatis, abſente Thomâ; ad quos intravit januis clauſis, ſeque palpandum exhibuit.

6. Iiſdem Apoſtolis congregatis, Thomâ præſente, cujus incredulitatem redarguit.

7. Apparuit

7. Apparuit ſeptem Diſcipulis piſcantibus, ubi poſt captam vim piſcium ingentem, agnitus eſt, & ſumpto Ioan. c. ult.
cum eis cibo, Eccleſiam ſuam Petro commiſit, juxta Matth.
promiſſionem illi factam. 16. 18.

8. Facta eſt & alia apparitio in Galilæâ (in monte Thabor, ut quidam volunt,) ubi congregatis undecim Diſcipulis, ut ſcribit Matthæus, Dominus ſe Matth. 28. 16.
videndum præbuit, teſtatus ſibi datam eſſe omnem poteſtatem, in cœlo & in terrâ; præcepitque eis docere omnes gentes, ad fidei confirmationem ſigna facere, & edoctos baptizare in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis: additâ promiſſione, ſe cum ſuis futurum uſque ad conſummationem ſæculi, quamvis ejus viſibili præſentiâ privarentur.

9. Viſum fuiſſe privatim Jacobo, teſtatur S. Paulus 1. Corinth. 15. v. 6. de quâ apparitione nihil legimus apud Evangeliſtas; neque enim ſcripſerunt omnia quæ à Chriſto geſta ſunt.

Poſtrema Chriſti apparitio facta eſt in die Aſcenſionis, coram pluſquàm quingentis, in monte Oliveti; undè poſt exprobratam eorum incredulitatem, poſt valedictionem, & benedictionem datam, ipſis ſpectantibus eſt elevatus in cœlum, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.

Quibus apparitionibus poteſt etiam ſuperaddi ea Marc.
quæ poſt glorioſam Chriſti Aſcenſionem facta eſt 16. 19.
Paulo proficiſcenti Damaſcum, ad fideles, quos ibi Luc. 24
reperiret comprehendendos & mittendos in carcerem, 49.
ut narrat S. Lucas in Actis Apoſtolorum: quam ſuprà Actor. 1.
jam memoravimus in Argumento 2. de prodigiis, Actor. 9.
ſect. 3. ſub finem.

Poſt tot, tamque frequentes & illuſtres apparitiones factas, non uni aut paucis tantùm: ſed pluribus ſimul, & diverſis temporibus, tamque variis modis; poteſt-ne quis rationabiliter de Chriſti Reſurre-

ctione dubitare? Multùm enim iſta apparitionum probatio ex eo trahit roboris & confirmationis, quòd Chriſtus in illis, omni genere explorationis ſe dignoſcendum obtulit; nimirùm exhibitione ſenſibili ſui corporis, viſu, contrectatione, & palpatione, vulnerum manifeſtatione, manducatione, colloquio, &c. Nam ut ſuum corpus, verum eſſe demonſtraret, juſſit ſe tangi & palpari. *Palpate*, inquit, *& videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Ut oſtenderet ſe vivere, cum iis frequenter & diù locutus eſt, & progreſſus, & comedit; *Habetis hîc*, inquit, *aliquid quod manducetur.* Et poſt tot ſigna vitæ cùm adhuc nutare viderentur, objurgavit illos & reprehendit eorum in credendo tarditatem, his verbis, *O ſtulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ.* Et alloquens Thomam; *Quia*, inquit, *vidiſti me Thoma, credidiſti.* Item, *Noli eſſe incredulus ſed fidelis.* Et paulò antequàm aſcenderet in cœlum, *Exprobravit incredulitatem eorum, quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.*

Omnibus modis explorandum ſe præbuit, ut non reſtaret ulla dubitatio, de verâ reſurrectione.

Luc. 24. 39.
Luc. 24. 41.
Luc. 22. 25.
Ioan. 20. 29.
Matth. 16. 14.

Quæ tarditas Apoſtolorum & Diſcipulorum in credenda Chriſti Reſurrectione, oſtendit eos non temerè, nec leviter credidiſſe. Ideò rectè S. Gregorius Papa ait; dubitationem ſancti Thomæ, plurimùm ad fidem Eccleſiæ confirmandam valuiſſe. *Nunquid*, inquit, *caſu geſtum creditis, ut electus ille Diſcipulus tunc deeſſet, poſt autem veniens audiret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc caſu, ſed divinâ diſpenſatione geſtum eſt. Egit namque miro modo ſuperna clementia, ut Diſcipulus ille dubitans, dum in Magiſtro ſuo vulnera palparet carnis; in nobis vulnera ſanaret infidelitatis. Plus enim vobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides Diſcipulorum credentium profuit. Quia dum ille ad fidem, palpando reducitur,*

Greg. Homil. 26. in Evang. poſt mediū.

Tarditas Apoſtolorum in credendo, multùm nobis profuit ad

noſtra mens omni dubitatione poſtpoſitâ, in fide ſolidatur.

firmandam fidem.

Denique Chriſtus eos convicit allegatione ſcripturarum, & earum expoſitione, ut tradit S. Lucas; *Et incipiens à Moyſe & Prophetis, interpretabatur eis ſcripturas, quæ de ipſo erant.* Quare non tantùm eos illuminavit, ut doctor proponens exteriùs, & tantùm exponens ſermone: ſed etiam ut Deus docens interiùs, & tribuens intelligentiam. Ideò poſt tantam illuminationem exteriorem & interiorem, de veritate dubitare non potuerunt.

Luc 24 25.

Quartum genus probationis Reſurrectionis Chriſti, eſt conſenſus totius Eccleſiæ, atque omnium ſanctorum Patrum, & traditio perpetua ab Apoſtolorum tempore, ad nos uſque ſine interruptione, tranſmiſſa. Quod argumentum credendi, quamvis ſolum eſſet; & veritas ex allatis probationibus per ſe convincentibus non jam conſtaret: tamen ſufficere poſſet ad noſtram fidem ita firmandam, ut de illâ prudenter dubitare non poſſemus. Sicut ineptè & ſtolidè quiſpiam in dubium vocaret, Rempublicam Romanam extitiſſe, Cæſarem Auguſtum Romæ imperaſſe, Alexandrum aliquando regnaſſe, & de aliis ſimilibus, quæ communis omnium ſenſus ſine hæſitatione recipit, & omnes tum Hiſtorici, tum libri teſtantur. Atqui Reſurrectionem Chriſti tanquàm indubitatam, omnes quotquot hactenùs extitêre à mille & ferè ſeptingentis annis in Eccleſiâ, pro certo ſemper credidêre Chriſtiani & Doctores, quorùm ſuffragium non poteſt non eſſe graviſſimæ authoritatis, propter eorum doctrinam excellentem, ingenij ſublimitatem, eximiamque vitæ ſanctitatem; quos vel deceptos eſſe vel decipere voluiſſe nemo ſanus ſuſpicetur.

Probatur 4. ex conſenſu omnium ſæculorum, ac totius Eccleſiæ.

Explicatis autem Reſurrectionis Chriſti argumentis, magnum adhuc pondus affert ad certò per-

Digitized by Google

Chriſt. ſuam Reſurrectionē prædixerat. ſuadendam ipſius Divinitatem, 1. Quòd non tantùm antiqui Prophetæ veteris Teſtamenti, ſed & ipſe dum viveret, ſuam mortem, Paſſionem, ac Reſurrectionem prædixerat. Etenim apud Davidem de Chriſti Reſurrectione legimus; *Quoniam non derelinques*
Pſal. 15. 10. *animam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et Pſal. 3. v. 6. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.* Item
Ionæ 2. 1. figurativè apud Jonam; *Et præparavit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Ionam; & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus & tribus noctibus.* Quæ fuit figurativa prædictio de morte Chriſti per triduum, & ejus Reſurrectione, ut teſtatur S. Matthæus, dum ait; *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus &*
Matth. 12. 40 *tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.* Idem habetur Luc. 11. v. 30.

Id quod explicans S. Auguſtinus præclarè ait;
Auguſt. in Pſal. 65. *Multi ſancti multa miracula fecerunt; ſed nullus eorum mortuus reſurrexit; quia & qui ab eis reſuſcitati ſunt, morituri reſuſcitati ſunt. Quia ergo poſſent dicere Iudæi, cùm miracula faceret Dominus, Fecit hoc &*
Miraculum Chriſto propriū, eſt ſui ipſius ſuſcitatio. *Moyſes, fecit hoc & Helias, fecit hoc & Heliſæus; poſſent ſibi iſta dicere, quia & illi mortuos ſuſcitaverunt, & multa miracula fecerunt. Propterea cùm ab illo ſignum peteretur, proprium ſignum commendans, quod in ſe ſolo futurum erat, ait; Generatio iſta incredula ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ: ſicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, &c. ut ſupra. Quomodo fuit Ionas in ventre ceti? nonne ut poſtea vivus evomeretur? hoc fuit infernus Domino, quod Ionæ cetus. Hoc ſignum proprium commendavit; hoc eſt potentiſſimum. Potentius eſt revixiſſe mortuum, quàm non eſſe mortuum,* Hæc Auguſtinus.

Digitized by Google

Sed & Chriſtus ipſe ſuam Reſurrectionem ſæpè Diſcipulis & Judæis præſignificavit; cùm ſcilicet illis aſſignavit ſignum memoratum Jonæ Prophetæ. Et apud Marcum legimus; *cœpit Ieſus docere eos, quoniam oporteret Filium hominis, pati multa, & reprobari à ſenioribus, & ſummis Sacerdotibus, & Scribis, & occìdi; & poſt tres dies reſurgere.* Idem tradit Matth. c. 16. v. 21.

Matth. 12. 4. Luc. 11. 30.

Item Marci c. 9. v. 31. dicitur; *Docebat autem Diſcipulos ſuos, & dicebat illis; quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, & occìdent eum; & occiſus, tertiâ die reſurget.*

Et apud eundem cap. 10. v. 33. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus, &c. & flagellabunt eum, & damnabunt eum morte, & tertiâ die reſurget.*

Alterum eſt, quòd non tantùm Reſurrectionem ſuam prænuntiavit futuram; ſed ita prænuntiavit, ut eam dederit in ſignum ſpeciale ſuæ Divinitatis. Nam ut antè diximus, cùm Judæi ab eo poſtularent ſignum aliquod, quo ipſum eſſe Deum certò cognoſcerent, inter alia potiſſimum aſſignavit ſignum Jonæ, qui fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus. Item cùm illis dixit; *deſtruite templum hoc, (i. corpus meum per mortem) & in triduo reædificabo illud (per Reſurrectionem.)* Quâ ſuper re rectè S. Bernardus; *dicebant*, inquit, *Judæi, deſcendat de Cruce & credimus ei. Noluit Chriſtus illis ſignum deſcenſionis dare, ſed Reſurrectionis; quia voluit in Cruce nos perſeverantiam docere; & quia majus eſt de tumulo reſurgere, quàm de Cruce deſcendere.*

Suam Reſurrectionē aſſignavit in ſignum ſpeciale ſuæ Divinitatis.

S. Bernardus Serm. 1. in feſto Paſchæ.

Tertium denique quod excellentiam Reſurrectionis Chriſti, mirum in modum ſupra omnes alias commendat, oſtenditque eſſe Divinam; eſt, tum quòd propriâ virtute; tum quòd non ampliùs mo-

Chriſtus reſurrexit, non ampliùs moriturus.

Digitized by Google

riturus reſurrexit. Id quod idem S. Bernardus loco citato egregiè expendit, dùm ait; *Ipſum Reſurrectionis Dominicæ miraculum cui poteſt comparari? Legimus nonnullorum præceſſiſſe reſurrectiones, aut potiùs ſuſcitationes; ſed iſtius præambulas; quibus & duplici privilegio noſcitur præeminere. Nam cæteri quidem reſurrexerunt mortui, ſed iterùm morituri; Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Illi mortui, iterùm opus habent reſuſcitari; Chriſtus quòd mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem vivit, vivit Deo, vivit in æternitate. Meritò proinde reſurgentium primitiæ, dicitur Chriſtus, qui ita reſurrexit, ut cadere non adjiciat, qui ſolus attigit immortalitatem.*

Rom. 6.

Reſurrexit propriâ virtute.

Eſt & aliud in quo Reſurrectionis hujus innoteſcit gloria ſingularis. Quis enim in omnibus cæteris ſuſcitavit aliquando ſemetipſum? Ineffabile illud eſt, ut à morte ſe excitet ipſe, qui dormit: ſingulare eſt, non eſt qui faciat, non eſt uſque ad unum. Heliſæus Propheta mortuum ſuſcitavit, ſed alterum, non ſeipſum. Ecce enim quot annis jacet in monumento, quod à ſe non poteſt, ſperans ab alio ſuſcitari; ab eo utique, qui triumphavit mortis imperium in ſeipſo. Inde eſt quod cæteros quidem dicimus ſuſcitatos; Chriſtum verò reſurrexiſſe, qui ſolus virtute propriâ victor prodiit de ſepulcro. Siquidem & in hoc vicit Leo de Tribu Iudâ. Quantùm poterit? imò quid non poſſe videbitur vivens, & dicens Patri; Reſurrexi & adhuc tecum ſum; qui tam potens extitit deputatus cum mortuis, ſed inter mortuos, liber. Ita S. Bernardus.

Ex his jam reſumo Syllogiſmum initio propoſitum, & concludo efficaciter, atque invincibiliter, Chriſtum eſſe Deum. Si Chriſtus qui Deum ſe fecit, & in ſignum Divinitatis ſuæ, Reſurrectionem ſuam

paucis poſt mortem diebus futuram prædixit, reipſa, ut dixerat, reſurrexit; dubitari non poteſt, quin ipſe ſit Deus: Atqui certiſſimum eſt, illum tertio poſt mortem die, reſurrexiſſe, ut luce clariùs probatum eſt. Igitur dubitari non poteſt quin verè ſit Deus.

Digitized by Google

DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI.

CAPUT SEPTIMUM.

Septimum argumentum illius demonſtrativum.

MIRABILIS PER UNIVERSUM ORBEM Religionis Chriſtianæ propagatio.

SECTIO PRIMA.

Quòd fides Chriſti poſt ejus mortem fuit per totum mundum diſſeminata.

Si Chriſtiana Religio, quæ Chr. colit ut Deum, eſt vera; manifeſtè ſequi-

HOc argumentum eſt palpabilis demonſtratio, non tantùm veritatis Religionis Chriſtianæ, ſed etiam Chriſti Divinitatis. Si enim ex eo ſenſibiliter convincitur, Religionem Chriſtianam eſſe veram Religionem, quâ Deus ſe ab hominibus coli voluit: non minùs certò convincitur, Chriſtum illius Auctorem & Inſtitutorem, verè eſſe filium Dei; cùm id ſupponat & profiteatur, tanquam præcipuum & fundamentale dogma fidei, cui tota innititur. Etenim ſi Chriſtus non eſſet Deus, conſtat Religionem, quæ ſuper hâc veritate falsò

Digitized by Google

fundaretur, falſam & ruinoſam eſſe. Econtrà verò ſi Religio Chriſtiana eſt vera & divina Religio, neceſſe eſt ut Chriſtus, quem credit & colit ut Deum, reipsâ ſit Deus.

tur, Chriſtū verè eſſe Deum.

At præter ea quæ jam diximus, Chriſtianiſmi veritatem, & Divinitatem Chriſti maximè oſtendit modus planè mirabilis, quo fuit in mundum introductus, propagatus & conſervatus.

Conſtat verò ex hiſtoriis ſacris & profanis, paulò poſt Chriſti mortem, univerſum penè Orbem ab Idololatriâ, & avitis erroribus, ad Chriſti fidem fuiſſe converſum, ſecundùm quod in veteri Teſtamento, multis in locis fuerat prædictum. Ut Geneſ. 22. v. 18. Ubi Deus Abrahæ loquens de Filio, ex ipſius ſemine naſcituro, ait; *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Et Pſal. 2. v. 8. *Poſtula à me & dabo tibi gentes, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et Pſal. 71. v. 8. David de Chriſto loquens dicit; *Et dominabitur à mari, uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos Orbis terrarum.* Et v. 11. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei.*

Paulò poſt Chr. mortē, Religio fuit per totum fermè orbem propagata.

Id quod Chriſtus Dominus Diſcipulis præſignificavit, dum eos ad Evangelium omnibus hominibus prædicandum miſit; ut habetur Actorum 1. v. 8. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæâ, & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ.*

Teſtatur autem S. Paulus, Coloſſ. 1. v. 6. jam tum, cùm hæc ſcriberet, fidem Chriſti fructificaſſe in univerſo mundo: hæc ſunt ejus verba; *Audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, quam audiſtis in verbo veritatis Evangelij, quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, &c.*

Item Roman. 1. *Fides veſtra quæ annuntiatur in univerſo mundo.* Et 1. Joannis c. 5. *Hæc eſt victo-*

ria, quæ vicit mundum, fides noſtra.

Ita quippè per prædicationem Apoſtolorum, & Diſcipulorum Chriſti, in diverſas Orbis partes diſperſorum, Religio Chriſtiana propagata eſt, ut Juſtinus Martyr ſcribens initio ſecundi ſæculi, in Dialogo cum Tryphone, affirmet; *Nullum tunc fuiſſe hominum genus, apud quod Jeſu Crucifixi nomine, preces & Euchariſtiæ, omnium rerum Creatori non fierent.* Ejuſdem prædicationem, & fidem in univerſo mundo diſſeminatam fuiſſe, & diligenter cuſtoditam, dixit pauló poſt Irenæus lib. 1. adverſùs hæreſes, cap. 3. Tertullianus pariter, libro contra Judæos cap. 7. tradit; Chriſtianam fidem, jam tunc, id eſt, eo tempore, quo ſæviebat perſecutio, & eò uſque ſævierat, latiùs fuiſſe dominatam, quàm Romanum Imperium; multaque loca Romanis inaccesſa, Chriſto ſubdita fuiſſe.

Quod confirmat ipſe Plinius junior libro 10. Epiſtolâ 97. ad Trajanum Imperatorem, ubi ſic habet; *Non civitates tantùm, ſed & vicos, atque agros, ſuperſtitionis iſtius,* (ſic Religionem Chriſtianam appellabat,) *contagio pervagata eſt: certè conſtat propè jam deſolata templa,* (idolorum) *cœpiſſe celebrari, & ſacra ſolemnia diù intermiſſa repeti.*

Eccleſia Chriſtiana, jam à primis ſæculis dicta eſt Catholica.

Eam ob cauſam, Eccleſia verè Chriſtiana, jam à primis ſæculis nuncupata eſt Catholica, (id eſt, univerſalis,) ut Patres illorum temporum, & ſpeciatim Concilium Nicænum, atque Auguſtinus teſtantur. Auguſtini hæc verba ſunt; *Eccleſia,* inquit, *una eſt, quam majores noſtri Catholicam nominarunt; ut ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt; nam Græcè* καθ᾽ ὅλον *idem ſonat quod latinè, ſecundùm totum.*

August. Epiſt. Petiliani, c. 2.

Quamvis autem Apoſtolorum ope, ab initio omnes mundi partes, aliquo modo pervaſerit; (In omnem quippè terram exivit ſonus eorum:) ſucceſſivè

Digitized by Google

tamen crevit, diverſorum regnorum & nationum acceſſione.

Sectio Secunda.

Fidei Chriſtianæ propagatio fuit planè mirabilis, multas ob cauſas.

Fides Chriſtiana per univerſum mundum propagata eſt modo admirabili, ut inter maxima Chriſti, ejuſque Diſcipulorum miracula, converſio mundi meritò à ſapientibus viris computetur. Iſtud enim opus, hactenùs novum & inauditum, adeò ſupra omnes vires humanas apparebat, & tantis undique difficultatibus obſitum; ut niſi Divino Sancti-Spiritus afflatu fuiſſet inſpiratum, atque ſuſceptum: de illo aggrediendo vel cogitare, non modò temerarium, ſed etiam ſtultum videri potuiſſet.

Converſio totius mundi ab Idololatria ad Chr. unum eſt ex maximis miraculis.

Inter plurima autem quæ illam mundi converſionem, & fidei dilatationem reddebant humanæ facultati, atque induſtriæ impoſſibilem, ac nobis effecêre mirabilem, fuerunt. 1. Sublimitas, ac propemodùm incredibilitas doctrinæ Chriſtianæ, populis carnalibus perſuadendæ. 2. Prava Gentilium ad illam recipiendam diſpoſitio. 3. Imbecillitas & tenuitas eorum, qui erant ad hoc munus delecti. 4. Vehemens Dæmonum, Tyrannorum, & omnium fere hominum, contra illam obluctantium conatus. Et alia ejuſmodi penè inſuperabilia, quæ oſtendunt evidenter, rem tantam & tam difficilem, non aliâ quàm Divinâ virtute perfici potuiſſe. Id quod ea quæ dicturi ſumus, attentè conſideranti, facilè conſtabit.

Multa converſionem mundi, & fidei per totũ mundũ dilatationem, videbãtur impoſsibilem reddere.

Ac primò, quod ſpectat ad doctrinam, quæ Gentilibus amplectenda proponebatur, maximas ingerebat difficultates, tum ex parte intellectûs, tum ex

1. Incredibilitas & dif-

Digitized by Google

parte voluntatis; hoc eſt, tum ratione rerum credendarum, tum ratione rerum agendarum.

ficultas doctrinæ perſuadendæ. Tum ex parte intellectûs, propter altitudinem myſteriorum.

Et quidem à fide myſteriorum noſtrorum duæ res potiſſimùm poterant illos plurimùm deterrere; nimirùm ſublimitas, quâ rationem humanam longè ſuperant; & novitas doctrinæ, inveteratis Gentilium erroribus prorsùs oppoſitæ: quò fiebat, ut tam operoſum eſſet illa inſerere mentibus, quàm inolitas opiniones, & ritus antiquos convellere.

Enimverò quid ſublimius proponi poteſt hominibus credendum, quàm Deum eſſe unum in Eſſentiâ, & Trinum in Perſonis? Verbum, ſeu Filium Dei, Patri ſuo coæternum, & conſubſtantialem, ad redimendum genus humanum, & peccatum primi parentis, quo omnes perieramus, expiandum, aſſumpſiſſe naturam humanam unione perſonali, tam arctâ, ut idem ſit Deus & homo. Poſt mortem eſſe alteram vitam, beatam aut miſeram, pro meritis aut demeritis cujuſque. Homines in hujus vitæ exitu ſiſtendos eſſe ad Tribunal Dei, Judicis ſupremi; ibique de ſuis actionibus bonis aut malis, examinandos, ac judicandos. Mortuos aliquandò ſuis è cineribus eſſe virtute divinâ ſuſcitandos. Chriſtum, quem in cœlo glorioſum eſſe credimus, nihilominùs adhuc nobiſcum in Euchariſtiâ verſari ſub ſpeciebus accidentium, modo ſpirituali & impalpabili, à fidelibus ſubinde manducandum. Hæc illis prædicabantur credenda, aliaque id genus, planè excelſa, & humano ingenio, Divinam potentiam ac revelationem non clarè percipienti, perſuaderi difficilia.

Sed illud longè magis, quod eſt cæterorum dogmatum fundamentum, Jeſum, qui erat homo exteriùs ſimilis nobis, qui vulgò habebatur pro filio fabri, Mariæ filius; inter duos latrones, judicis ſententiâ crucifixum, Deum verum eſſe, mundi hujus Crea-

Digitized by Google

torem, & aliis numinibus abjectis, pro Deo colendum eſſe. Hoc nemo non videt, quàm creditu difficile ſit; & quantæ difficultatis eſſet, id non tantùm rudibus & imperitis, ſed etiam Sapientibus, Philoſophis, Regibus, toti mundo perſuadere. Sic nimirùm, ut loquitur Apoſtolus, *placuit Deo per ſtultitiam prædicationis, ſalvos facere credentes: quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* In hoc quippè mera ſtultitia, & cæcitas eſſe videbatur, ut homines ab illo uno ſalutem ſperarent, qui videbatur mortem Crucis ignominioſam vitare non potuiſſe; eumque tanquàm Deum venerarentur ac crederent, quem ſciebant, tanquàm flagitioſum, ſupplicio Crucis addictum.

1. Corinth. 1.

Et ad hæc credenda, nihil in præſenti, niſi grave & aſperum pollicebantur Apoſtoli: Quæ autem in fidei mercedem bona proponebant ſperanda, in aliam vitam, nobis incógnitam, rejiciebant. Quæro utrùm iſta tam incredibilia potuerint toti mundo perſuaderi, niſi Deo interiùs, exteriúſque mirabiliter cooperante?

Sed difficultatem credendi iſta tam incredibilia, plurimùm augebat Novitas hujus, quæ annuntiabatur, doctrinæ, & Religionis hactenùs inauditæ; quâ quicquid ab omni retrò tempore creditum fuerat, tanquàm fictitium & erroneum damnabatur. Etenim omnem Gentium religionem, ſæculis innumeris radicatam, ritus ac ceremonias omnes funditùs peſſumdabat. Cum Judæis autem ita agebant Evangelij præcones, ut cùm eorum Deum pro vero admitterent; atque adeò faterentur, legem ipſis traditam, ejus autoritate fuiſſe inſtitutam: ejus tamen obſervantiam deinceps in multis eſſe prohibitam de-

Item propter novitatem.

nunciarent; ſcilicet in uſu Circumciſionis, ſacrificiorum aliorumque rituum præcipuorum.

Vis conſuetudinis inveterata. Si autem tanta vis eſt conſuetudinis, ut eam ab aliquot annis firmatam, operoſum ſit tollere; quantò magis ab omni memoriâ ſtabilitam, præſertim in rebus ſacris, & deorum cultu? Poterant itaque, auditâ Chriſtianæ doctrinæ prædicatione, dicere; Quid? Omnes igitur qui terram habitant, decipiuntur; & quotquot extiterunt ante nos, erravêre? Philoſophi, Oratores, ſapientiſſimi quique in rebus divinis cæcutivêre? Pythagoras & Plato; Imperatores, Conſules & Reges, omnium Urbium cives? Barbari & Græci; Romani & Perſæ? pauci homines piſcatores his omnibus intelligentiâ præſtant? Ergò illis tam inſolita, & humano ſenſui repugnantia proferentibus fides habebitur, repudiatâ omni antiquâ ſuperiorum ſæculorum & nationum religione? Hinc jam videre licet, quot ſignis, & quantâ Dei auxiliantis gratiâ opus fuerit ad extirpandam & vincendam iſtam animorum præventionem.

At Deus bone! quæ opiniones & quàm altè mentibus impreſſæ conſuetudines fuerunt revellendæ? *Serm. quòd Chriſtus ſit Deus.* Audi S. Chryſoſtomum hâc de re contra Gentiles diſſerentem; *Quæ à patribus*, inquit, *avis & proavis, aliiſque progenitoribus; quæ à Philoſophis, Rhetoribus, & ſapientibus illorum temporum accepiſſent, ea omnia eſſe reſpuenda dicebantur: ab idolis omnibus abſtinendum eſſe; eorum altaria deſpectui habenda; quæ patres, progenitoreſque ipſorum ſemper coluerant; à profanis ritibus, & præceptis deſiſtendum; ridendas ſolemnitates, omittenda ſacrificia, quæ illis maximè digna veneratione, & formidabilia videbantur; pro quibus parati erant etiam animas & vitam exponere potiùs, quàm doctrinam novam amplecti, & credere in natum ex Mariâ, ductum ad tribunal*

Digitized by Google

Præſidis, accuſatum, conſputum, irriſum, flagellatum, damnatum, in medio latronum Crucifixum.

Verùm eadem doctrina Chriſtiana, quatenùs voluntatem, moreſque reſpicit, ac præſcribit modum piè honeſtéque vivendi; maximum item erat impedimentum illius amplectendæ. Ex hac enim parte nihil habet quo poſſit animos hominum, carni ac vitiis deditorum allicere; multum verò quod illos abducat à ſe, ac penitùs alienet. Eſt enim, ut omnes ſciunt, lex ſevera, rigida, quæ nullatenùs blanditur naturæ corruptæ; quin potiùs omnes inordinatos animi motus reprimit, omnes cupiditates frænat ac coërcet. Quæ cùm nihil unquàm permittat vitioſum, omnia prohibet vel minima, quæ ſunt rectæ rationi diſſentanea. Præcipit autem, approbat, aut conſulit, quicquid in moribus honeſtum eſt. Damnat delicias hujus vitæ, docet contemnere divitias terrenas, honores & omnia temporalia; vitam pauperem degere, humilemq́, laborioſam, mortificatam, & Crucifixo ſimilem. Quid docebat Apoſtolus, Gentium prædicator? *Sicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum Jeſum Chriſtum.* Quibus verbis omnes carnis voluptates illicitas proſcribit.

Tum ex parte voluntatis, propter difficultatem diſciplinæ Chriſtianæ.

Rom. 13. v. 113.

Et alibi; *Qui ſunt*, inquit, *Jeſu Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Quid eſt hoc, Carnem ſuam crucifigere? eſt illam jejuniis, macerationibus edomare, ne adverſùs ſpiritum & rationem quidpiam concupiſcat, eique dominetur.

Ad Gal. 5. 24.

Quid verò ipſe Chriſtus turbis prædicabat? *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.*

Mat 16. 24.

Et alibi; *Ego dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. Benedicite maledicenti-*

Luc. 6. 27.

Digitized by Google

bus vobis, & orate pro calumniantibus vos. Et qui te percutit in maxillam, præbe ei & alteram, &c.

Ecce quid ferat Profeſſio Chriſtiana; ecce quod populis prædicabant Apoſtoli, non vitam ſuavem, jucundam, deliciis plenam, facilem & commodam: ſed arduam, aſperam, propenſioni naturali omninò repugnantem.

Tantò autem magis Religio Chriſtiana infideles deterrebat à ſe capeſſendâ, quòd mutatio vitæ illis facienda erat à rebus jucundis ac facillimis, ad difficillimas; à ſtupris & fornicationibus ad temperantiam; ab ebrietate ad ſobrietatem; à voluptate ad continentiam; ab avaritiâ ad divitiarum contemptum, & amorem paupertatis; ab irâ ad manſuetudinem, & condonationem injuriarum; ab amore vitæ, ad mortis contemptum; denique à viâ latâ & ſpatioſâ rerum delectabilium, ad arctam & anguſtam. Difficilis ſanè eſt tranſitus iſte præſertim in moribus, ab extremo ad extremum. Mirare igitur quòd tanta Gentilium multitudo, abdicatâ antiquæ vitæ ratione, facili & jucundâ; ad durum & grave Religionis jugum commigrarit.

Secundum impedimentũ fidei propagandæ, erat prava Gentilium diſpoſitio.

Alterum caput difficultatis fidei propagandæ, erat prava Gentilium ad illam recipiendam diſpoſitio. Nam quæſo, quibus annuntiabatur iſta doctrina tam ſublimis, & ſuâ ſanctitate tam ardua? Hominibus carnalibus, luto vitiorum immerſis, deditis impudicitiæ, ebrietatibus, voluptati. Quales Apoſtolus, de Gentilibus loquens, deſcripſit, ad Roman. 1. v. 23. &c. *Qui mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & ſerpentium: propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficerent corpora ſua in ſemetipſis. Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt,*

coluerunt, & ſervierunt Creaturæ potiùs quàm Creatori. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominioſas. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis, in vicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes; & mercedem, quam meriti ſunt, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt; repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ; plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate; ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia, &c. Hactenùs Apoſtolus.

Nec mirum quòd Gentes ante converſionem, his eſſent fœditatibus deformatæ; ſiquidem Idololatriæ proprium eſt ad omnem libidinem & flagitium ducere. Ubi nullus eſt, nec Dei vindicis, nec ſuppliciorum æternorum timor, nullum frænum eſt, quo cupiditates & vitia coërceantur. Et ubi nulla vitæ futuræ melioris ſpes eſt; totus animus, & impetus deſideriorum in bona delectabilia, & voluptates hujus temporis effunditur. Dæmone præſertim, cui tanquàm domino ſerviebant, ad omnia flagitia impellente. Ad quod non parum conferebat eorum exemplum, quos pro diis venerabantur; Jovis impudici, Veneris luxuriâ perditæ, Bacchi temulenti, Mercurij furis, aliorumque ſimilium, quos in cœlum extulit vel adulatio, vel impietas; quoſque in Divis repoſitos, homines non pudebat, etiam in turpibus imitari.

Quòd ſi vitia fidem obruunt, etiam in iis, qui jam

fidem ſuſcepêre : quantò magis, ne ſuſcipiatur impediunt? At non tantùm vitiis, ſed etiam inveteratis ſuperſtitionibus præpediebantur Gentiles, quibus erant innutriti, & mordicùs addicti. Quomodò igitur in tanta errorum, & criminum caligine, poterat lux veritatis ſplendeſcere. Nulli ſunt magis incurabiles cæci, quàm qui pertinaciter volunt cæcutire; nec minus ad illam cæcitatem voluntariam ſanandam, miraculum requiritur, quàm ad cæcitatem oculorum.

Præterea, cùm in qualibet ſectâ ſint aliqui docti, eloquentes, & Philoſophi: non eſt dubium, quin ij novis & abſurdis, ut rebantur, opinionibus, totâ ſuæ doctrinæ & facundiæ vi ſeſe opponerent; quà impugnando fortiter argumentis; quà conviciis & ſcommatis proſcindendo. Unde Tertullianus in Apologetico c. 18. *Hæc*, inquit, *& nos riſimus, de veſtris fuimus; fiunt, non naſcuntur Chriſtiani.*

Ex quibus clarè innoteſcit, quanti laboris eſſet, & quantæ difficultatis, homines tam pravè affectos, & malè diſpoſitos, ad fidem Chriſti acceptandam inducere.

Tertiũ caput difficultatis Religionis propagandæ, erat ineptitudo eorũ qui ad hoc munus aſſumpti ſunt.

At quibus inſtrumentis Chriſtus uſus eſt ad tam difficile converſionis mundi negotium peragendum? Iſtud eſt tertium caput, propter quod illa converſio, antequàm fieret, cenſeri poterat impoſſibilis; poſtquàm facta eſt, apparuit planè mirabilis. Quibus, inquam, hominibus uſus eſt? Certè ſi delectus hominum ad hoc tantum opus aſſumendorum, in conſilium & deliberationem vocatus fuiſſet: nemo eſt, qui humano ſenſu rem dijudicando, non ſtatim reſpondiſſet, eligendos eſſe apprimè doctos, Philoſophos eximios, oratores inſignes, magnâ vi ratiocinandi, & dicendo perſuadendi præpollentes; venuſtos, dignitate conſpicuos, nobiles, divitiis potentes: quan-

Digitized by Google

juàm ne per iſtos quidem, aut alios quoſcunque ex-ellentiſſimos viros, converſionem mundi ad fidem am incredibilem & exoſam perfici potuiſſe, ullate-ùs erat vero ſimile. Quis enim unquam Philoſo-hus, quis alicujus ſectæ inventor, ſuâ peritiâ, aut loquentiæ facultate; doctrinam ſuam, aut etiam num dogma, voluit in univerſum mundum introdu-ere? Quid enim non conatus eſt Plato, ut animo-um immortalitatem hominibus perſuaderet? & ta-nen quàm paucis ſui temporis perſuaſit?

Sed quos tandem Chriſtus ad Evangelium ſuum iſſeminandum, & ejus fidem toti mundo perſuaden-lam elegit? elegit eos qui ad hoc munus, minimè mnium videbantur idonei; nempe duodecim piſca-ores nullius auctoritatis aut nominis, viles, paupe-es, illiteratos, idiotas; nullâ dicendi facultate, nul-â Philoſophiæ cognitione inſtructos; atque adeò mnibus ad id auxiliis naturalibus deſtitutos: inſuper ta timidos atque abjecti animi, ut Chriſto Domino Judæis capto, omnes metu periculi & infortunij, tatim aufugerint; illumque inter manus inimicorum njuſtè ſævientium, ſine defenſione, ſine conſolatio-e reliquerint. Quin & eorum princeps, Petrus, qui æteris animi conſtantiâ & fortitudine præcellere pu-abatur; qui Chriſtum viderat in monte Thabor, ra-liis gloriæ coruſcantem, ac divinitùs transformatum; ui ſpecialiter facta fuerat à Patre revelatio de Filij ui Divinitate; qui paulò antè promiſerat ſe Chriſtum, eque in carcere, neque in ſuppliciis deſerturum; ille amen, non ſatellitum invadentium, non miniſtro-um juſtitiæ grave aliquid minitantium metu; ſed nius ancillæ interrogantis voce perculſus, Chriſtum Dominum ſuum, in eadem domo, in quâ ipſe erat, nfideliter pernegavit. Quæ major infirmitas animi cogitari poteſt? Et tamen hic erat cæterorum caput,

Digitized by Google

& Coryphæus; quid de aliorum firmitate & conſtantiâ poterat præſumi?

Cur igitur ejuſmodi homines, tenues, imbecilles, & omnium judicio ineptiſſimos, ad fidem toto Orbe ſtabiliendam adhibuit? Auguſtinus iſtud maturè ponderans, rationem affert; *Noluit*, inquit, *Chriſtus Dominus in Apoſtolos ſuos, eligere Senatores, ſed Piſcatores, magnâ Artificis prudentiâ. Sciebat enim, quia ſi eligeret Senatorem, diceret Senator, dignitas mea electa eſt; ſi eligeret Imperatorem, diceret Imperator, poteſtas mea electa eſt; ſi eligeret Oratorem, diceret Orator, eloquentia mea electa eſt; ſi eligeret Philoſophum, diceret Philoſophus, ſapientia mea electa eſt. Et dixiſſent increduli, mundus iſtorum induſtriâ, aut potentiâ converſus eſt. Ne igitur laus iſtius mutationis, hominibus & non Deo tribueretur; illos initio adſciſcere noluit. Differantur*, inquit, *ad tempus iſti ſuperbi, dum ſanentur. Veni tu piſcator, veni tu pauper, ſequere me; nihil habes, nihil noſti, hoc ipſum eſt quod volo, ſequere me. Dimiſit retia piſcator, & factus eſt divinus Orator. Ecce quid fecit Dominus, de quo dicit Apoſtolus; (infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi elegit Deus, & ea quæ non ſunt, tanquam quæ ſint; ut ea quæ ſunt, evacuentur; ut non glorietur coram Deo omnis caro) Denique leguntur modò verba piſcatorum, & colla ſubduntur Oratorum.*

(Auguſt. tract. 59. de verbis Domini in Matth.)

(1. Corinth. 1.)

Propter eandem rationem, inquit idem S. Doctor; *Non eſt electus in Apoſtolum Nathanaël, quia iſte doctus erat in lege. Non quia doctos non erat poſteà electurus; ſed ſi primò ipſos elegiſſet, doctrinæ ſuæ merito ſe electos putarent; & ita illorum ſcientia laudaretur, & laus Chriſti gratiæ, ac Divinæ potentiæ minueretur.*

(Auguſt. in Pſal. 65.)

Iſtud nimirùm Deo ſolemne eſt, ut ad manifeſta-

Digitized by Google

tionem ſuæ ſapientiæ & poteſtatis, infirma mundi eligat, (ut loquitur Apoſtolus) ad res magnas & difficiles peragendas. Sic enim Judithâ, muliere imbecillâ uſus eſt, ad formidabilem Aſſyriorum exercitum profligandum. Sic Gedeonis operâ, & trecentorum duntaxat militum, lagenis & lampadibus in iis incluſis armatorum, Madianitas innumerabiles delevit. Sic ranis, muſcis, locuſtis, & vilibus animalculis Pharaonem Regem edomuit. Sic manu Davidis adoleſcentis, ad bellandum inſueti, nullis inſtructi armis, niſi fundâ Paſtoris, Gigantem enormem, ferro undique coopertum, artis bellicæ peritiſſimum, uno lapidis jactu in frontem incuſſi proſtravit ac cecîdit. Sic unius Samſonis manu, Aſini mandibulâ duntaxat armati, mille Philiſthæos cataphractos in ipſum ruentes delevit. Hoc pacto Chriſtus duodecim Idiotis uſus eſt, ad evertendum idolorum cultum ubique terrarum; ad vincendam potentiam Dæmonis toto Orbe dominantis: ad fidem, omnium hominum mentibus inſerendam: ut ex eo Divina virtus tantò magis eluceſceret, quòd per impotentiores, rem tam difficilem perfeciſſet.

Quòd ſi converſionem mundi aggreſſi eſſent illi Piſcatores, nemine reſiſtente, omnibus placidè prædicationem Evangelij audientibus; æquo animo ferentibus, doctrinam Chriſtianam palàm annuntiari, atque à volentibus recipi; nullo perſequente cultores Chriſti: hoc enimverò adhuc digniſſimum eſſet admiratione. Sed illud omnem admirationem tranſcendere videtur, quòd fidei prædicatio, & Religionis Chriſtianæ profeſſio innumeros nacta eſt adverſarios, inimicos & perſecutores. Id quod erat quartum illius propagandæ impedimentum grave.

Quartũ caput difficultatis Religionis propaganda, erat multitudo & potentia obſiſtentium, & perſequentiũ

Quinam porrò fuerunt illi? Imò quinam non fuerunt? Omnes Reges, Imperatores & Principes hujus

Digitized by Google

mundi; tota Romani imperij potentia, cunctarum ferè nationum victrix & domina; ſacerdotes idolorum, omnes populi acriter ab iſtis ſuſcitati; ignari, ſapientes; Philoſophi, Oratores; Gentiles & Judæi. Nimirùm dæmones ferre non poterant, ſuum in Gentes imperium, Idololatriæ deſtructione ſubverti. Deorum miniſtri & Flamines videbant ſe, per publicationem & receptionem Evangelij, ſuis functionibus deſtitui, honoribus, & vitæ ſubſidiis privari. Plebs ſuis ſupra modum addicta ſuperſtitionibus, conſuetudini & patriis moribus, non patiebatur ſua idola haberi contemptui, ſua altaria deturbari, ſacrificia aboleri, derideri ſolemnitates, ac denique omnia, quæ illis ſacra & pia videbantur, conculcari.

Hinc crudelia Principum, atque Imperatorum edicta, in iſtius novæ doctrinæ tum prædicatores, tum profeſſores; hinc proſcriptiones bonorum, exilia, carceres, flagellationes, dilacerationes membrorum, laminæ & craticulæ candentes, aliaque omnis generis ſupplicia in Chriſtianos, & naſcentem ac teneram adhuc Eccleſiam paſſim exercita; ut valdè mirum ſit, illam in ipſis incunabulis non fuiſſe penitùs extinctam.

Qui furor perſecutionis in unaquaque gente, & civitate ſtatim exarſit. Et quid dico in unaquaque gente, aut civitate? *In ſingulis domibus gerebatur bellum,* inquit Chryſoſtomus; *radicata enim hæc doctrina, & filium ſæpè à patre diviſit, & nuptam à ſocru, fratrem à fratre, ſervum à domino, ſubditum à Principe, virum à muliere, & patrem à liberis; (neque enim omnes ſimul crediderunt.) Ad hæc quotidianas inimicitias, continuas perſecutiones, multaſque ipſis mortes attulit: fecitque ut Apoſtolos, quaſi communes hoſtes & inimicos plurimi averſarentur, omnibuſque vexarent modis omnes Reges, Principes, privati, liberi, ſervi, populi,*

Chryſ. Serm. quòd Chriſt. ſit Deus

urbes. Nec ſolum ipſos, ſed & (quod gravius eſt) novitios in fide, & eos qui ab ipſis inſtruebantur. Eodem enim bello premebantur, & diſcipuli, & magiſtri.

Quomodò igitur potuit Eccleſia naſcens tot tempeſtatum fluctibus non ſubmergi? quomodò inter tot procellas ubique & perſecutiones, à paucis illis exoticis viris, inermibus, ignaris per univerſum orbem propagari? Nemo eſt, opinor, qui in re tam mirabili virtutem Divinam ſupernaturaliter operantem non agnoſcat?

In tantis autem fidei propagandæ difficultatibus, quis quæſo fuit exitus? qui fructus prædicationis? Quid tandem effecerunt illi, quos expreſſimus, duodecim ignoti, inermes, idiotæ? rem prorsùs incredibilem, & inexpectatam. Sacrificia de altaribus, altaria de templis, templa & idola de mundo penè univerſo ſuſtulerunt. Omnes gentes ab idolorum & dæmonum cultu, ad veri Numinis, Chriſtique notitiam ac venerationem adduxêre; inveteratos illarum errores & antiquas conſuetudines exſtirpavêre; priſtinos mores anteà belluinos & corruptos, in pios ac religioſos tranſmutavêre. Ex hominibus carnalibus fecerunt ſpirituales, ex terrenis cæleſtes, ex ſuperbis humiles, ex avaris liberales, ex crudelibus miſericordes, ex gulæ mancipiis abſtinentes; denique ex flagitioſis innocentes, ſanctos, & omnium virtutum excellentiâ illuſtres.

Effectus mirabiles prædicationis Evangelicæ.

Quibus verò & quàm multis iſta tam incredibilia, & ardua perſuaſêre? Non decem aut viginti hominibus, ſed omnibus fermè ſub ſole habitatoribus. Siquidem apud omnes nationes, Romanorum, Perſarum, Scytharum, Indorum, Græcorum, Judæorum, Barbarorum; ubique in omnibus regnis, provinciis, urbibus, oppidis, Chriſto erecta ſunt templa, altaria extructa, ſacra celebrata.

Digitized by Google

Et non plebi tantùm hæc perſuaſerunt: ſed & viris ſuâ ætate doctiſſimis, Dionyſio, Clementi, Irenæo, Juſtino, Arnobio, Tertulliano, Ariſtidi, Athenagoræ, Lactantio, & aliis quàm plurimis, qui ſe piſcatorum doctrinæ ultrò ſubmiſerunt. Quin & ii, qui erant initio Apoſtolorum inimici, & perſecutores, facti ſunt eorum diſcipuli: Atque ipſi tandem, inquit Auguſtinus, Imperatores, quos antè furore perſequebantur, proſecuti ſunt fide. Et ut ait Chryſoſtomus; *Qui indutus eſt purpurâ & coronatus diademate, venit ut amplectatur ſepulcra Petri & Pauli, & depoſito faſtu orat piſcatorem, & artificem frenofactorium, ut pro ipſo ad Deum intercedant. Hæc ſine dubio fuit mutatio dexteræ Excelſi.*

Auguſt. l. 22. de C. vit. c. 7. Chryſ. Homil. 26. in cap. 12. Epiſt. 2. ad Cor. 9. prope finem.

Converſio mundi brevi tempore facta.

Quæ tantò admirabilior extitit, quòd facta eſt brevi tempore, & magnâ acceleratione; paucis enim poſt Apoſtolorum diſperſionem annis, ipſis adhuc viventibus, per univerſum penè mundum erectæ ſunt Eccleſiæ; vero Deo, & Chriſto Salvatori altaria erant extructa, in quibus hoſtia cæleſtis, profanis ſacrificiis abolitis, ritu Chriſtiano ſacrificabatur. Frementibus licet, & obſiſtentibus contra ſurgentem Eccleſiam populis, Sophiſtis & Oratoribus, Tyrannis ac Principibus; ſermo Dei, velut ignis validus adveniens, vepres & ſpinas ſtatim conſumpſit, agros repurgavit, fidei ſeminatæ vigorem & incrementum dedit.

Non obſtantibus tēpeſtatibus perſecutionum.

Et quamvis ij qui crediderant, in carceribus ſervarentur, deſpectui eſſent, fortunas amitterent, occiderentur, traderentur igni, ſubmergerentur aquâ, & omne tormentorum genus ſuſtinerent, cum ſummâ ignominiâ; & perſecutionem paterentur ut hoſtes publici: plures tamen accreſcebant; non ſolùm nihil ex afflictionibus aliorum facti ſegniores, ſed & multò alacriores ad hanc pulchram piſcationem

Digitized by Google

affluebant, inquit Chryſoſtomus : ſicque à Piſcatoribus capiebantur ; non coacti, non vim paſſi, ſed ſponte accurrentes, gratiamque habentes adducentibus : ac licet viderent torrentes ſanguinis credentium occiſorum decurrere, ferventiores tamen, & fidentiores reddebantur in fide. Et non diſcipulis ſolùm, ſed & Magiſtris vinctis, fugatis, flagellatis, aliaque mille mala perpeſſis ; diſcipuli plures fiebant, magiſque ſtudioſi. Chryſ. Serm. quòd Chriſt. ſit Deus

Unde dicebat S. Paulus ; *Plures fratres freti in Domino vinculis meis, ut abundantiùs audeant impavidè ſermonem loqui.* Philip. 1.

Et alibi ; *Vos imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæâ ; quia eadem paſſi eſtis, quæ & nos à cognatis propriis, prohibentibus nos loqui Gentibus, ut ſalventur.* 1. Theſſ. 2.

Aliis quoque ſcribens, ſic ait ; *Memores eſtote dierum priſtinorum, in quibus illuminati, grave paſſionum certamen ſuſtinuiſtis ; ſcientes meliorem vos habere ſubſtantiam in cœlis, & manentem.*

Vides virtutis excellentiam quæ tanta operata eſt. Nam qui tanta patiebantur, non ſolùm non ferebant ægrè, vel deficiebant : ſed & gaudebant, geſtiebant, exultabant. Et de Diſcipulis quidem dicitur, *quòd publicationem ſubſtantiæ cum voluptate acceperint.* De Magiſtris verò, quòd, *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Ac de ſeipſo Apoſtolus ait ; *gaudeo in afflictionibus meis, & adimpleo quod reliquum eſt afflictionum Chriſti in carne meâ.* Hebr. 10. Actor. 5 Coloſſ. 1.

Ecce quantam, & quantis in difficultatibus mutationem Gentium fecerunt in mundo pauci deſpicabiles piſcatores.

Verùm quod adhuc maximoperè auget admirationem iſtius operis, eſt modus quo illud peregerunt

Modus quo Apoſtoli Gentes & totũ mundũ ad Chr. adduxerunt. Apoſtoli. Non enim hoc factum eſt armorum potentiâ, non magnatum præſidio, non pollicitatione deliciarum, honorum, aut divitiarum; non denique eloquentiæ vi. Illorum enim ſtylus prædicandi fuit ſimplex, ſine apparatu, ſine fuco, ſine artificio, aut verborum lenociniis, quemadmodùm ipſe Apoſtolus teſtatur, dicens; *Miſit me evangelizare, non in ſapientiâ verbi.* Et cap. 2. v. 4. *Et ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis; ut fides veſtra non ſit in ſapientiâ hominum, ſed in virtute Dei.*

1. Cor. 1. v. 17.

Enimverò, ut præclarè dixit Auguſtinus; *Eloquia perſuadentium quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba. Homines quippè quos unius, vel ut multùm, duarum linguarum fuiße noverant; repentè linguis omnium Gentium loquentes mirabiliter, audiebant. Claudum ab uberibus matris, ad eorum verbum, in Chriſti nomine per 40. annos incolumem perſtitiſſe. Sudaria de corporibus eorum ablata, ſanandis profuiſſe languoribus. In viâ quâ fuerunt tranſituri, poſitos in ordine innumerabiles, morbis variis laborantes, ut ambulantium ſuper eos umbra tranſiret, continuò ſalutem recipere ſolere; & alia multa ſtupenda, in Chriſti nomine, per eos facta ſigna. Poſtremò etiam mortuos reſurrexiſſe cernebant. Quòd ſi per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, Reſurrectionem atque Aſcenſionem illius prædicantibus, etiam iſta miracula facta eſſe increduli non credunt: hoc nobis unum grande miraculum ſufficit; quòd in Chriſtum, terrarum Orbis ſine ullis miraculis credidit.* Hæc Auguſtinus.

Auguſt. l. 22. de Civit. c. 5.
Vi miraculorum id peregerunt.
Act. 5.

Certè quòd Chriſtiana Religio contra tot, tantaque impedimenta, ſine humanis præſidiis prævaluerit; quodque mundus univerſus fidem ita creditu difficilem, & ab inclinatione ſenſuum abhorrentem ſit

Digitized by Google

amplexus; quocunque modo id factum ſit, hoc evidenter vim divinam auxiliatricem oſtendit. Si enim mundus ChriſtoCrucifixo credidit miraculorum intuitu, (ut reipsâ factum eſſe, compertum eſt;) cùm ſolus Deus ſit Auctor miraculorum, conſtat divinâ virtute doctrinam Chriſtianam, ut veram comprobante, mundum eſſe converſum. Si ſine miraculis. (quod non niſi à cæcis, & ſtultè pertinacibus dici poteſt) hoc ipſum profectò, manifeſtè Divinum opus eſt; magnumque miraculum, mundum ita in fide & moribus, ſine miraculis mutatum eſſe. Et ut ait Auguſtinus; *dum paucis, obſcuris, contemptibilibus teſtibus credidit mundus, multò mirabiliùs Divinitas perſuaſit.*

Si mundi converſio ſine miraculis facta eſt, ipſa eſt maximum miraculum.

Lib. 22. de Civit. c. 5.

Nam ut rectè obſervat Medina, de hac re diſſerens; majus eſt, hominum arbitrium & intellectum, ſine ſufficienti ratiocinio pellicere ad tam ardua & incredibilia; quàm claudum aut aridum, vigori priſtino reſtituere ſolo imperio, aut febrim ſine medicinâ curare. In utroque lex & ordo naturæ pervertitur; fitque aliquid ſupra, & contra modum conſuetum, quod natura ſolis ſuis viribus præſtare nequit. Additque ſapienter idem Author; *Cùm nihil temporaneum, nihil caducum, nihil ad fluxam & terrenam felicitatem conducens, majores noſtros ad Chriſtianam vivendi rationem pellexerit: debuit aliquid eſſe divinum, quod in primis illis Religionis propagatoribus adverterunt. Neque enim erant tam ſtulti & amentes, ut abſque ratione, ſe, ſuamque famam, honores, vitam, fortunas ſuaque omnia temerariè peſſumdarent. Grande, inquam, aliquid fuiſſe oportet, quo impulſi illi homines, (qui alioqui, ſicut cæteri mortales, humanis affectibus tangebantur) legi ac Religioni, quæ carni ac ſanguini bellum indiceret, præſentibuſque omnibus ſpoliaret; contra eam, quam à ſuis progenitoribus receperant, vivendi*

Michaël Medina l. 2. de rectâ in Deum fide cap. 7.

Ibidem c. 4.

Digitized by Google

rationem; contra Principum imperia, contra cognatorum ſuaſiones; contra uxorum, filiorum ac parentum lacrymas, nomina dederint; & in ejus verba, non vi & armis coacti, ſed ſpontanei; imo contra vim & arma juraverint: neque ullis ſuppliciis ab eâ ſuſcipiendâ deterreri, aut à ſuſceptâ abduci potuerint.

Quare meritò poſſumus cum Auguſtino concludere; *Quamvis neceſſaria fuerint miracula, priuſquàm crederet mundus: quiſquis adhuc prodigia inquirit, ut credat; magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit.*

Sectio Tertia.

Secta Mahometana modo longè diverſo, nullatenùs divino, fuit propagata.

Contra miraculoſam Religionis Chriſtianæ propagationem, quidam ſemi-Chriſtiani, qui non verentur impietate intolerabili, Chriſtum Salvatorem cum Mahomete, manifeſtò impoſtore conferre; Objiciunt, ſectam Mahumetanam ex parvis principiis exortam, magnam, ut cernimus, Orbis partem pervaſiſſe; ita ut ſi non extenſione, ſaltem numero Mahumetanorum, Religionis Chriſtianæ amplitudinem æquare, aut etiam ſuperare videatur. Igitur, inquiunt, Religionis Chriſtianæ per univerſum Orbem propagatio non eſt efficax argumentum, ad probandam illius veritatem, & Divinitatem Chriſti.

Ut plenê & ſolidè huic objectioni ſatisfiat, in quâ magnum robur impietas conſtituit; operæ pretium erit, rem iſtam pauló altiùs repetere, ac breviter commemorare, quis & qualis fuerit Mahometes; quomodò ſectam ſuam condiderit, & denique quâ ratione propagata fuerit, atque hactenùs conſervata.

Digitized by Google

Mahometes igitur, quem monſtrum Orbis, ex vitiis omnibus conflatum, & peſtem Orientis communiter appellant Hiſtorici; Joannes autem Damaſcenus, ſceleſtiſſimum Antichriſti præcurſorem nominat; ex Baronio, & Annalibus Theophraſti, ac Cedreni, in Arabiâ felice ab Iſmaële genus duxit, ſtirpe 23. Abdalâ patre Iſmaëlitâ Pagano, Henninâ matre Judæâ, utriſque infimæ conditionis, genitus. Ubi adolevit, ex inopiâ ſuam operam mercede locavit, inhæſitque ſervitio, cuidam viduæ potenti, Cadichæ, ſive Tadigæ dictæ, cujus paſcendos ſuſcepit camelos; & homo vafer ingenio, inſinuans ſe in gratiam dominæ ſuæ, effecit tandem, ut eam duceret in uxorem. Profectus autem in Palæſtinam, literarum planè ignarus, ibi verſatus cum Judæis & Chriſtianis, ab iiſdem conatus eſt quidpiam addiſcere. Cúmque mentem vanam honoris prurigo exagitaret; ex occaſione benè acceptâ, nomen Prophetæ ſibi adſcivit. Cùm enim à dæmone vexaretur, & comitiali, ſive epileptico morbo laboraret: uxorem ſuam indignè id ferentem, eâ arte demulſit, ut ſe diceret, ad conſpectum Angeli Gabrielis ſibi apparentis concidere.

Quis fuerit Mahometes.

Damaſc. de hæreſ. in fine.

Baron. ad an. Chriſti 630.

Quod ubi eidem mulieri quidam pſeudomonachus Arianus confirmaſſet, ob falſam fidem ibi relegatus; eaque paulatim opinio animis omnium inhæſiſſet; ipſe quædam etiam in ſe effingens, nempè colloquium Spiritus-Sancti per columbam, quam aſſuefecerat in aurem advolare: ſua deliria, tanquàm divinitùs accepta, populo facilè credulo perſuaſit; librumque ridiculè, & ſine ordine confarcinatum conſcripſit, quem Alcoranum vocant, vanis figmentis plenum, ac quibuſdam aſperſum præceptis, cum promiſſione vitæ felicis, omnibus corporis voluptatibus affluentis. Hunc è cœlo ad ſe delatum per Angelum Gabrielem mentiens, ſuis ſectatoribus obſervandum

Illius ſecta primordia.

Digitized by Google

Multiplici artificio uſus eſt Mahometes ut ſectã ſuam diffunderet.

tradidit. Indeque factum eſt, ut error vanè conceptus, non miraculorum virtute, ſed armorum vi magis magiſque apud poſteros invaleſceret; Heraclio Imperatore primis progreſſibus non reſiſtente.

1. Nihil creditu difficile propoſuit.

Ad ſectam autem faciliùs diffundendam, verſutus ille impoſtor multo artificio uſus eſt. Nam 1. nihil hominibus propoſuit credendum, quod ſit ſupra ſenſum, aut certè ſupra captum humanæ rationis; ut ſcilicet dediti ſenſibus homines, vel ſolâ rationis regulâ metientes quæ credenda ſunt, ab eâ recipiendâ per difficultatem intelligendi non retardentur. Hoc enim duntaxat credi voluit, eſſe unum Deum; id quod ratione naturali demonſtrari poteſt, & ſapientes Philoſophi olim ſolo lumine rationis agnoverunt.

2. Legẽ carnalem inſtituit.

2. Suam legem inſtituit, omninò carnalem, & appetitui naturali gratam ac jucundam, ſuis ſectatoribus permittendo omnes illecebras voluptatum venerearum; polygamiam, ſeu fœminarum pluralitatem, quantam vellent & poſſent alere; & in futurâ vitâ promittendo paradiſum iiſdem voluptatibus refertum. In quo ipſis omnia ad cibum, & potum, lautè abundéque ſuppeterent; & ad delectationes carnis præſto eſſet mulierum pulcherrimarum multitudo; quibus ij potiſſimùm eſſent potituri, qui vel hoſtes occiderent, vel ab hoſtibus occiderentur; ut nimirùm hac ſpe propoſitâ, ſuos in bello fortes efficeret. Quæ libidinis illecebra, apud Orientales molles, & voluptatum ſenſualium amantiſſimos, fuit potentiſſima.

3. Ex omnibus fere ſectis illã compoſuit, ut omnes faciliùs alliceret

3. Ad populos diverſarum nationum alliciendos, ex omnibus ferè ſectis illam compoſuit, aliquid ex ſingulis ſumendo; putà ex Judæis Circumciſionem, Dei unius cultum, & abſtinentiam à carne ſuillâ. Ex Chriſtianis, multos articulos; quos ſuo Alcorano inſeruit, ut de die judicij, de mortuorum reſurrectione, &c. Necnon quendam cultum Chriſti: ita tamen ut

Digitized by Google

eum, ſicut Ariani, ſive Neſtoriani, coleret. Ex Manichæis, Chriſtum nequaquam Cruci affixum fuiſſe, ſed umbram ejus: Crucem alioqui habens execrationi. Ex ſe autem finxit Paradiſum brutis quàm hominibus convenientiorem; in quo ſcilicet reperiantur omnes ſenſuum delectationes.

4. Suis interdixit omnem ſcientiarum culturam, ut omnes bello incumberent; vetuitque ne dogmata in Alcorano contenta, ejuſque doctrinam quiſquam examinaret; ſtatuens ut omnes illam cæco modo amplecterentur, nullâ conſideratâ aut habitâ ratione motivorum credibilitatis.

4. Suis interdixit, ſciētiarum culturã, & ſuæ doctrinæ examen.

5. Iiſdem ſignificavit, ſibi à Deo fuiſſe imperatum; ut ſuam Religionem, non operâ prædicationis, nec ſignorum atteſtatione confirmatam, ſed armorum vi propagaret. Quo unico modo pluribus gentibus & provinciis, non valentibus reſiſtere, intruſa eſt. His denique addidit fabulas ad plebem fallendam appoſitas, deliria, figmenta inepta; quibus Alcoranus conſperſus eſt. Fatum inſuper aſſeruit, quo videlicet homines ſinguli eſſent ſive ad bonum, ſive ad malum inevitabiliter deſtinati. Cultum prætereà Aſtri, quod Cubar dicunt, nempè Luciferi, ſive Lunæ, cæteris adjeciſſe tradunt, ne ſecta ſuperſtitione gentilitiâ careret.

5. Significat, ſibi imperatum eſſe, ſuã ſectam vi armorum propagare.

Fabulæ ridiculæ & figmenta Alcorani.

Ejuſmodi igitur artibus & commentis, circulator nefarius, vir alioquin audax & bellicoſus, poſt multas hinc inde deprædationes, regnum Arabum in ejus legem ultrò convenientium, ſibi vindicavit: Hoc habens in mente ſibi propoſitum, ut Judaiſmum, & Chriſtianiſmum penitùs aboleret; Divinitatem Chriſto eriperet, multaque Arianorum dogmata, cum ſuâ ſectâ firmaret.

Regnum Arabũ uſurpat.

Poſt obitum illius apud Mecham in Arabiâ, Arabes eandem legem Turcis, & Perſis poſtmodùm ſub-

progreſſus Mahumetanorum per vim armorũ, & regnorum latrocinia. actis communicarunt. Inde verò ſucceſſu temporis, armis invaleſcentes, & Chriſtianorum Principum diſſidiis proficientes, multas Provincias in Africâ, Europâ, & Aſiâ, regnaque invasêre; Deo id permittente ad Chriſtianos Græcos & Orientales, Turcarum & Mahumetanorum flagello puniendos; ob multiplices circa fidem errores; necnon propter ſuperbam eorum contumaciam adverſus Romanos Pontifices, Eccleſiamque Romanam; ac fortaſſe etiam propter multiplicem perfidiam, variaſque proditiones, quibus uſi ſunt ad Chriſtianos exercitus Occidentales perdendos in recuperatione Terræ ſanctæ, aliaque crimina. Factumque eſt ex occultâ & inſcrutabili Divinæ Providentiæ diſpoſitione, ob rationes divinas humano ingenio impenetrabiles; (*Judicia enim* Pſal. 35 v. 7. *Dei, abyſſus multa. Et ſicut exaltantur cœli à terrâ,* Iſa. 55. 9. *ſic exaltata ſunt cogitationes Dei à cogitationibus hominum*), ut flagellum iſtud Chriſtianitatis, præludens & viam ſternens Antichriſto, à pluſquàm mille annis, ad hæc uſque tempora, creſcendo ſemper, perſeveret.

Conſtat quam violento & diſpari modo ſecta Mahumetana propagata ſit, à modo Religionis Chriſtianæ. Ex his facilis eſt ad objectionem propoſitam reſponſio. Conſtat enim ſectam Mahumetanam, longè diversâ ratione fuiſſe propagatam, quàm Religionem Chriſtianam; hancque ab illâ toto cœlo differre; nec minùs quàm lucem à tenebris; quàm apertam & ſolidè fundatam veritatem, à manifeſtâ deceptione; & quàm cæleſtem legem à purè humanâ & diabolicâ. Id quod nullo negotio quiſque poteſt dignoſcere, attendendo ad hæc tria; nimirùm ad earum Authores planè diſſimiles; ad doctrinam omninò diverſam; & ad modum propagationis longè diſcrepantem.

Quanta diſpari- Etenim Divinitas Chriſti elucet clarè ex Prophetiis antiquis, ipſum ut Meſſiam promiſſum, & Filium Dei ſenſibiliter deſignantibus; ex prodigiis in ejus nativitate,

nativitate, vitâ & morte divinitùs factis; ex ejus admirabili ſanctitate; ex ejus miraculis innumeris & ſtupendis; ex ejus certâ & indubitatâ Reſurrectione, aliiſque ſuprà explicatis. Quin & ipſe Mahometes, ac Mahometani, (ut teſtatur S. Joannes Damaſcenus libro de hæreſibus in fine, vir ſanctus, & teſtis oculatus, quippè qui fuit aliquamdiù inter illos captivus, & centum circiter annis poſt errorem Mahometis floruit,) fatentur Chriſtum, fuiſſe magnum Dei Prophetam, & Sanctum. Atqui ſi Chriſtus fuit verus Propheta, & Sanctus; certè Mahometes fuit inſignis impoſtor; & ejus ſecta eſt mera falſitas. Siquidem Chriſtus ſæpiùs ſe Deum eſſe aſſeruit, plurimis ad hoc atteſtandum miraculis editis, ut ſuprà in argumento 4. demonſtratum eſt: Quod tamen Mahometes, ſexcentis pòſt annis temerè cum Arianis negavit, fingendo Chriſtum in cœlum reducem, ſe apud Patrem excuſaſſe, dicendo, ſe duntaxat ejus ſervum, fuiſſe profeſſum.

tos, & diſſimilitudo inter Chriſtũ & Mahometem.

Qualis autem fuerit Mahometes, omnes norunt: nimirùm homo ſupra modum ambitioſus, ſubdolus, impurus, mollis, crudelis, prædo, tyrannus, ex omnibus vitiis concretus. His enim coloribus eum omnes Hiſtorici depingunt. Quare comparatio Chriſti Salvatoris cum ſceleratiſſimo Mahomete, eſt prorsùs impia, & Chriſto Filio Dei enormiter injurioſa.

Quod verò ſpectat ad ejus doctrinam, quàm ſit abſona, & à ſanis moribus aliena, ex prædictis jam ſatis patet. Et verò contradictiones Alcorani, (ab ipſo quippè imperito conſcripti) dogmata pleraque rationi contraria, gratìs conficta; ineptiæ & figmenta ſtolida, quibus illum infercit, fœdæ libidines in hâc vitâ permiſſæ, & in cœlo promiſſæ, luculenter oſtendunt ſtolidam falſitatem & turpitudinem ſectæ,

Quàm diſſimilis utriuſque doctrina.

Digitized by Google

quæ in brutorum voluptatibus, æternæ vitæ felicitatem conſtituit. Id quod patet ex ipſius Alcorani lectione, & tacitâ Mahumetanorum confeſſione, qui ſcriptoribus noſtris id illis paſſim exprobrantibus, nihil reſpondent. Quin & docti inter ipſos, vel totam Religionem repudiant, vel ſaltem damnant illam fœdi erroris circa felicitatem, quam collocat in voluptatibus corporis. Ut de Averroë & Avicennâ refert Michaël Medina libro 1. de rectâ in Deum fide c. 4. f. 6.

E-contrà verò doctrina Chriſtiana, pura eſt, & ita vera, ut nullius poſſit argui falſitatis. Tametſi enim multa doceat ſupra naturale rationis lumen, ex divinâ revelatione cum omnibus argumentis credibilitatis propoſitâ, (id quod plurimùm facit ad excellentiam & commendationem legis Divinæ;) nihil tamen tradit quod ſit contra rationem, & quod mendaciij convinci poſſit. Veritas autem & ſanitas doctrinæ, magnum eſt argumentum, quòd Deum habeat authorem. Siquidem nihil pronius eſt, quàm ut homines in ſuis opinionibus & dogmatibus, aut fallant aut fallantur.

Accedit quòd nulla eſt ſecta, quæ tam altè, tam ſublimiter, dignéque de Deo ſentiat, quàm Religio Chriſtiana; quæ ab eo removet, quicquid infirmitatis & imperfectionis reperitur in creaturis; ipſique omnes perfectiones poſſibiles imperfectioni non admixtas, adeoque infinitas, ac perfectiſſimo modo attribuit: agnoſcendo illum eſſe ſine ullâ compoſitione perfectiſſimum, exiſtentem à ſe, ab æterno, independentem, immutabilem, omniſcium, omnipotentem, juſtum, ſanctum, &c. ſupra omnem cogitationem.

Quodque etiam Religionis Chriſtianæ doctrinam vehementer commendat, eſt mira & ſingluaris, quam profitetur, morum ſanctimonia; quatenus nihil eſt honeſtum, nihil perfectum in rectâ vivendi ra-

Digitized by Google

tione; quod non præcipiat, aut conſulat: nihil turpe quamvis leviter, quod non reprehendat ac damnet. Unde fit, ut quicunque ex ejus præſcripto vitam inſtituunt, meritò ſancti habeantur. Non eſt autem dubium quin Religio illa ſit divina, ſeu divinitùs tradita, quæ ſancta; cùm ſolus Deus ſit Autor ſanctitatis.

Poſtremò, ut abſolvam quod cœpi dicere de Mahumetiſmi propagatione; notum eſt illum, non quemadmodùm Chriſtiana Religio, ſuavi prædicatione, non miraculorum & ſignorum atteſtatione, non voluntariâ proprij ſanguinis effuſione: ſed duntaxat fraudibus & impoſturis, vi & armis introductum eſſe & propagatum. Quare S. Damaſcenus loco ſuprà citato teſtatur, ſe olim ſolitum fuiſſe Turcas pudore ſuffundere, ipſiſque os occludere dum illis exprobraret, quòd Mahometi credidiſſent fingenti ſe, dormiendo, legem à Deo accepiſſe: Cujus rei nullum teſtem, nullum indicium proferebat; cùm tamen nihil magis temerarium ſit & imprudens, quàm antiquam Religionem, tot argumentis Divinis comprobatam, mutare in aliam, nullis cæleſtibus ſignis munitam, ad ſimplicem circulatoris alicujus aſſertionem, qui ſe à Deo miſſum profitetur. Enimverò Moyſes, quem Mahumetani velut Prophetam, & antiquæ legis doctorem venerantur, legem promulgandam accepit à Deo, coram univerſo populo, in nube, inter procellas & tonitrua, aliaque ſigna Dei loquentis. Idemque Moyſes ac cæteri Prophetæ adventum Chriſti, & res in illo implendas, longè antè prædixerunt, ut inde poſſet agnoſci. At illi credunt Mahometi, homini nefario, qualem antè deſcripſimus, ſolùm affirmanti, ſe inter dormiendum legem à Deo accepiſſe; cùm neque ullus eum cum Deo loquentem & legem accipientem

Quàm diverſus modus propagationis.

Secta Mahumetana nullis ni-

titur motivo credibilitatis. viderit; neque ulli Prophetæ ejus mentionem uſquàm fecerint; nec denique ullum aliud ſignum divinum oſtenderit authoritatis à Deo acceptæ, ad novam legem condendam. Ubi enim quæſo ſunt miracula; Ubi prodigia? Ubi poteſtas mortuos ſuſcitandi, claudos & cæcos ſanandi, tempeſtates ad nutum ſedandi, dæmones de corporibus expellendi, aliave id genus argumenta credibilitatis? Quis igitur ſapiens non evidenter judicet, iſti tam inſigni & manifeſto impoſtori, Epicuri & Arij diſcipulo, voluptatis & luxuriæ mancipio, ad omnem nequitiam projecto, quicqud libuit, ſine ulla ſignorum probatione aſſerenti, fidem prudenter adhiberi non poſſe?

Amplitudo dominationis Turcicæ non debet Chriſtianorum fidem turbare. Neque eſt quòd quiſquam turbetur, ex potenti & amplâ Turcarum dominatione, rerumque temporalium felici ſucceſſu. Nam Judæorum tempore, quorum Religionem approbant Mahumetani, longè latéque dominabantur, primò Aſſyrij, tum Perſæ & Macedones, poſtcáque Romani, à quibus fuit gens illa, multis magniſque calamitatibus attrita. Et Gentilis ſuperſtitio, quam ipſi quoque damnant, latiùs tunc dominabatur quàm nunc Mahumetana. Non eſt autem mirum, ut jam ſignificavi, quòd ſecta ſenſui, & carnis voluptatibus addicta, permittens omnia libidini, multos habeat ſectatores. Ac ſicut illa cœpit armis & fraudibus introduci, iiſdem quoque artibus diffuſa eſt, & crevit; faventibus plurimùm ejus amplificationi, Chriſtianorum Principum diſſenſionibus; & Deo in pœnam peccatorum noſtrorum id juſtè permittente: quâ de re fusè diſſerit Michaël Medina, locis ſuprà citatis.

Cæterùm etiam in ditione Turcicâ plurimi ſunt, qui in medio Nationis pravæ, fidem Chriſti profitentur. Et ſicut mundus, quandò in quibuſdam ſui

Digitized by Google

partibus corrumpitur, ſimul in aliis reparatur; quodque uno in loco perdit, alibi acquirit, ſuis ſe jacturis quodammodò reſarciens: ſic Eccleſia, (quam uſque ad mundi finem perpetuò duraturam Chriſtus prædixit,) novarum apud Indos Orientales & Sinas, atque in Americâ apud barbaros, gentium acceſſione plus acquiſivit, quàm per Turcarum vaſtationem amiſerit. Ut tradit Boſius libro 6. de notis Eccleſiæ, cap. 7.

Digitized by Google

DE VERITATE

DIVINITATIS CHRISTI.

CAPUT OCTAVUM.

Octavum argumentum illius demonſtrativum.

JUDÆORUM EXTREMA DESOLATIO.

SECTIO PRIMA.

Everſio Hieroſolymæ & templi.

SAnguine Chriſti, adhuc poſt mortem, pro ſuis Crucifixoribus veniam exorante; Divina miſericordia per 38. annos vindictam in Judæos ſuſtinuit, ac diſtulit, ut illis ſpatium pœnitendi concederet; & ſi nollent reſipiſcere, fierent hoc pacto inexcuſabiles. Sed cùm voluntariâ cæcitate, in clariſſimâ luce caligantes, perſtarent obſtinatis animis negare Meſſiam veniſſe, & Chriſtum à ſe occiſum, eſſe Filium Dei: tandem locum dedit Iuſtitiæ, quæ cùm illos quibuſdam non parvis calamitatibus, jam mitiùs ad correctionem caſtigaſſet: cœpit in obduratos Deïcidas horrendum in modum detonare; & exequi quod illis Chriſtus, paulò ante Paſſionem, de exciſione Hieroſolymæ cum la-

Deus diù diſtulit Iudæorum ultionem.

Digitized by Google

crymis, & commiſeratione prædixerat; Ut habetur apud Lucam; *Et ut appropinquavit (Hieroſolymam;) videns civitatem, flevit ſuper illam, dicens; quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis: quia venient dies in te, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique; & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt. Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem; eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.*

Luc. 19. v. 4. *Chriſtus prædicit Hieroſolymæ deſtructionem.* Matth. 24. v. 2. Marc. 13. v. 2.

Comparet nunc unuſquiſque, ait Euſebius Cæſarienſis, Domini Salvatoris noſtri ſermones, cum Joſephi Hiſtoriographi relatione, de bello quod geſtum eſt, atque excidio civitatis; & videns miram Divinæ præſcientiæ virtutem, agnoſcat prædicentis Divinitatem.

Quis autem Judaici populi, poſt Chriſtum occiſum, ſtrages, fames, obſidiones longiſſimas, urbium excidia, & reliquas ingentes calamitates, quas Egeſippus quinque voluminibus, & Joſephus, ejus etiam gentis & Religionis cultor, ſeptem comprehendit, pro rei magnitudine exprimere, aut deplorare dicendo valeat? Non eſt inſtituti noſtri ſigillatim enarrare omnes circunſtantias cladis Hieroſolymitanæ, & miſerias quas populus à Deo derelictus, paſſus eſt in pœnam rejectionis, & Crucifixionis Chriſti. Satis erit id referre breviter, quantum neceſſe eſt ad cognoſcendas generatim calamitates, & ſtatum miſerabilem, in quem poſt tantum crimen redactus eſt. Ex prædictis auctoribus & aliis, quos citat Baronius, rem ipſe in hunc modum deſcribit.

Baronius ad annum Christi 72.

Anno Chriſti 72. Veſpaſianus Imperator, Titum filium in Judæam diverſis factionibus agitatam, & in Romanos rebellantem, reverti jubet, ut quod belli reliquum erat, abſolveret. Hic igitur, cùm in-

Digitized by Google

Hieroſolyma ſtatus, quando fuit obſeſſa. Ioſeph. l. 6. de bello Iudaico

ſtantis Paſchatis occaſione, numerus ingens peregrinorum, ex more Hieroſolymam ad diem feſtum conveniſſet; (exiſtimantium fortè, Veſpaſianum & Titum bellis civilibus intentos, de Hieroſolymis in-præſentiarum minùs cogitare,) collectis undique Legionibus, aliiſque auxiliaribus copiis, die 14. menſis Aprilis, caſtra prope Hieroſolymam poſuit in monte Oliveti; unde Dominus olim reſpiciens civitatem, flevit ſuper illam; ut potè qui præ oculis haberet diriſſimam cladem, quâ his temporibus miſeri Judæi erant conterendi. Qui cùm hactenùs in tres factiones diviſi, Latronum, Idumæorum, Zelotarum, ac reliquorum ſeditioſorum civium, ducibus Joanne, Eleazaro & Simone miſerè inter ſe digladiati eſſent: advenientibus jam Romanis, ſemoto privato odio, paribus animis, magnâque audaciâ adverſùs eos progredientes, ſæpè Titum cum ſuis in diſcrimen adduxerunt. Sed rursùm diſſidiis intùs renaſcentibus, ipsâ die Azymorum, quotquot erant Zelotæ, omnes ad unum interfecti ſunt in templo, cujus partem communiverant; (fuiſſe namque tantæ amplitudinis templum, ut in eo duo exercitus, ſibi ipſis contrarij habitarent, abſque violatione ejus partis quæ dicebatur Sancta Sanctorum, ex Joſephi hiſtoria conſtat:) ſicque res ad duas tantùm factiones fuit redacta.

Ioſeph. l. 6. de bello, c. 8. &c. *Civitas obſidetur à Tito.*

At Titus intereà admotis ad civitatem machinis, quinto nonas Maij primum murum expugnavit; ac 5. pòſt die, ſecundo potitus eſt, & tertium aggreſſus. Cúmque jam ante obſidionem, ipſis Judæorum ſeditionibus, cellæ frumentariæ, quibus ad plures annos frumentum ſervabatur, eſſent incendio abſumptæ; ideóque complures quotidiè ex urbe foras egrederentur, aliique plurimi pugnando caperentur; eos omnes Titus ad cives terrendos, ante eorum oculos juſſit crucibus affigi, numero tam ingenti, ut Joſepho teſte,

jam ſpatium crucibus deeſſet, & corporibus cruces. In quibus haud dubiè multi fuerunt ex illis, vel ſaltem illorum filij, qui clamaverunt in Chriſtum; *Crucifige, Crucifige.*

Innumeri cives egreſſi, crucibus affiguntur.

Titus verò ut citiùs cives ad famis anguſtias adduceret, omnem circa exitum occluſit, quinque aggeribus contra urbem extructis; quibus per Judæos disjectis, murum tredecim caſtellis munitum mirâ celeritate conſtruxit, ut teſtatur qui aderat, Joſephus. Quibus jam videas impletum eſſe quod prædixerat Dominus de civitate Hieroſolymorum ab inimicis circundandâ vallo, & undique coanguſtandâ.

Civitas undique circumvallata Luc. 19.

Sed quòd increbuiſſet rumor, eos qui ex urbe ad Romanos confugerent, aurum quod habebant, ne ab hoſtibus eriperetur, voratum in viſceribus geſtare: eoſdem Syri & Arabes milites venati, unâ nocte ad duo millia occiderunt, viſcera morientium fœdè perſcrutantes, quod facinus immane mox Titus cohibuit. Cùm autem populum tanta fames invaſiſſet, ut jam calceamenta, cingulaque, & coria quibus ſcuta tegebantur, conſumpta eſſent; atque ex ſtabulis fimus & ſtercora quærerentur in cibum; veteriſque fœni laceramenta magno pretio vænirent; jamque nec ab humanis carnibus cadaverum abſtineretur: eò immanitatis redacta eſt nobilis ac prædives mulier, Maria nomine, à ſeditioſis ſpoliata vitæ ſubſtantiis, ut lactantem filium occiderit, ac comeſtura coxerit. Ut jam tunc viderentur adveniſſe dies, à Domino, cùm ad Crucis ſupplicium duceretur, prædicti, quibus, mulieribus eum plangentibus, & lamentantibus dixit; *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos ipſos flete, & ſuper filios veſtros; quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.*

Multorũ viſcera aperiuntur.

Ingens fames in Civitate.

Luc. 23. v. 28.

Denique, ut ait Joſephus, ejuſmodi mala ſuorum

Ioſeph. l. 7. de bello, c. 7.

deplorans, Deus ita populum damnaverat, & omnem ſalutis viam ad interitum verterat; ut ſi Romani contra noxios venire tardaſſent; aut terræ hiatu abſorbenda eſſet civitas, aut diluvio, aut inſtar Sodomæ, fulminum igne peritura.

Extrema urbis miſeria. Ioſeph. ibid. c. 11.

Cùm autem iis miſeriis, etſi viderentur extremæ, longè deteriores imminerent; & à Tito ad honeſtam deditionem invitati Judæi, obſtinato animo jactarent, ſe omnia mala potiùs experturos, quàm ut ſe Romanis dederent; (erant enim Hieroſolymis Prophetæ, à tyrannis ſeditioſis ſuperinducti, qui populo denuntiarent, ut expectarent auxilium Dei, mox affuturum:) Tunc Titus Deum & homines conteſtatus eſt, ſe ad Urbis & templi excidium invitum compelli. Inde captâ turri Antoniâ, quæ templo proxima erat; cùm jam pro ipſo templo capiendo pugnaretur: miles quidam Romanus, non expectato cujuſquam mandato; imò & contra edictum Titi, qui juſſerat ab excidio templi temperare, divino quodam motus impetu, ignem in templum injecit; cujus flamma mox invaleſcens, nullâ Titi diligentiâ, vel aliâ ope humanâ valuit extingui. Sicque poſt illius reædificationem ſub Cyro, (fuerat enim aliàs ſub Rege Babylonis item concrematum) annis ſexcentis, triginta novem, menſibus 7. diebus 45. fuit igne conſumptum. Sacerdotes omnes, qui in templi receſſibus latebant, cùm vix tandem ſe Tito dederent, ejuſdem juſſu fuerunt ad ſupplicium ducti.

Templi Hieroſolymitani cõflagratio. Ioſeph l. 6. de bello, ibid.

Civitatis incẽdium.

Incenſo verò templo, Titus inflammandæ etiam civitatis, militibus licentiam dedit; indéque ſuperiori parte, quæ, Sion dicta, cæteris munitior erat, divino potiùs inſtinctu, quàm humanis viribus, (ut ipſe teſtatus eſt) potitus, demùm octavâ die menſis Septembris, id eſt, poſt obſidionem quinque ferè menſium, urbem integram, cum munitionibus cepit, ipſo

Digitized by Google

die ſabbati, (ut auctor eſt Dio in Nerone;) prodita-que ſunt à ſacerdotibus templi vaſa ſacra, & Pontificia ornamenta.

Porrò mortuorum Judæorum, & captivorum eo bello & clade numerus videretur incredibilis, niſi Joſephus ſpectator, nec minima ejus belli pars, memoriæ prodidiſſet. Scribit ille, captivorum omnium, qui fuerunt toto bello comprehenſi, numerum notatum fuiſſe nonaginta & ſeptem millium; Mortuorum verò, tum ferro, tum peſte, per omne tempus obſidionis, undecies centena millia. Idemque Auctor ex hoſtiis tempore Paſchatis, (ad quod feſtum multitudinem infinitam conveniſſe, dictum eſt) cædi ſolitis, & numero per contubernia epulantium, eorum qui tunc Hieroſolymis erant, numerum computans; ſubdit, eos qui puri eſſent, (quibus nempè ſolùm licebat veſci Azymis) excreviſſe ad vicies centena millia. Unde colligitur ingens eorum multitudo, qui vel ex neceſſitate naturæ, vel aliâ de causâ minùs puri eſſent. Ut non immeritò addat, tunc totam gentem, velut in carcere, concluſam fuiſſe; & cùm obſeſſa eſt civitas, fartam hominibus extitiſſe.

Mortuorum & captivorum numerus immenſus. Ioſeph. l. 6. de bel. c. 16. 17.

Eorum verò qui morti erepti ſunt, quidam ad opera miſſi in Ægyptum; alij qui formoſiori erant corpore, ad triumphum reſervati; plurimi robuſti viribus, electi qui per provincias in theatris pugnarent cum beſtiis; qui verò infra decimum ſeptimum annum agerent, ſimul cum fœminis, viliſſimo pretio venditi. Ac poſtquàm quos occideret, quid-ve raperet, non ampliùs habuit exercitus Romanus, juſſit Titus, totam funditùs civitatem dirui ac templum, juxta prædictionem Chriſti, relictâ tantummodò parte muri; ad præſidij illic relinquendi munitionem; ac tribus turribus, quæ præter alias eminebant, ut poſteris indicaret, qualem, quámque munitam civitatem, Ro-

Superſtitum diſtributio.

Luc. 19. c. 21.

manorum virtus deviciſſet. Reliqua ita complanata ſunt, ut qui eò advenirent, locum aliquandò fuiſſe habitatum, vix crederent. Cujus civitatis annos ſic numerat Joſephus, ut à Davide Rege, uſque ad Titum ſint anni mille, centum & ſeptuaginta novem: ex quo autem primùm condita eſt, uſque ad excidium, duo millia, centum ſeptuaginta ſeptem.

Ioſeph. ibidem cap. 18.

Titus fatetur ſe tantùm iracundiæ divinæ inſtrumentum fuiſſe.

Cæterùm Titus his rebus magnificè geſtis, oblatam ſibi à finitimis gentibus coronam recuſavit; eo ſe honore indignum reſpondens; & ſe talium operum Auctorem non fuiſſe; ſed duntaxat, Deo ſuam in Judæos iracundiam demonſtranti, manus præbuiſſe.

Euſebius l. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 6.

Iudæi alterâ clade ſub Adriano penitùs exterminati fuere.

Ex illo tempore Judæi nunquàm poſthàc ſervire desierunt. Sed hanc funeſtiſſimam calamitatem, teſte Euſebio, altera quinquaginta pòſt annis, ſub principatu Adriani Imperatoris, conſecuta eſt; eo tantùm minor, quòd ex priori calamitate, minùs in ea gente ſuperfuerat, in quod ſæviri poſſet. Tunc enim innumerabilium Judæorum facta eſt cædes; atque univerſæ illi genti, ex eo tempore prorsùs interdictum fuit, ne pedem in agrum Hieroſolymitanum aliquandò inferrent. Quin etiam legis decreto vetitum eſt, Adriano ita mandante, ne quiſquam Judæorum eò accederet, unde vel poſſet urbem Jeruſalem à longè proſpicere. Cúmque Jeruſalem poſteà aliquatenùs reædificata, fuiſſet tunc gente Judæorum orbata, & ab exteris hominibus frequentata, ad honorem Ælij Adriani victoris, veteri nomine mutato, deinceps Ælia fuit appellata.

SECTIO SECUNDA.

Judæi ſolo ejecti, apud omnes gentes in ſervitutem diſperguntur.

SIc igitur miſeri Judæi exuti templo, ſacrificiis & civitate, per diverſas Orbis partes, (ut olim Caïn, quòd fratrem ſuum interfeciſſet, vagus factus eſt, & profugus ſuper terram;) ubique & ſemper errantes, ſedibus incertis, in omni loco extorres; ita ut nullius ſe patriæ, aut regionis nuncupare poſſint: cunctis nationibus exoſi & contemptibiles redditi ſunt. Unde Auguſtinus conſiderans, quàm diſpar fuerit ſors iſtorum, à cæteris populis per Romanos devictis, ait; *Omnes alij, Romani facti ſunt, & omnes Romani dicuntur: Judæi verò manent ſub ſigno, nec ſic dicti ſunt, ut à victoribus abſorberentur.* Etenim non tantùm ex nomine, quod (planè tetrum) Imperator appellat; ſed & aliis pluribus ignominiæ ſignis, quibuſque ſæculis Judæos fuiſſe notatos, facile eſt apud Hiſtoricos legere; quippè qui à militiâ, magiſtratibus, aliiſque publicis Officiis, nec-non iis, quæ pluribus nationibus licet barbaris concedebantur, privilegiis reperiuntur fuiſſe diſcreti. Et quod omnium graviſſimum eſſe videtur, illis inuſta eſt infamiæ perpetuæ nota graveolentiæ & fœtoris intolerabilis, ipſorum corporibus adhærentis; quo non-niſi per baptiſmum ritè ſuſceptum, ſe liberare nequeunt. Ex quo & nomen, (fœtentium) ſunt aſſecuti, quomodò eos Amonianus Marcellinus appellat libro 22. Propter quam cauſam olim ſub Tiberio cùm Romam tranſmigraſſent, ibi ſedem poſituri, illud jam tùm in adagio erat, (*fœtens ut Judæus.*)

Genеſ. 4.

Judæi ſolo & patria ejecti, ubique gentium vagi & extorres

Auguſt. in Pſa 58.

L. 19. C. Th. de Jud. Apud Baron. ad an. Chriſti. 72. n. 8.

Graveolentia illis indita.

V. Suprà cap. 4. ſect. de miraculis permanentibus.

Illud inſuper inter alias, quas patiuntur, calamitates, peculiare eſt; quòd quamvis multas ſubindè pe-

Digitized by Google

Nullo fundo uſquàm potiuntur.

cunias, & mobilia bona corradant, uſurarum exercitio, ſine quibus non viverent; nuſquàm tamen fundum, aut ullum immobile bonum poſſident. Ubicunque tolerantur, cœlo & terrâ, atque elementis quodammodò interdicti ſunt. Aliundè autem vectigalibus & tributis ita onerantur, ut ſæpè cogantur magnam pecuniarum partem ex uſurarum latrociniis collectarum refundere; ſic miſeri quibus fruuntur, non niſi precariò & ad nutum Principum aut Magiſtratuum poſſident; hodie divites, cras ad inopiam redacti.

Vectigalibus oppreſſi.

In Pſal. 58. côc. 2.

Divinâ providentiâ factum eſt ut in omnes Orbis partes diſpergerentur

Rectè autem obſervat Auguſtinus, omnia iſta, & eorum per totum Orbem diſperſionem, ſingulari providentiâ, propter multiplicem Chriſtianorum utilitatem, à Deo eſſe permiſſa. Sic enim ſcribit in hæc verba pſalmi 58. (Ne occideris eos, nequandò obliviſcantur legis tuæ.) *Iſtos inimicos meos qui me occiderunt,* (*Chriſtus eſt qui inducitur loquens*) *noli tu occidere; maneat gens Iudæorum. Certè victa eſt à Romanis, certè deleta civitas eorum; non admittuntur ad civitatem ſuam Judæi, & tamen Iudæi ſunt; nam omnes iſtæ Provinciæ à Romanis ſubiugatæ ſunt, &c. Non ſine causâ populus iſte Caïno comparatur, qui cùm fratrem occidiſſet, poſuit in eo Deus ſignum, ne quis eum occideret. Hoc ſignum eſt quod habent Iudæi; tenent omninò reliquias legis ſuæ, circumciduntur, ſabbata obſervant, Paſcha immolant, Azyma comedunt: ſunt ergò Iudæi. Non ſunt occiſi, neceſſarij ſunt gentibus credentibus. Quare hoc? ut demonſtret nobis in inimicis noſtris miſericordiam ſuam. Ecce ubi jacent, qui ſuperbi erant; ecce ubi inſertus es (ô Chriſtiane) tanquàm oleaſter in ramis præciſis, qui tunc jacebas; & tu noli ſuperbire, ne præcidi merearis.*

De iiſdem ſic loquitur in Pſal. 56. ad hæc verba, (Dedit in opprobrium conculcantes me,) *Iudæi qui*

Digitized by Google

in Chriſtum ſævierunt, poſt Paſſionem Domini eradicati ſunt, & perdiderunt regnum, in quo Regem Chriſtum agnoſcere noluerunt. Quemadmodum dati ſunt in opprobrium, videte. Diſperſi ſunt per omnes gentes, nuſquàm habentes ſtabilitatem, nuſquàm certam ſedem. Propterea autem adhuc Iudai ſunt, ut libros noſtros portent ad confuſionem ſuam. Quandò enim volumus oſtendere Prophetatum Chriſtum, proferimus Paganis iſtas literas ſacras. Et ne fortè dicant duri ad fidem, quia nos illas Chriſtiani compoſuimus; ut cum Evangelio quod prædicamus, finxerimus Prophetas, per quos prædictum videretur quod prædicamus. Hinc eos convincimus, quia omnes ipſa litera, quibus Chriſtus Prophetatus eſt, apud Iudaeos ſunt; omnes ipſas literas habent Iudæi; proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. In quali ergò opprobrio ſunt Iudai? Codicem portat Iudaus unde credat Chriſtianus. Librarij noſtri facti ſunt, quomodò ſolent ſervi poſt dominos, codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant. Quale opprobrium eſt, fratres, ut hunc verſum, quem diximus, legant, & ipſi caci attendant ad ſpeculum ſuum? Sic enim apparent Iudai de ſcripturâ ſanctâ, quam portant; quomodò apparet facies caci de ſpeculo; ab aliis videtur, à ſeipſo non videtur. (Dedit in opprobrium conculcantes me.)

Hæc porrò calamitas duriſſimæ ſervitutis, & deſolationis Iudæorum, quam, poſt ſubverſionem urbis, templi & Reipublicæ ſuæ, à Romanis paſſi ſunt; eſt illa, quam non tantùm Dominus, ſed etiam Daniel Propheta longè antè prædixerat propter mortem Chriſti Judæis eventuram, his verbis; *Et poſt hebdomades ſexaginta duas, occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt; & civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo; & finis ejus vaſtitas; & poſt finem belli, ſtatuta deſolatio.*

Daniel. 9. v. 26. *Hanc duriſſimæ ſervitutis calamitatem Daniel*

vaticinatus eſt.

Ubi tria prænuntiantur gravia mala, quæ Judæis deberent accidere, ob immane ſcelus necati ab ipſis Meſſiæ. Primum indicatur verbis illis; *& non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt*. Significatur autem, propter indigniſſimam Chriſti necem, populum Hebræum, anteà in modum filij primogeniti, Deo chariſſimum, ita prorſus abjiciendum, & repudiandum à Deo, ut non ampliùs populus Dei futurus ſit. Illud verò, *qui eum negaturus eſt*, quaſi digito indicat Iudæos, qui de Salvatore noſtro dixerunt, *Nolumus hunc regnare ſuper nos. Regem veſtrum Crucifigam?* inquiebat *Pilatus*; *reſponderunt, Non habemus Regem niſi Cæſarem: tolle, tolle, crucifige eum*. Et rursùs: *ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

Luc. 19. Ioan. 9 Matth. 26.

Alterum màlum ſignificatur verbis illis; *civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo:* hoc eſt, exercitus Romanus, Duce Tito, civitatem & ſanctuarium, ac templum quod in ea erat, deſtruet funditusque ſubvertet.

Tertium malum & omnium graviſſimum erit; quòd prædictæ calamitates, non, ut quas antè paſſi fuerunt, erunt temporales, ſed perpetuæ, & uſque ad finem mundi duraturæ. Hoc ſignificatur partim iis verbis; *Et finis ejus vaſtitas; & poſt finem belli, ſtatuta deſolatio.* Partim iſtis extremis, quæ claudunt hoc nonum caput, *& uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio.* Nam illud *in finem*, vel *uſque ad finem*, phraſis eſt Scripturæ uſitata, idem ſignificans, quod *ſine fine*, vel *in perpetuum*, ſeu *in æternum*. Cujus rei magnum argumentum eſt, quod præſens Iudæorum calamitas & ſervitus, jam per annos plus mille & ſexcentos, ad hunc uſque annum 1674. perduraverit, nec ſit illis ulla ſperandi ratio, fore ut aliquando finiatur; cùm res illorum, eodem nunc in ſtatu, atque initio, aut etiam pejori & miſerabiliori

Digitized by Google

ſerabiliori verſentur. Et verò narrat Euſebius libro 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Judæos ſub Adriano, ſub Conſtantino magno, & demùm ſub Juliano Imperatore illis favente, ſæpiùs tentaſſe, maximiſque ſtudiis, opibus, & conatibus aggreſſos eſſe templum Hieroſolymitanum inſtaurare, ſeque in priſtinam Reipublicæ libertatem aſſerere; ſed omnia in eorum ruinam & deſolationem majorem verſa eſſe, Deo etiam multis prodigiis ſub Juliano à reædificatione templi abſterrente; lapidibus fundamenti divinitùs in latomos excuſſis, igne de cœlo miſſo, & crucibus in illorum veſtimentis miraculosè apparentibus, quas nullo modo poterant abſtergere.

S. Chr. item, quòd Chriſt. ſit Deus & Homil. 2. contra Iudæos.

Sectio Tertia.

Quinque differentiæ inter hanc poſtremam Iudæorum calamitatem & priores.

SErrarius & alij Scripturæ Interpretes notant quinque differentias inter hanc ultimam Judæorum calamitatem, & anteriores: in quibus tres fuerunt ante Chriſti ortum omnium graviſſimæ, & ſuper alias, memorabiles. 1. Fuit Ægyptiaca. 2. Babylonica. 3. Quam ſub Rege Antiocho Epiphane, tempore Machabæorum, Judæi pertulerunt.

Serrarius in cap. 9. Danielis.

Nam primò illas Deus & venturas prædixit, & quanto tempore duraturæ eſſent, præſignificavit. Etenim ut habetur in libro Geneſis, cap. 15. Deus præmonuit Abraham, poſteros ejus eſſe peregrinaturos in Ægypto, ſerviturosque annis quadringentis; quibus exactis, excuſſo ſervitutis jugo, terram Chanaam eſſent poſſeſſuri. Babylonicam item captivitatem Deus per Jeremiam prænuntiavit, ut ſcripſit cap. 25. & 29. tempus quoque illius captivitatis, annorum duntaxat 70. futurum ſignificavit. Pariter miſe-

Aliarũ ſervitutum finis præſignificatus: huius nequaquam.

rabilem cladem, quâ afflicti, contritique ſunt ab Antiocho, & futuram, & tribus annis perſeveraturam, prædictum eſt à Daniele Prophetâ cap. 8.

Daniel. c. 9. v. 26. Hanc verò præſentem calamitatem, quâ jamdiù toto orbe conflictantur Judæi, prænuntiavit quidem loco Danielis allato: ſed finem ejus non indicavit; quo ſilentio & durationis ejus reticentiâ, ſatis oſtendit, nullo eam tempore terminandam: quin imò non obſcurè id demonſtravit, cùm dixit, deſolationem urbis, templi, & Judaicæ gentis captivitatem, uſque ad conſummationem & finem mundi permanſuram.

Hæc ſervitus longè cæteris eſt diuturnior. Deinde longiſſima priorum captivitatum, fuit Ægyptiaca; quæ tamen centum quinquaginta annos non exceſſit: quamvis enim habitatio, ſeu peregrinatio Judæorum in Ægypto, quadringentis triginta annis definiatur à Moſe, Exodi c. 12. tamen eorum ſervitus & afflictio, quam in Ægypto Judæi poſt mortem Joſeph pertulerunt, fuit tantùm annorum 150. Captivitas autem Babylonica longè brevior fuit; nimirùm 70. duntaxat annorum. At hæc poſtrema Judæorum calamitas, jam, ut dixi, 1600. annos exceſſit. Eſt igitur aliis multò diuturnior.

Nunc nullos, ut olim habent Prophetas conſolatores 3. In captivitate Babylonicâ Judæi Prophetas habuerunt, ut Ezechielem, Baruch & Danielem, qui eos conſolabantur, & certâ ſpe recuperandæ libertatis ſuſtentabant. In præſenti calamitate, nullum habent nec habuerunt verum Prophetam.

In hac, nulla in eorum gratiam fiunt miracula, qu- 4. In aliis captivitatibus ſæpè facta ſunt divinitùs miracula, quibus declarabatur, populum Hebræum in Dei eſſe gratiâ & tutelâ. Quale fuit nobiliſſimum illud miraculum trium Iuvenum in fornace Babylonicâ; & Danielis in lacum leonum bis conjecti. In hac verò captivitate, nullis à Deo miraculis honorati ſunt; è contrà magnis identidem prodigiis in

eos editis oſtenſum eſt, eum populum eſſe Deo exoſum, ac penitùs ab eo reprobatum & abjectum.

tamen. ſiebant in prioribus.

5. Denique in cæteris captivitatibus claruerunt inſignes aliqui viri Judaicæ gentis, qui cùm gratiâ, honore & autoritate florerent apud eos Reges, ſub quorum poteſtate tenebantur; magnas illis utilitates attulerunt. Tales fuere apud Pharaonem Moſes, & Aaron; apud Reges Chaldæorum, Daniel & tres ejus ſocij; apud duos Artaxerxes Perſarum Reges, Eſdras & Nehemias; itemque Mardochæus & Eſther. Horum ſimiles, in præſenti calamitate, nullos habuerunt.

Nullos nunc habent qui gratia & authoritate polleant apud Principes.

Ex quibus conſtat hanc eſſe omnium tum longiſſimam, tum ſine comparatione graviſſimam; In quâ ſcilicet privati ſunt libertate, urbe, templo, ſacerdotio, ſacrificiis, (quæ non niſi in templo & Hieroſolymis fieri poſſe, colligitur ex Danielis 3. v. 38.) miraculis, Prophetis, protectione Dei, & aliis quibus anteà ſuis etiam in ærumnis fruebantur.

Sectio Quarta.

Cauſa tantæ calamitatis & deſolationis Iudæorum, non fuit alia quàm deïcidium in Chriſto commiſſum.

Non eſt dubium quin hac tanta & tã diuturna calamitas illis acciderit in pœnam Chriſti occiſi.

Jam quæritur unde tanta Dei derelictio, imò & omni moda abjectio contigerit? Certè non erat quòd ita Judæi in perpetuum delerentur, ſi Meſſiam ſuum erant poſteà habituri. Quæ enim eſt connexio futuri adventûs Meſſiæ, cum deletione templi & Judæorum, cumque illâ tam diuturnâ & mirabili deſolatione, quæ huc uſque perſeverat. Quare non eſt dubium, quin illa iis acciderit in pœnam atrociſſimi criminis, quod in Chriſti abnegatione, & occiſione commiſerunt.

Digitized by Google

Id quod Chriſtus in ſuâ prædictione de Hieroſolymæ excidio ſignificavit, dum dixit; *Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, &c. & non relinquent in te lapidem, ſuper lapidem; eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Ecce cauſam expreſſè notatam exterminationis Judæorum; quia nimirùm Chriſtum Dominum, & Meſſiam ad ſe venientem repudiarunt, & tanquàm ſceleratum crucifixerunt.

Luc. 19. 44.

Et Prophetia Danielis ſuperiùs allata, de Judæorum abjectione, id ſatis apertè declarat, dum ait; *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas, occidetur Chriſtus, & non erit populus, qui eum negaturus eſt, &c.* Crimini pœna ſubjungitur.

Daniel. c. 9. v. 46.

Ratio verò contra Judæos idem evidenter concludit, quam fusè proſequitur Chryſoſtomus in homilia 3. contra Judæos. Primò negare non poſſunt, quin tanta & tam diuturna calamitas illis inflicta ſit in pœnam gravis alicujus & extraordinarij criminis; non autem ad ſolam probationem virtutis & patientiæ, ut quidam Iudæi dicere viſi ſunt: tum quia illa non tantùm eſt corporalis, ſed etiam ſpiritualis, magnam bonorum ſpiritualium jacturam continens; ſiquidem, ut dictum eſt, deſtituti ſunt prophetis, miraculis, cultu divino, & Moſaicæ legis obſervatione, ſaltem quoad multa, quæ Hieroſolymis olim fieri conſueverant. Pœnam autem ſpiritualem, non ad probandam virtutem, ſed ad præterita ſcelera punienda Deus infligit; Tum quia Iudæi ſic reſpondentes, Deum faciunt mendacem; quippè qui ſæpenumerò verbis ampliſſimis promiſit, ut videre licet in Deuteronomio cap. 11. & 28. ſe populum Hebræum omni tempore, in terrâ Chanaam, quam poſſidebat, conſervaturum, à cunctis hoſtibus defenſurum, maliſque omnibus liberaturum, adeóque omni bonorum genere cumula-

Chryſ. Homil. 3. contra Iudæos. pag. 2. & ſeq.

Certum eſt iſtam deſolationem illis accidiſſe in pœnam criminis alicujus.

Digitized by Google

turum; ſi is benè ac piè viveret, atque in legis per Moyſen acceptæ obſervantiâ, obedientiâque permaneret. Cùm igitur ſuis ſedibus, patriâ, bonis omnibus in extremam miſeriam ejecti ſint: manifeſtum eſt, id non niſi in pœnam accidiſſe. Adde quòd ipſi fatentur ultrò, omnes alias ante Chriſtum captivitates, non niſi propter ſcelera ſua contigiſſe. Id quod longè potiori jure, de hac ultimâ, cæteris multò acerbiore, & longiore debent judicare.

Cùm igitur conſtet, in hanc præſentem deſolationem eos incidiſſe propter ſcelera quædam & flagitia, quibus iram divinam in ſe provocarunt, & ejus vindictam tam atrocem promeriti ſunt; quænam quæſo illa extiterunt? Certè duo in ſacris literis reperiuntur omnium ſcelerum maximè exoſa Deo, & graviſſimis verbis ab eo reprehenſa, acerbiſſimiſque ſuppliciis vindicata, nimirùm ſcelus idololatriæ, & cædes Prophetarum. Hæc duo ſuper alia omnia exprobrat Judæis; teſtaturque propter illa, graviſſimas quaſque eorum captivitates & calamitates, præſertim Babylonicam, ipſis contigiſſe.

Non poſſunt aſſignare aliud crimen quod fuerit cauſa tanta deſolationis, quàm Deicidium in Chriſto commiſſum.

Atqui nec poſt diſſolutam captivitatem Babylonicam, nec poſt Salvatoris noſtri adventum legimus, Judæos aut publicè idola coluiſſe aut Prophetas occidiſſe. Itaque poſt illud tempus, quod ad iſta duo ſcelera ſpectat, quodammodò melior fuit populus Hebræus, quàm fuerat anteà. Igitur magnitudo & diuturnitas præſentis Judæorum calamitatis, neque ad duo prædicta crimina, neque ad alia quæcunque, præter cædem Meſſiæ, poteſt referri.

Sed eſto, ab illo tempore fuerint interdùm Idolorum cultores, aut Prophetas occiderint: cur cùm olim iſta ſcelera eſſent apud illos frequentiſſima, non niſi ut ſummum ſeptuaginta annorum captivitatibus luerint; præſens ſexdecim jam ſæculis durat, ſine con-

Digitized by Google

ſolatione, vel ſpe ullâ apparenti liberationis. Itaque cùm præſens calamitas omnes alias acerbitate, & diuturnitate longè ſuperet; oportet ſanè peccatum aliquod ingens, & inſolitum, cæteris omnibus, quæ olim commiſerant, longè gravius ab iis eſſe commiſſum. Illud autem nullum apparet, nec convenienter aſſignari poteſt, niſi mors crudelis & plena deſpectione, illata Chriſto Salvatori.

Si Chriſtus fuiſſet impoſtor & Pſeudo-Meſſias, Iudæi non pœnam ſed mercedē magnā promeruiſſent.

Quòd ſi, ut rectè expendit S. Chryſoſtomus homilia 4. contra Judæos, Judæi meritò Chriſtum rejeciſſent, atque occidiſſent, tanquàm Pſeudo-Meſſiam, & nequiſſimum impoſtorem, qui ſe falsò Dei filium prædicabat; in hoc ſanè magnum Deo obſequium præſtitiſſent; nihilque magis contra Divinam Providentiam fuiſſet, quàm permittere, ut poſt ejus mortem tanta iis mala evenirent. Nam potiùs ob tam egregium facinus, fuiſſent augendi beneficiis, & ingenti laude digni. Si enim Phinees olim ob interfectum Madianitem zelo divini honoris, Deum ſibi & toti populo conciliavit, pacemque fœderis divini, & ſacerdotium ſempiternum ſibi ac poſteris à Deo accepit, ut habetur Numer. 26. v. 7. & ſeq. Et ut loquitur Pſalmiſta, *ſtetit enim Phinees, & placavit, & ceſſavit quaſſatio*: quantò magis ipſi, ſi impoſtor erat, & Pſeudo-Meſſias quem, filium Dei ſe dicentem, crucifixerunt? At è contrà poſt illud facinus, civitate, templo, patriâ, ſacrificiis, ſacerdotio, & omnibus Dei beneficiis ſpoliati ſunt, & miſerabilem in modum projecti.

S. Hieronymi convictio contra Iudæos.

Quod item ſolidè S. Hieronymus ponderat in Epiſtolâ 129. ad Dardanum, ubi recenſitis prioribus Judæorum captivitatibus, ſic ſcribit; *Ad extremum ſub Veſpaſiano & Tito urbs capta, templumque ſubverſum eſt. Deinde civitatis, uſque ad Adrianum Principem per 50. annos, manſere reliquia; poſt illam everſionem*

Digitized by Google

eundum uſque ad hanc diem, paulò minùs quàm per quadringentos annos, & urbis & templi ruinæ permanent. Ob quod tantum facinus? Certè non colis idola, Iudæe; ſed etiam à Perſis & Romanis captivitatis jugo preſſus, Deos ignoras alienos. Quomodò clementiſſimus quondam Deus, qui nunquàm tui oblitus fuerat, nunc per tanta ſpatia temporum non adducitur ut ſolvat captivitatem, & ut veriùs dicam, expectatum tibi mittit Anti-chriſtum? Ob quod, inquam, facinus, & tam execrabile ſcelus, avertit à te oculos ſuos? ignoras? Memento vocis parentum tuorum; (ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.) Et (hic eſt hæres, venite occidamus eum.) Et (Non habemus Regem niſi Cæſarem.) Habes quod elegiſti, uſque ad finem mundi; ſerviturus es Cæſari, donec gentium intret plenitudo, & omnis Iſraël ſalvus fiat. Hæc D. Hieronymus.

Matth. 27. Matth. 21. Ioan. 19.

Eſt igitur clarum Divinitatis Chriſti argumentum extrema hæc Judæorum qui eum crucifixerunt, quam à tot ſæculis patiuntur, calamitas & reprobatio.

Neque eſt quòd cuipiam mirum videatur, Judæos hanc tam manifeſtam, teſtatamque oraculis Prophetarum, & ſuorum malorum experientiâ ſenſibiliter comprobatam, de Meſſiæ adventu & morte veritatem, non agnoſcere. Siquidem hæc ipſa cæcitas, una eſt de multis aliis, & quidem maximis illorum pœnis, quas ob Meſſiæ necem patiuntur, ut rectè obſervat Serrarius. Duplici enim pœnarum genere multati ſunt; unum fuit corporale; & hoc triplex, ſcilicet amiſſio regni ac dignitatis; perpetua urbis ac templi deſolatio, & ſempiternum exilium, innumeris malis, miſeriiſque refertum. Alterum pœnæ genus fuit ſpirituale, tantò ſanè gravius & exitiabilius priore, quantò & potioribus bonis eos ſpoliavit, & acerbioribus malis affecit. Et hoc duplex, videlicet excæca-

Serrar. in cap. 9. Danielis.

Iudæorũ pœna non tãtùm corporalis fuit, ſed

etiam ſpiritualis; ſita in excæcatione, & obduratione cordis.

tio mentis, & obduratio cordis; nimirùm ad intelligenda, credendaque, atque amplectenda quæ ad Meſſiam pertinebant.

Vt testatus est Iſaias.

Hoc duplici pœnarum ſpiritualium genere, præter cæteras ſupra memoratas, plectendos eſſe Judæos, Iſaias indicavit cap. 6. his verbis; *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur; & ſanem eum. Et dixi, uſquequò Domine? & dixit, donec deſolentur civitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquatur deſerta.* Hoc Iſaiæ vaticinium, Salvator noſter in Evangelio Joannis, cap. 12. ad ſe & ad Judæos, qui credere recuſabant, pertinuiſſe, declaravit.

Et David.

David quoque in Pſal. 68. cùm ſub perſonâ ſuâ expoſuiſſet, quàm indignis acerbiſque modis tractandus eſſet Meſſias à Judæis, (ſcilicet propter certitudinem Prophetiæ in prædicendo futura, uſus verbis præteriti temporis;) proximè varias pœnas, partim corporales, partim ſpirituales, tam immani eorum ſceleri comparatas, ſubjunxit, *Fiat*, inquit, *menſa eorum ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva. Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos: fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet; quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem, ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitiam tuam; deleantur de livro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.*

Davidem autem iſta vaticinantem prophetico ſpiritu; Iudæos ſpectaſſe, qui Dominum noſtrum occiderunt, & doctrinam ejus non tantùm recipere no-

Digitized by Google

luerunt, ſed & oppugnarunt; teſtatur D. Paulus, ad Romanos cap. 11. Et in cap. 3. Epiſtolæ 2. ad Corinthios eleganter argumentatur, obtuſos eſſe Judæorum ſenſus ad Divina myſteria, præſertim ea quæ Meſſiam attingunt, intelligenda. *Olim*, inquit, *non poterant Iudæi aſpicere faciem Moſis, niſi velatam: En hodiernam uſque diem velamen manet Judæis in lectione veteris Taſtamenti, quod tamen per Chriſtum evacuatur.* Eſt ſenſus verborum Apoſtoli. Itaque Iudæus ſine fide Chriſti, legens ſcripturam, reperit eam velatam, nec menti perviam ad intelligendum. At cùm primùm fide Chriſti imbutus eſt, velamen ex ipsâ ſcriptura, & ex corde ejus aufertur.

Idem Paulus Epiſtolâ ad Theſſalonicenſes cap. 2. ſignificat, Iudæos expoſitos eſſe omni ſeductioni & errori, eò quòd claritatem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent. *Ideòque*, inquit, *mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio; ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.*

Non eſt igitur mirum quòd Iudæi cæcitate mentis percuſſi, lumen Verbi Incarnati non videant.

DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI.

CAPUT NONUM.

Nonum argumentum illius demonſtrativum.

MARTYRES ECCLESIÆ.

Sectio Prima.

Deus juſtè permiſit eſſe in Eccleſia Martyres.

Iuſtas ob cauſas Deus permiſit ſui cultores à tyrannis torqueri

PRIUSQUAM argumentum iſtud, nobile in primis, & Chriſto glorioſum pertractem; operæ pretium videtur, Providentiam divinam ab impiorum obtrectationibus vindicare. Poteſt enim forſan à nonnullis, vim rerum ſpiritualium, & rationes æternas non penetrantibus, injuſtitiæ cujuſdam inſimulari; quòd permiſerit tot homines juſtos & ejus obſequio addictos, à nefariis ejus hoſtibus crudeliter enecari. Quomodò, inquiunt, fieri potuit, ut Dei Providentia ſuos ita desereret, ut dæmonum ac tyrannorum traderet furori: & in ejuſmodi monſtra juſtitiæ ſuæ fulmen non intorqueret? Sed cogitationes divinæ longè excelſiores ſunt co-

Digitized by Google

gitationibus hominum; & ſæpè quod nobis contemptibile videtur, coram Deo pretioſum, atque honorificum eſt.

Sciendum eſt igitur, duabus maximè de cauſis Deum permittere voluiſſe, ut Tyrannorum crudelitas in Martyrum innocentiam ſæviret. 1. Ad gloriam ſuam; deinde ad ſummam ipſorum utilitatem; quos ad fines omnia ſua opera Deus ordinavit, atque inprimis ipſum opus Redemptionis humanæ per Filij ſui necem, cœlo & terris ſtupendam. Et verò cùm Deus ſit ſupremus omnium ſuarum creaturarum Dominus, ita ut ſine cujuſquam injuriâ poſſit de illis pro arbitratu ſtatuere & diſponere: non eſt dubium, quin juſtè potuerit exigere, ut non tantùm animalia bruta, ſed etiam homines in ipſius honorem & cultum, ad proteſtandum ſummum ejus dominium immolarentur. Tamen pro ſuâ in nos benignitate, id non exegit; ſed ſapienter permiſit, ſervorum ſuorum æternâ poſthac felicitate præmiandorum, fidelitatem & amorem, tormentorum ac mortis perpeſſione probari. *Primò ad gloriam ſuam.*

Deo quippè præter ſacrificium Crucis Domini, quod ratione perſonæ patientis, fuit dignitatis & excellentiæ infinitæ, atque adeò infinitè honorativum Divinæ Majeſtatis: nihil potuit eſſe glorioſius, quàm innumeros Martyres, tanquàm innocentes & voluntarias victimas, in proteſtationem veri Dei, & Chriſti Salvatoris, manibus infidelium perſecutorum occumbere? Verum quidem eſt, multis variiſque modis Creatorem à ſuis creaturis laudari & honorari poſſe; & inter homines quidam illum glorificant pſalmis & canticis laudum; alij vitæ innocentiâ, puritate, & virtutum Chriſtianorum exercitio; alij confidentiâ ſingulari in ipſius bonitate & Providentiâ; alij ſubeundo periculo, & res arduas præſtando *Martyrium eſt honorabile Deo ſacrificium.*

pro animarum converſione; alij perſecutiones mundi & ærumnas pro ipſius gloriâ humiliter perferendo, alij aliis modis. Sed nihil eſt quod ad gloriam Dei fieri queat illuſtrius, quàm vitam ad ipſius honorem & cultum profundere; præſertim cùm mors ita ejus causâ ſuſcipitur, ut diuturnitate & acerbitate tormentorum, quaſi multiplicetur; tunc enim non eſt ſemel duntaxat, ſed ſæpius mori; quale mortis genus Martyres Eccleſiæ pro Chriſto ſubiêre.

Ioan. 21. v. 19. Id quod ſignificavit Joannes Evangeliſta, cùm exprimens modum quo S. Petrus erat moriturus, ſcilicet in Cruce; uſus eſt verbo, glorificandi Deum, & Chriſtum ſequendi. Et certè tota humana natura, etiam adjuta & corroborata auxiliis gratiæ ſupernaturalibus, nihil habet excellentius, quàm non ſolùm verbis, ſed ipſis etiam factis arduis confiteri, ejus Majeſtatem tantæ eſſe dignitatis, excellentiæ & meriti, ut ejus ſervi, omnia ſuppliciorum genera malint perpeti, quàm verbo aut minimo ſigno debitum cultum violare. Quæ enim poteſt eſſe major fides? quæ charitas illuſtrior? quæ conſtantior fidelitas deſiderari ab homine infirmâ carne veſtito? Quò altiùs poteſt aſſurgere humana virtus? quid pretioſius poteſt homo ſuo Creatori offerre, quàm vitam ſuam? At ſi ſacrificium iſtud, non ſimplici morte, ſed cum multis gravibuſque cruciatibus perficiatur, quantò præſtantius exiſtit?

Deus eſt qui in ſuis Martyribus vincit & triũphat. Apoc 7. v. 14 Verùm aliâ etiam ratione Deus ſanguine Martyrum honoratur: quatenùs ſcilicet ipſe eſt qui animum & vires iis ſuppeditat, quibus intùs roborati, ad mortem uſque dirè cruciati, in fide perſeverant. Illud ipſum eſt quod S. Joannes in Apocalypſi vult innuere, dum ait; *Hi ſunt qui venerunt ex tribulatione magnâ, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt in ſanguine Agni*: Quia nimirùm ejus ſanguinis pretioſi

Digitized by Google

merito, eam fortitudinem mentis, & conſtantiam admirabilem obtinuerunt; quâ tyrannorum deriſerunt minas, furorem contempſerunt, & omnia ſuppliciorum inſtrumenta nihili fecerunt. Ita ut tota eorum virtus, & meritum paſſionis, nec non corona quam patiendo conſecuti ſunt, accepta debeatur iſti Agno innocenti, nempe Chriſto; qui tantam illis gratiam & gloriam promeritus eſt. Quantùm igitur Chriſto accedit gloriæ ex tot tamque inſignibus Martyrum triumphis? qui in illorum infirmitate vicit, quicquid in mundo aſperum, dirum ac terribile eſt; naturalem appetitûs reſiſtentiam, timorem doloris, amorem vitæ, bonorum temporalium cupiditatem, carnis repugnantiam, dæmonem, omneſque hoſtes naturæ & gratiæ ſuperavit.

Martyribus eſt valdè honorificum & glorioſum mori pro ſuo Creatore.

Sed ſi Martyrium tot ſanctarum victimarum Deo glorioſum fuit: non minùs fuit ipſis Martyribus, non tantùm honorificum, ſed etiam utile ac fructuoſum. Honorificum, inquam; nam quid honorabilius poteſt eſſe creaturæ, quàm in gloriam ſui Creatoris immolari? Ei vitam reddere, qui dedit, & qui ſuam pro ſalute noſtrâ impendit? Quid illuſtrius quàm Chriſtum, Regem Regum, ducem ſequi? Ejus imitatorem fieri, militiæ ſocium, ac triumphorum participem? Ac poſt aliquot dierum tribulationes, cum ipſo in cœlis, inter Angelos coronari, atque in totam æternitatem regnare? Quid in hoc mundo huic gloriæ, his honoribus poſſit comparari?

Magna eſt Martyrij merces & gloria.

Apocal. 7. v 9.

Iſtos Regni cœleſtis Heroës, radiis Divinitatis fulgentes deſcribit in Apocalypſi S. Joannes, in hæc verba: *Vidi*, inquit, *turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & populis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum; dicentes, Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum, & Agno. Et dixit*

Digitized by Google

mihi unus de ſenioribus ; hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni. Ideò ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte ; & qui ſedet in throno habitabit ſuper illos. Non eſurient, neque ſitient ampliùs, nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus ; quoniam Agnus qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum ; & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

Ex quibus intelligitur, quantâ mercede, & quibus præmiis, poſt brevem luctam compenſetur fidelitas Martyrum ; quippè qui ex brevibus hujus vitæ miſeriis, ſtatim evehantur ad thronum Dei, ad gloriam immarceſcibilem, & felicitatem Regni cœleſtis, omni bonorum genere cumulatam, & nunquàm finiendam.

Eximiam illam ſanctorum Martyrum mercedem declarat Spiritus-Sanctus per Salomonem, dicens ; *Et*
Sap. 3. *ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt ; & in paucis vexati, in multis benè diſponentur ; quoniam Deus tentavit eos, & invênit illos dignos ſe : tanquàm aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſta hoſtiæ, accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus eorum in perpetuum.*

Sap. 5. v. 1. Apud eundem exaltatio Martyrum exprimitur, & perſecutorum pœnitentia ; *Tunc*, inquit, *ſtabunt juſti in magnâ conſtantiâ adverſùs eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtiâ ſpiritûs gementes ; Hi ſunt quos aliquandò habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati, vitam illorum æſtima-*

Digitized by Google

bamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt, &c.

Chriſtus ipſe regnum cœlorum illis promiſit, dicens; *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſùm vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Matth. 5 v. 10. v. 11.

Hinc præclarè illuſtris Martyrum exhortator, & ipſe Martyr S. Cyprianus; *Quanta eſt dignitas*, inquit, *& quanta ſecuritas, exire inter preſſuras & anguſtias glorioſum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus; & aperire eoſdem ſtatim, ut Deus videatur & Chriſtus.* Et paulò poſt, *Clauduntur oculi in perſecutionibus terræ, ſed patet cœlum; minatur Antichriſtus, ſed Chriſtus tuetur; mors infertur, ſed immortalitas ſequitur; occiſo mundus eripitur, ſed reſtituto Paradiſus exhibetur; vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur.* S. Cyp. lib. de Exhortatione Martyrum.

Hinc colligunt ſancti Doctores plura Martyrum privilegia; primum quòd Martyri peccata omninò remittuntur, tum quoad reatum culpæ, tum quoad reatum pœnæ; ita ut ei nulla in ſæculo futuro pœna maneat exolvenda, licet gravia priùs ſcelera perpetraſſet. Quia, ut docent S. Auguſtinus, S. Thomas, & alij Patres unanimi conſenſu, idem operatur martyrium in Martyre, quod baptiſmus in baptizato, qui juxta omnium ſententiam cum Concilio Tridentino, omnem culpam & pœnam delet. *Tria Martyrij privilegia.* Auguſt. 13. de Civit. c. 7. & in libr. de gr. bapt. D. Th. 3. p. q. 68. a. 2. Trident. ſeſſ. 14.

Ex quo privilegio alterum conſequitur, nimirùm quòd ſtatim poſt obitam mortem in cœlum admittitur Martyr, nullâ morâ interjectâ; ſiquidem plenâ ſatisfactione exhibitâ, nihil reſtat impedimenti. Id

Digitized by Google

cap. 2. Actor. 7. Auguſt. ſerm. 17 de verbis Apoſt. & tract. 38. in Ioan. Luc. 23. Pſal. 123 v. 7.

quod in primo Martyre Stephano factum cognoſcimus ex eo, quod ipſe moriens dixit; *Ecce video cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Unde hæc celebris ſancti Auguſtini ſententia, *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, cujus nos debemus Orationibus commendare.* Quam probat Innocentius in capite *Cùm Marthæ, de celebratione Miſſarum.* Quare idem & longè potiori jure, accidit Martyri quod juſto latroni, qui audire meruit, *hodie mecum eris in Paradiſo.* O beata paſſio! ô felix confeſſio; Anima è corpore ſolvitur tormentis; ſed ab Angelis ſuſcipitur æternis triumphis. In momento omnia commutantur; loco carnificum, Angeli: loco carceris, cœlum: loco tyrannorum, Deus ſuccedit. *In paucis vexati, in multis benè diſponentur.* Tormenta enim brevi tempore durarunt, ſed gloria æterna ſubſequitur; tranſiit tempeſtas, & anima quieſcit in portu ſecuro. Quare meritò ſibi Martyres uſurpant illud pſalmi; *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium; laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Laquei enim fuerunt minæ atque terrores, promiſſa vana & blanditiæ; ſed ex his omnibus evaſerunt.

Greg. homil 17. Ioan. 15.

Tertium denique Martyrum privilegium eſt, quòd non ſolùm gloria Martyribus in exitu hujus vitæ confertur; ſed eminens & inſignis, quæ ſpecialem habet adjunctum laureolæ fulgorem. Nam ut rectè docet S. Gregorius; *Virtus in amore eſt, non in oſtenſione miraculi; & veros Dei famulos, non miracula, ſed charitas probat.* Cùm igitur Martyr, moriendo pro Chriſto, ſupremum & heroïcum charitatis actum exhibeat, dicente Domino; *Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: Manifeſtum eſt, Martyres in excelſo gloriæ cœleſtis gradu collocatos eſſe, cum ſpeciali, pro-

pter

pter actum heroïcum, honoris notâ.

Neque verò putandum eſt, Deum, qui Martyres ita poſt mortem exaltat, & remuneratur, in vitâ deſerere dum patiuntur. Non enim ſolùm eos intùs ſuâ gratiâ corroborat, ut dictum eſt: ſed etiam pro ſuâ bonitate internis & maximis ut-plurimùm conſolationibus replet, ſuavitatibus perfundit occultis, & tormenta quodammodò in delicias vertit, ita ut poſſint verè cum Jobo illud dicere; *Mirabiliter me crucias.* Quin & ſæpè exteriùs modis extraordinariis, ac miraculoſis adjuvabat; nonnunquàm flammas iis comburendis accenſas extinguendo, ut in gratiam ſanctæ Luciæ præſtitit; nonnunquàm eorum vulnera ſubitò ſanando, ut expertæ ſunt ſanctæ Margarita & Agatha; aliquandò illos in locis ſubterraneis, quibus includebantur, viſitando, ut in ſanctâ Catharinâ peractum eſt. Aliquandò iis Angelos mittebat, qui concentu muſico dolores demulcerent, ut ſancto Vincentio contigit; Aliis vincula diſſolvebat, ut ſancto Paulo, & Silaſio ſocio; ſimilibuſque innumeris modis.

Deus Martyres non deſerit in tormentis.

Iob. c. 10. v. 16.

Ex quibus patet, non niſi temerè & impiè poſſe Divinam Providentiam, injuſtitiæ aut inclementiæ cujuſdam notari; quòd homines ſibi devotos, ab impiis ſinat inhumaniter ad tempus torqueri.

Sectio Secunda.

Martyrum teſtimonium, eſt illuſtre argumentum Divinitatis Chriſti.

HOc ſuppoſito quod diximus, jam aggredior oſtendere, quod propoſitum eſt; videlicet teſtimonium, & mirabilem innumerabilium Eccleſiæ Martyrum conſtantiam, in omni tormentorum genere

Martyrium eſt illuſtre Divinitatis

Chriſti teſtimo-nium. pro fide Chriſti tuenda exhibitam, certiſſimum eſſe ipſius Divinitatis argumentum.

Etenim quòd tot Martyres, tot continenter ſæculis, tantâ animi firmitate, fidem de Chriſto Salvatore & Deo, humanis affectibus, & inclinationi planè adverſantem; ſine ullâ ſpe mercedis aut boni temporalis; imò cum ſummâ ignominiâ, bonorum omnium delectabilium, ac vitæ ipſius, ſub tormentis atrocibus jacturâ, profeſſi ſint; quos vitâ integros quoad cætera, fatebantur adverſarij: quódque non raró ſenes decrepiti, pueri, puellæ & virgines delicatæ, tantis ſupplicijs impares, ferrum & flammas, mortemque crudeliſſimam, intrepidè, alacriter, conſtantérque ſubierint; id certè ſolis viribus, naturæ ac ſine divinâ vi, & gratiâ ſingulari interiùs adjuvante, fieri nullatenùs potuit, ſiquidem conſtat iſtam in acerbiſſimis cruciatibus conſtantiam in pueris, tenellis virginibus ac ſenibus vires humanas omninò excedere.

Ideò Eccleſia meritò in Oratione communi de Virgine & Martyre, ſic loquitur; *Deus qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in ſexu fragili, victoriam Martyrij contuliſti, &c.* Et S. Ambroſius libr. 1. de Virgin. ſub initium, agens de ſanctâ Agnete Martyre 13. annorum, ſic exclamat; *Magna vis fidei, quæ etiam ab illâ teſtimonium invenit ætate.*

Nullos habuit Romulus Martyres, ſuæ Divinitatis aſſertores. August. l. 22. de Civit. c. 7.

Quâ ſuper re præclarè obſervat Auguſtinus, licet olim Romani Romulum fecerint Deum, nullum tamen pro ejus divinitate aſſerendâ, fuiſſe Martyrem. *Quis*, inquit, *prohibitus eſt aut Romulum aut Herculem, aut alios tales homines, deos dicere? & mori maluit, quàm non dicere? An verò aliqua Gentium coleret inter deos ſuos Romulum, niſi Romani nominis metus cogeret? Quis porrò enumeret, quàm multi, quantalibet ſævitiâ crudelitatis occidi, quàm Chriſtum Deum nega-*

re maluerunt. Proinde metus quamlibet levis indignationis, quæ ab amicis Romanorum, ſi non fieret, tamen putabatur exiſtere, compellebat aliquas civitates poſitas ſub jure Romano, tanquàm Deum colere Romulum. A Chriſto autem Deo, non ſolùm colendo, verùm etiam confitendo, tantam per orbem terræ, Martyrum multitudinem, metus ullus, aut terror revocare non potuit; blanditia nulla, promiſſio nullo dimovit. Sed nec facultatum violenta ſubtractio, nec acerbitas univerſarum, variarumque pœnarum; & ipſius mortis, quæ plus cæteris formidatur. Neque tunc civitas Chriſti, quamvis adhuc peregrinaretur in terris, & haberet tam magnorum agmina populorum, adverſus impios perſecutores ſuos, pro temporali ſalute pugnavit: ſed potiùs ut obtineret æternam, non repugnavit. Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur. Non erat eis pro ſalute pugnare, ſed ſalutem pro Salvatore contemnere. Quæ cogitatio firmiſſimi, ac potentiſſimi cordis tot tantoſque Martyres fecit; qualem ne unum quidem habuit, vel habere potuit, quando Deus eſt creditus Romulus.

Innumerabiles omnis conditionis, generis nationis, pro Divinitate Christi aſſerendâ, mortem & tormenta ſubiêre.

Sed vis hujus argumenti magis percipietur ex dicendis, ſectionibus ſequentibus.

SECTIO TERTIA.

Multitudo innumerabilis Martyrum Chriſtianorum.

QUoniam hîc fortè quiſpiam obtendet, apud hæreticos, etiam nonnullos reperiri Martyres; apud infideles item viſos eſſe quoſdam, qui pro ſuis erroribus mortem oppetierint: ut innoteſcat, quantùm illi à noſtris Martyribus diſtent; operæ pretium erit, quinque in his circunſtantias, quaſi characteri-

Multa circunſtātiæ veros Dei Martyres diſ-

cernunt à falſis.

riſticas & diſtinctivas expendere.

Ingens Martyrum Eccleſiæ multitudo.

Prima, de quâ hîc agimus, eſt multitudo Martyrum Eccleſiæ; quæ tanta eſt, ut fidem omninò ſuperaret, niſi certiſſimis Martyrologiorum, & Hiſtoricorum teſtimoniis innoteſceret. Ab initio enim perſecutionum, magno ſtudio inſtitutum eſt, nullâ habitâ impenſarum, aut laboris ratione, ut ubique terrarum geſta, & glorioſa mors, ac nomina Martyrum faſtis adnotarentur. Quod cùm in exteris omnibus Eccleſiis, atque Provinciis; tum in Urbe Romanâ potiſſimùm enituit. Et quidem Clemens Romanus Pontifex ſeptem Notariis fidelibus Eccleſiæ, munus demandavit, qui geſta Martyrum ſollicitè & accuratè, unuſquiſque per Regionem ſuam, perquirerent; ut habetur in libro de Romanis Pontificibus. Quibus Notariis, ſeptem item Diaconos, ac totidem Subdiaconos ſanctus Fabianus addidit ad acta Martyrum colligenda.

Olim accuratè nomina & geſta Martyrum in faſtis ſcribebantur.

Licet autem id magnâ curâ & diligentiâ præſtitum fuerit: non potuit tamen fieri, quin multorum nomina è memoria exciderint, tum propter nimiam ſimul interfectorum multitudinem; tum propter Tyrannorum odium, qui Chartas Eccleſiæ, & faſtos Martyrum, quantùm reperiri potuerunt, comburi juſſêre.

Multitudo Martyrum agnoſci poteſt ex Martyrologiis. Item ex numero, & crudelitate perſecutionum Eccleſiæ.

Nihilominùs ex Martyrologiis inde fideliter ſecundùm ſingulos anni dies conſcriptis, Romano, Græco, Baronij, Bedæ & aliorum, conſtat infinitis propè Martyribus Eccleſiam decorari. Id quod facilè cognoſci poteſt ex eo quòd primis quatuor Eccleſiæ ſæculis, 14. perſecutiones Chriſtianorum numerentur ſæviſſimæ in Imperio Romano; præter eas quæ poſtea excitatæ ſunt à Vvandalis in Africâ ſæculo 5. à Monothelitis ſæculo 7. ab Iconoclaſtis ſæculo 8. à Sapore Rege, in Perſide; & alias adhuc poſteriores in variis Regnis & Provinciis, ut in Angliâ, Japoniâ, Chinâ, Hollandiâ, &c. Quæ

ſingulæ per multos annos duravêre, cum ſummo furore, & rabie Tyrannorum Imperatorum, qui decreverant Religionem Chriſtianam penitùs abolere, accedente ad hæc ſummâ Fidelium aviditate patiendi, & mortem oppetendi pro Chriſto; qui ad edicta Imperatorum undique confluebant, ut fidei causâ mactarentur: ita ut ſingulis diebus plurimi, aliquandò multa millia eodem die interficerentur. Ex quo conjicere licet, quanta tandem ſtrages Chriſtianorum, toto illo tempore, & conſequentibus ſæculis per univerſum orbem edita ſit.

Quod ut diſtinctiùs perſpiciatur, lubet aliquot exemplis, rem ſub oculos ponere. Legimus ſub Maximiano Imperat. Legionem integram militum, qui ſub ejus vexillo certabant, eò quòd eſſent Chriſtiani, ejus juſſu & unâ operâ trucidatam fuiſſe; Numerus autem legionis erat 6666. Quomodò autem id peractum ſit, non erit otioſum obſervare. Cùm nollet Tyrannus exercitum ſuum, ex illorum pœnâ multùm imminui: initio juſſit decimum quemque duntaxat occidi, ut hoc pacto metus cæteris incuteretur. Cùmque ex hoc nihilominùs perſiſterent in fide, iterùm prædictam decimationem fieri imperavit. Sed ut vidit ſuperſtites, ſociorum cæde; non modò non moveri, ſed etiam martyrij coronam inter ſe certatim ambire, omnes ad unum interfici juſſit.

Legio integra militum Chriſtianorum unâ operâ trucidatur. Granatenſis in Catechiſmo. parte ſecunda c. 25. Baron ad an Chr. 301. n. 1. Ex Euſebio, & Eutropio.

Sub Adriano Imperatore, apud Alexandriam Armeniæ, non tantùm Legio, ſed decem millia militum uno die, eodem quo Chriſtus quem confitebantur, ſupplicij genere affecta ſunt.

Sub Adriano decem millia uno die interficiuntur.

Teſtatur Baronius, ex libro de Romanis Pontificibus, in Marcellino, ſub Diocletiano, uno duntaxat menſe, numeratos eſſe decem & ſeptem millia Martyrum: Additque ſi ex uno menſe, totius decem annorum temporis, quo iſta perſecutio deſævit, licet

S. Anton. in Chron. Vincent.

deducere rationem, facilè conjici poſſe, numerum Martyrum in immenſum excreviſſe. Siquidem tantum abeſt ut temperantiùs poſt hæc cum Chriſtianis egerit, ut aliis etiam, quæ poſteà ſecuta ſunt, edictis aucta perſecutio, ferocior in dies viſa fuerit. Traditur enim in unâ Ægypto, occiſa eſſe toto ejus tempore centum quadraginta quatuor hominum millia; ac ſeptingenta millia in exilium fuiſſe ejecta. Nec minor in aliis Provinciis ſtrages; niſi in iis quas Conſtantius Chlorus Cæſar regebat; qui etſi Chriſtianus non eſſet, mitiùs tamen cum iis egit. Denique, inquit idem Baronius, nullis unquam bellis, mundus ſanguine magis exhauſtus eſt; neque majori unquam, (ut Severus loquitur,) triumpho Eccleſia vicit, quàm cùm decem annorum ſtragibus, vinci non potuit.

In ſpeculo. Hiſt. l. 11. c. 198. Ad an: Chriſti 301. n. 4. *Sub Diocletiano numerata ſūt uno mēſe 17000 Martyrum. Quanta multitudo in Ægypto aliiſque Provinciis.*

In Romano Martyrologio memorantur 20. millia Martyrum, qui unâ die cum templo, in quo erant, combuſti ſunt. Sic enim habet; (*Nicomedia paſſio multorum Martyrum*, (*in Menologio græco legitur, viginti millium*) *qui cùm in Chriſti Natali ad Dominicum conveniſſent; Diocletianus Imperator januas Eccleſiæ claudi juſſit, & ignem circum circà parari, tripodemque cum thure pro foribus poni, ac præconem magnâ voce clamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent, & Jovi thus adolerent. Cùmque omnes unâ voce reſpondiſſent ſe pro Chriſto libenter mori; incenſo igne conſumpti, eo die naſci meruerunt in cœlis, quo Chriſtus in terris, pro ſalute mundi naſci dignatus eſt.*

20. millia unâ die in templo combuſta Nicomedia.

Tradit Euſebius libro 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 11. & teſtatur Martyrologium Romanum 7. Idus Februarij, ſub Maximiano Imper. unam civitatem in Phrygiâ totam, pro Chriſti nomine, martyrio fuiſſe coronatam, ſicque rem geſtam narrat. *Iam verò illud quod apud Phrygiam geſtum eſt, quis audeat prætereire,*

Idem refert Nicephorus. l. 5. c. 10.

in quo & communia humanitatis, & propria Romani Regni jura violata ſunt. Vbi urbem quandam Chriſtianorum civium, in quâ & populus omnis, & honorati viri, & Curator, & Magiſtratus: Chriſtianos ſe eſſe, nec acquieſcere ad ſacrificandum, faterentur; circumdari militibus jubent, cunctoſque ſimul, cum mulieribus viros, cum parvulis ſenes, cum civibus civitatem injecto igne concremari; ita ut nullus penitùs ex illâ urbe, etiam cùm optio volentibus daretur, abſcederet. Et hoc in cives perpetratum eſt, quod in hoſtes egiſſe, notam crudelitatis habuiſſet. Verùm beati hujus numeroſique martyrij, pariter ab universa urbe ſuſcepti, author & dux extitit, vir pietate & religione, atque omni benignitate clarus, Adauctus nomine, patriâ & genere Italus, honoribus Palatij per gradus ſingulos, uſque ad Officiorum magiſterium perfunctus; rationes quoque, per illud tempus, ſummarum partium adminiſtrans, in ſupradictâ urbe degebat. Cujus in confeſſione Chriſti, conſtantiam, omnis populus ſecutus, boni ducis exemplo, ſummarum vere partium, per martyrium, conſecutus eſt palmam. Sed unde ſufficimus propria uniuſcujuſque Martyris, per ſingulos enumerare ſupplicia? quis enim poſſit, vel illa repetere, quibus apud Arabiam ſancti Martyres ſecuribus caſi ſunt? aut quomodò quis retexat, quæ in Cappadociâ geſta ſunt, ubi crura frangi Dei cultoribus jubebantur? Quis Meſopotamiæ referat cruciatus, ubi Chriſtianos ſui temporis more, ſingulis manibus, pedibuſque ſuſpenſos, amariſſimo fumo ſubter ingeſto, indignis cruciatibus enecabant? Alios verò lento igne propè adhibito, tormentis longioribus abſumebant. Hæc Euſebius Cæſarienſis ſuprà.

Vna civitas integra martyrio coronata in Phrygia.

Martyres item penè innumerabiles Treveris enecatos ſub Diocletiano, 6. Octobris refert Baronius in ſuo Martyrologio. Et aliis ſimiliter diebus, variis locis.

Innumeri Marty-

res Treveris. Illud verò non eſt hoc loco prætermittendum, quod eſt dignum admiratione, referturque ab eo, qui Theatrum urbium mundi in publicum dedit. Tradit in unâ urbe Lugduno, novem decem millia civium, martyrio ſimul, diverſis modis coronata fuiſſe. Unde tanta copia ſanguinis fuſi, urbem campoſque inundavit, ut fluvius illam alluens, colore ſanguineo planè tinctus fuerit: quam ob cauſam Saonæ, ſeu Sagonæ, ipſi nomen inditum, cùm priùs Arar nuncuparetur.

Lugduni.

Pſal. 138. Apocal. 7. *Multitudo Martyrum, numero ſtellarũ & arena maris comparatur.* Caſſiod. lib. 1. va. Epiſt. 0. Gregor. in Evang. homil. 26. Et Homil. 17.

Quare non immeritò numerus Martyrum Eccleſiæ dicitur innumerabilis; iiſque rectè adaptatur illud Pſalmiſtæ, *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Et illud Joannis, *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, ſtantes ante thronum, &c.* Ita enim eorum numerus ſupra maris arenam excrevit, ut ſolâ Dei notitiâ poſſit dinumerari; reſpectu cujus omnis creatura in quantavis ſit multitudine, tamen ſub numero eſt, ut ait Caſſiodorus.

Id confirmat ſanctus Gregorius, dum ait; *Sancti Martyres Deo numerabiles, nobis ſuper arenam multiplicati ſunt: quia quot ſunt, à nobis comprehendi non poſſunt. Novit enim tantùm ille, qui, ut habetur Pſal.* 145. (*numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus iis nomina vocat.*) *Jam quippè totus terrarum Orbis, & ipſa Eccleſia palmis ubique, & coronis rutilat.* Cui paribus ferè verbis adſtipulatur S. Cyprianus, ubi de numero Martyrum loquens, ſic ait; *hac ampliorem gloriam computantes temporis noſtri, quòd cùm vetera exempla numerentur; exuberante poſtmodùm copiâ virtutis & fidei, numerari non poſſunt Martyres Chriſtiani, teſtante Apocalypſi, & dicente; Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.*

Apoc 7.

Enimverò Eccleſia Chriſti tam ingenti Martyrum

Digitized by Google

multitudine reſplendet & diteſcit, ut in ſacris faſtis multa quotidiè millia recenſeri valeant. Id quod diſertè affirmat in rem præſentem Genebrardus, dicens; *Magna quidem copia, quæ tanta eſt, ut aliqui in ſingulos anni dies numerent ad triginta millia Martyrum.* Quin etiam, ex prædictis, & ex dicendis poſteà, omninò credibile redditur, quod nonnulli aſſeruêre, Martyrum numerum, ad quindecim & ampliùs milliones aſcendere.

Genebrardus in Expoſit. in Pſ. 78. v. 4. *Supputatio Martyrum ex Genebrardo.*

Jam quæro, utrùm poſſit aliqua veritas pluribus teſtibus confirmari? *Si in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*, ut dicit ſcriptura: quantò magis non in ore ſolùm, ſed etiam in ſanguine tot millium Martyrum, ſtabit veritas Divinitatis Chriſti? Et quæſo, cùm nulli unquàm pro Divinitate Romuli, aut Herculis aſſerendâ, mortui ſint, ut antè dictum eſt ex Auguſtino, quis tot homines induxit, pios, ſapientes, graves, ex omnibus mundi partibus, omnis ætatis, conditionis & ſexûs, ut pro Chriſto jam pridem mortuo, ultrò morerentur? Quis illos omnes ita faſcinavit, ac mente dejecit, ut pro fide in Chriſtum conſervandâ, & tuendâ ejus Divinitate, non dubitarint fortunas, honores, amicos, libertatem ac vitam ipſam ſub tormentis amittere? Quis non videat, id non niſi Authore Deo, fidem illam de Filio ſuo, fortiter & conſtanter inſpirante, fieri minimè potuiſſe?

Quis alius quàm Deus potuit tot milliones hominū & mulierum inducere & animare ad tormenta & mortem pro Chr. ſubeundam.

Sectio Quarta.

Integritas vitæ & ſanctitas Martyrum.

Alterum quod eſt in Martyribus conſiderandum, eſt integritas vitæ atque adeò ſanctitas eximia, quâ plerique fulgebant. Primis quippe Eccleſiæ temporibus, quibus maximè diris perſecutionibus exa-

Innocētia & pietas Martyrum clarè oſtendit veritatem, pro qua moriebantur.

gitata eſt, Chriſtiani ob inſignem morum innocentiam, pietatem ſingularem in Deum, charitatem ferventem, aliaſque virtutes quibus excellebant; non alio nomine, quàm ſancti, vocabantur. In illis enim vigebat primævus Chriſtianiſmi fervor, qui etiam, quaſi per antiperiſtaſim, & per Gentilium vexationes magis accendebatur.

Inter illos, propter charitatem fraternam, omnia erant communia; ita ut bona Divitum, fierent quaſi patrimonium pauperum. Quin & in omnibus cor unum erat & anima una, ut Scriptura ſignificat; nullæ lites, nulla diſcordia: totum eorum ſtudium, ac deſiderium, erat Deo vivere, & pro Chriſto cui totis medullis adhærebant, mori: eorum vita, ut produnt omnes Hiſtorici, non aliud erat, quàm cultûs divini, ac virtutum exercitium. Adeò ut adverſarij nihil haberent quod in iis reprehenderent; niſi quòd diis Gentium rejectis, unius Dei cultum profiterentur.

Actor. 4. 4. 32.

Morti addicebantur non tāquam criminum rei

Neque cùm in jus vocabantur, & addicebantur morti, aliud iis crimen objiciebatur, quàm quòd Chriſtiani eſſent. Quòd ſi voluiſſent verbo tenùs negare, ſi tantillum thuris & fumi Jovi aut Idolis offerre, tanquàm innocentes dimittebantur. Itaque non puniebantur ut fures, non ut homicidæ, non ut adulteri: ſed duntaxat ut Cultores veri Dei & Chriſti; hoc unum Magiſtratibus, coram quibus ſiſtebantur, ut diis ſacrificarent, reſpondentes; *Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus.* Hoc erat totum illorum crimen; propter quod ſpoliabantur bonis, trudebantur in carcerem, laniabantur, diſſecabantur, flagellabantur, & diris modis mactabantur.

Actor. 5. *Totum eorum crimen erat fidelitas in Chr. quem colebāt.*

Illorum innocentiæ præclarum teſtimonium exhibuit Plinius ſecundus, Chriſtianis quamvis infenſus, ad Trajanum Imperatorem ſcribens. Cùm enim tunc Bithyniæ provinciam, adminiſtraret multitudine

Plinius junior l.

Chriſtianorum interemptorum commotus, ſignificavit illi, innumera hominum millia quotidiè obtruncari, in quibus nihil omninò ſceleris deprehenderetur admiſſum, aut aliquid contrarium Romanis legibus geſtum, niſi hoc ſolùm, quòd Antelucanos hymnos Chriſto cuidam canerent Deo. Adulteria veró, vel cætera hujuſmodi crimina, apud eos & illicita haberi, & penitùs arceri: cætera verò ſecundùm leges eorum agĕre communes. 10. Epiſt. 97 *Illorum innocĕtiam teſtatur.* Euſebius Cæſarieſ. lib. 3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 32. ad finem.

Rectè autem obſervat S. Auguſtinus; cùm Religione per totum Orbem, mirum in modum amplificatâ, poſſent Chriſtiani validos exercitus conſcribere, quibus ſe, & fortunas ſuas, familiaſque contra perſecutores tuerentur; ipſiſque Tyrannis grave bellum indicere: tamen exempla Chriſti, qui cùm malediceretur, non maledicebat, ſed perſequentibus ſe ultrò ad mortem tradidit; nunquàm moverunt bella adverſùs Imperatores, aut Magiſtratus à quibus indignè tractabantur; nunquàm arma ſumpſerunt; nunquàm tortoribus ſuis imprecati ſunt; ſed tanquàm oves ſine voce, ſine querimoniâ, ſine ullâ verborum aſperitate, ad lanienam & occiſionem ſe duci paſſi ſunt, inter tormenta Deum laudantes, & benedicentes, quòd eos ſe dignos redderet, pro ipſius nomine patiendo. Quid quòd imitatione item Chriſti Domini ſui, auditi ſunt ſæpè perſecutoribus, & tortoribus ſuis veniam à Deo precari; ac dicere cum ſancto Stephano Protomartyre, ac Duce ſuo Chriſto. *Domine Jeſu accipe ſpiritum meum, ne ſtatuas illis hoc peccatum; ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Hoc ſanè eſt non tantùm fortiter, ſed ſanctè mori. Non eſt igitur mirum ſi de ſanctis illis Martyribus Scriptura dicat; *Pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum ejus.* *Si Chriſtiani voluiſſent ſe adverſùs Tyrannos armis defendere, facilè potuiſſent.* *Martyres in tormentis Deũ laudabant ac benedicebant.* *Pro perſecutoribus ac tortoribus Deũ orabãt.* Acto 7.

Denique S. Auguſtinus, ex hoc ſolo declarat, ſatis notam eſſe Martyrum ſanctitatem, quòd ſpretis omnibus mundi illecebris, imò & cruciatibus, potue-

Digitized by Google

Luc 24. v. 34. Ioan. 19. 17. Pſal. 115. v. 15. Auguſt. ſerm. 6. de pluribus Martyribus. Roman, 8. *Charitas ardens Martyrum erga Deũ.* Pſal. 43. 1. Cor. 1.

rint verè cum Apoſtolo dicere; *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? ſicut ſcriptum eſt, (propter te mortificamur totâ die; æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis; ſed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.) Hæc eſt*, inquit, *vox Martyrum; omnia tolerare, & de ſe nihil præſumere; illum diligere, qui glorificatur in ſuis, (ut qui gloriatur, in Domino glorietur.) Sed ipſæ ſunt primæ acies debellandæ, primò vincendæ ſunt delectationes, & poſteà dolores. Quomodò poteſt ſuperare mundum ſævientem, qui non poteſt ſuperare blandientem? blanditur hic mundus, pollicendo honores, divitias, voluptates; minatur hic mundus intentando dolores, egeſtates, humilitates. Qui non contemnit, quod pollicetur, quomodò ſuperare poteſt, quod minatur?*

Mich. Medina l. 2. de rectâ in Deum fide. *Non erat Providẽtia, & Iuſtitia divina permittere, ut ſancti errarent in fide.* Pſal 118. Pſal. 68. Ierem. 12.

Iſta porrò ſanctitas Martyrum efficaciter probat quod intendimus. Nam ut rectè ait Michaël Medina, ad rectum Providentiæ ordinem ſpectat; imò ad eam quamcunque juſtitiam, quæ Deum inter & homines poteſt intercedere, non permittere eos, qui toto corde & animo illum ſectantur, à veritate & viâ ſalutis aberrare; aut ſi fortè aberrent, in eam reducere. Nihil enim rationabilius eſt, quàm quòd Deus iis non deſit, qui illum toto affectu inquirunt. Dicebat David ad Deum; *In toto corde meo exquiſivi te, ne repellas me à mandatis tuis*: Quaſi hâc ratione, æquo jure expoſceret, mandatorum juſtitiam aſſequi. Et alibi; *Quærite Deum*, inquit, *& vivet anima veſtra:* Quaſi Deus, cùm ſit juſtus, ipſum ſincero animo inquirentibus, negare ſe non poſſit. Et certè Deus apud Jeremiam id promiſit in hæc verba; *Quæretis me & invenietis; cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, inveniar à vobis, dicit Dominus.* Et alibi ſæpè.

Si igitur ita eſt, quis ſibi rationabiliter perſuadeat, Deum, priores ſaltem illos Chriſtianos, qui omnium

Digitized by Google

mortalium maximè, filiis, uxoribus, parentibus, amicis, cognatis, boniſque temporalibus poſtpoſitis, ac neglectis, totos ſe ad Deum, & ejus voluntatem exequendam impendebant, in ſuæ Religionis errore, (ſi erraviſſent,) deſeruiſſe, & non rectam ſalutis viam oſtendere voluiſſe. Cur hos cæleſti revelatione, ſi per erroris devia abripi videbat, Deus vel per ſe, vel per ſuos miniſtros non illuſtraſſet, *qui propter eum*, (*ut loquitur Apoſtolus*,) *ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt; & circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis, in cavernis terræ?* An indigni erant illuſtratione divinâ, (quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;) Stephanus pro Dei cultu lapidibus obrutus? Laurentius craticulâ aſſatus? Vincentius lampadibus ardentibus exuſtus? Agatha, poſt graviſſima tormenta, mammis immaniter præciſa? Catharina rotæ ſupplicio confracta? Agnes & Lucia ludibriis, flagellis, & diris cruciatibus affectæ? Aliique ſimiles innumeri? An credibile eſt, Deum illos ita neglexiſſe, qui tanto erga ipſum amore, tantoque placendi deſiderio incenſi erant, ut ſaltem veritatis notitiam, in re tanti momenti, non impertiret? Hebr. 11.

Quis igitur poſſit prudenter dubitare, quin Religio Chriſtiana, quam illi ſancti Martyres profitebantur, ſit vera & Divina Religio, ac proinde quin Chriſtus ſit Deus. Si enim verè non eſſet Deus, ſecta illa quæ illum confitetur & colit ut Deum, non eſſet vera Religio, ſed impietas ſacrilega. Quod cùm non niſi ſtolidè & abſurdè dici queat, certiſſimè Chriſtus, qui ejus eſt Author, eſt Deus.

Digitized by Google

SECTIO QUINTA.

Mirabilis conſtantia Martyrum generatim.

Conſtãtia Martyrum fuit planè mirabilis.

TErtiò in Martyribus ſpectanda eſt imprimis mirabilis conſtantia, quâ omnia, quamvis atrociſſima ſuppliciorum genera, quæ efferata Tyrannorum crudelitas, & rabies diabolica potuit excogitare ad homines excruciandos; non tantùm intrepidè & fortiter, ſed etiam alacriter & jucundè pro Chriſti nomine pertulerunt. Non tantùm viri & robuſti, ſed etiam ſenes decrepiti, pueri, fœminæ & Virgines teneræ quæ naturaliter vel ipſo nudi enſis, aut ſanguinis effuſi aſpectu, animo deficere, atque exanimari ſolent; nihilominùs in acerbiſſimis ferri flammarumque tormentis, mortem crudeliſſimam, invicto animo, & hilari vultu excipiebant. Ita ut quemadmodùm ſcribit Theophilus Alexandrinus Epiſtolâ 3. Paſchali, *fuerint fortiores pœnis; ardentiores, quibus comburebantur, ignibus; victàque fuerint in eis omnia crudelitatis inventa; & quod ira perſecutoris invenire potuit, patientium fortitudo ſuperaverit.*

Lactantius l. 9. adverſùs Græcos. *Tormentorum acerbitas.*

De his ſcribens Lactantius, ſic habet; *ſpectata ſunt, ſpectanturque adhuc per Orbem, pœna cultorum Dei, in quibus excruciandis nova & inuſitata tormenta excogitata ſunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari; cùm immanium beſtiarum, ultra ipſam mortem, carnificina ſævierit. Has tamen corporum lacerationes, felix atque invicta patientia, ſine ullo gemitu pertulit. Hæc virtus omnibus populis atque Provinciis, & ipſis tortoribus miraculum maximum præbuit; cùm patientiâ crudelitas vinceretur.*

Sed eorum fortitudinem, eleganter, & magis ſpecialiter depingit S. Ephrem; *Stabant*, inquit, *in magnâ conſtantiâ tempore certaminis, validiſſimi pugiles Dei,*

S. Ephr. in 2. SS.

pœnas quaſcunque ingenti alacritate animi, pro nomine unigeniti Filij Dei, ac Salvatoris noſtri Chriſti perferentes. Quàm autem in pugnâ ſtrenui, quantaque laude fortitudinis præditi fuerint, vel hinc conſtare unicuique poteſt; quòd ſubjecta oculis expaveſcenda tormenta adverſum ſe parata, non ſolùm non reformidarunt, ſed & majori conſtantiâ decertantes, omnia perferenda fortiter ſuperaverunt. Aſpiciebant ardentem rogum, ignitas ſartagines, & ollas efferveſcentes, quæ ardore atque fervore nimio, guttas picis & adipis longiùs à ſe ejaculabantur. Intuebantur quoque ferratas & aculeatas rotas, inter ignium globos, nimiâ velocitate verſari, ac circumvolvi. Cernebant ungulas ferreas, & laminas candentes, fuſtes, veſtes piceas, ſcorpiones, pectines ferreos, vincula, compedes, atque catenas, omnemque planè artem ac machinam, quam veritatis inimicus contra Martyres & Confeſſores Domini Salvatoris a linvenire potuit. Omnia quippè tormentorum genera, Martyribus in conſpectum callidus & improbus hoſtis adduxit, ut terrorem iis incuteret, & in formidinem ſanctos verteret; aſpectuque ipſo ſuppliciorum, lingua eorum non ampliùs confiteri Dominum Jeſum, perterrita tentaret ac præſumeret.

Martyres in omnibus tormentis non tantùm intrepidi, ſed & alacres fuere.

Quid porrò fideles Athletæ Chriſti, inter ejuſmodi horribilia ob oculos poſita? Promptiores atque alacriores effecti, majore fiduciâ, atque conſtantiâ animi, citra ullam hæſitationem intrepidè, coram Judicum & Præfectorum tribunalibus, Chriſtum Dominum Salvatorem confitebantur. Non enim rogus ardens, non ſtridens flamma, non ignitæ ſartagines, non ollæ ferventes atque ebullientes, non expaveſcendæ aculeatarum rotarum vertigines, non candentes laminæ, non reliqua ſupplicia; non vincula, non compedes, non immenſa catenarum pondera, non Tyrannorum minæ, non Principum furor, non omnia machinamenta diaboli, miniſtrorumque ejus, deterruerunt animoſiſſimos, ac fortiſſimos Chriſti milites; non pieta-

tem abnegare, neque à Charitate Dei, & Salvatoris noſtri diſcedere coëgerunt.

S. Cyprianus Epiſt. 9. ad Martyres de illorum conſtanſtantiâ ſcribens.

Non erit abs re hîc attexere, quod S. Cyprianus Martyr ſcripſit ad Martyres ſui temporis; *Quibus*, inquit, *vos laudibus prædicem fortiſſimi Martyres? robur pectoris veſtri & perſeverantiam fidei, quo præconio vocis exornem? toleraſtis uſque ad conſummationem gloriæ, duriſſimam quæſtionem; nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed vobis potiùs ſupplicia ceſſerunt: finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Laniena gravior ad hoc diù perſeveravit, non ut ſtantem fidem dejiceret, ſed ut homines Dei, ad Dominum glorioſiùs mitteret. Vidit admirans præſentium multitudo cœleſte certamen, certamen Dei, ſpiritale certamen, prælium Chriſti; ſtetiſſe ſervos ejus voce liberâ, mente incorruptâ, virtute divinâ, telis quidem ſæcularibus nudos, ſed armis fi dei credentes animatos. Steterunt torti, torquentibus fortiores; & pulſantes ac laniantes ungulas, pulſata ac laniata membra vicerunt, Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit, ſæviens diù plaga repetita; quamvis ruptâ compage viſcerum, torquerentur in ſervis Dei, jam non membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis qui incendium perſecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ, glorioſo cruore ſopiret.*

O quale illud fuit ſpectaculum Domino, quàm ſublime, quàm magnum, quàm Dei oculis acceptum, ſicut ſcriptum eſt, (Pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum ejus.) Pretioſa mors hæc eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis; quæ accepit coronam de conſummatione virtutis. Quàm lætus illic Chriſtus fuit, quàm libens in talibus ſervis ſuis pugnavit, & vicit protector fidei, dans credentibus tantùm, quantùm ſe credit capturum, qui ſumit. Certamini ſuo adfuit; præliatores, atque aſſertores ſui nominis erexit, corroboravit, animavit: Et qui pro nobis mortem ſemel vicit, ſemper vincit in nobis. Hæc S. Cypr.

Pſal. 115.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio VI.

Conſtantia quorumdam Martyrum in particulari.

SEd ut conſtantia Martyrum magis ſenſibiliter elucеſcat, proponenda ſunt aliqua ſigillatim Martyrum tormenta & certamina. Cùm autem ſint innumera, & in illorum vitis ea omnia in otio legi poſſint: ſatis erit hîc nonnulla ex infinitis attingere.

Anno Chriſti 66. Nero Imperator, ex incendio Urbis, cujus ipſe fuerat author, (ut fatentur ipſi Hiſtorici profani & Gentiles) occaſionem captans Chriſtianos vexandi, primam & diriſſimam in eos qui Romæ verſabantur, perſecutionem concitavit, tanquàm in authores iſtius conflagrationis; à quo tamen crimine, ipſorum adverſariorum ſuffragio liberantur: illoſque plane innocentes hoc prætextu, variis ac ſæviſſimis ſuppliciorum generibus affecit. Atque inter alia, ut refert Tacitus, nomini Chriſtiano infenſiſſimus; *Pereuntibus*, inquit, *addita ſunt ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur.* Hoc eſt, ut interpretatur vetus gloſſographus Juvenalis Poëtæ, tædâ, papyro, & cerâ ſuperveſtiti, palis gutture transfixi, ne ſe curvarent, cereorum loco ardentes ſpectatoribus lucerent. Meminit enim ejuſmodi ſupplicii Juvenalis, dum ait;

tædâ lucebis in illâ,
Qui ſtantes ardent, & fixo gutture fumant.

Sicut & Seneca inter alia atrocia ejus temporis tormentorum genera recenſet, *adactum, per medium hominem, qui per os emergat ſtipitem; & tunicam alimentis ignium illitam & intextam.* Porro hi qui in iſta

Baron. ad an. Chr. 66 n. 1. Martyrol. Ro. Tacitus l. 15. Suet. in Neron. c. 38.

Horrenda ſævitia in martyres.

Palis transfixi ardebant tædarum inſtar.

Juven. Sat. 1.

Senec. Ep. 10.

perſecutione paſſi ſunt, erant Apoſtolorum Diſcipuli, & primitiæ Martyrum, quas Eccleſia Romana, fertilis ager Martyrum, ante Apoſtolorum necem tranſmiſit ad Dominum.

Baron. ad an. Ch. 53. Martyrol. Ro. Tertull. Apol. c. 50. *Martyres ad ſtipitem combuſti, dicti Sarmentitij.*

Martyres inſuper quàm plurimi ſub Decio Imperatore in Africa, & in Ægypto, palis alligati, ſuum inter flammarum globos conſummavêre martyrium. Ex quo factum eſt, ut teſtatur Tertullianus, ut tunc temporis Chriſtianos, (Sarmentitios, & Semiaſſios,) ignominiæ causâ nuncuparent; quia ad ſtipitem dimidii aſſis, revincti, ſarmentorum ambitu crudeliter exurebantur. In iſtis omnibus flammarum tormentis, quas unâ thuris oblatione potuiſſent extinguere, fides illorum manebat imperterrita & inconcuſſa.

Euſeb. Cæſar. Hiſtor. Eccleſ. l. 8. c. 2. &c.

Sed iis generatim præmiſſis, expono magis ſigillatim quædam, quæ Martyres fortiter paſſi ſunt ſub Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, ex narratione Euſebii Cæſarienſis in Paleſtina Epiſcopi, (Pamphili, dicti ob amicitiam Pamphili Martyris) qui multis interfuit teſtis oculatus.

Baron. ad an. Ch. 302. *Edicta Imperatorum Diocletiani & Maximiani contra Chriſtianos.*

Nonus decimus, inquit, agebatur annus imperij Diocletiani; Menſis Martius, & dies ſolemnis Paſchæ imminebat, cùm Edicta Principis per omnem terram proponebantur, ut cunctæ, quæ uſquàm ſunt Eccleſiæ ad ſolum uſque deſtruerentur: Scripturæ ſacræ igni exurerentur. Si quis inter noſtros alicujus honoris prærogativâ muniretur, ſublatâ hac, maneret infamis. Si quis ſervorum permanſiſſet Chriſtianus, libertatem conſequi non poſſet. Hæc omnia his, quæ primò adversùm nos lata ſunt, continebantur, edictis.

Non multùm verò poſt temporis, adduntur & alia. Jubetur ut omnes, qui per loca ſingula, Eccleſiis præſunt, primò quidem conjiciantur in vincula; tum deinde omnibus ſuppliciis, ſimulacris immolare cogātur.

Digitized by Google

Hic verò ingens ſpectaculum Sacerdotes Dei effecti ſunt huic mundo & hominibus, cùm perſecutorum crudelitate ad ſupplicia raperentur, & agônes mirandos omnibus exhiberent. Flagris alij diſcerpebantur, alij ungulis fodiebantur, alij laminis urebantur. Ex quibus nonnulli quidem fatigati, cedebant; alij uſque ad finem patientiam conſervabant. Ex ipſis autem perſecutoribus, quidam tanquàm commiſeratione uſi, adhibebant nonnullos noſtrorum ad inceſta ſacrificia, & quaſi ſacrificaſſent, conclamabant, cùm non ſacrificaſſent. De aliis verò cùm ne appropiaſſent quidem immundis hoſtiis, acclamabant ipſi quòd jam immolaſſent, & abſcedebant; in eo tantùm culpabiles, quòd crimen ſibi objectum cum ſilentio paterentur. Alij Semivivi ſublati, tanquàm mortui projiciebantur. Alij pedibus tracti, inter eos qui ſacrificaſſent, deputabantur. Aliqui ſanè exclamabant ingenti voce, & teſtabantur, ſe non ſacrificaſſe, ſed eſſe Chriſtianos; tali ſe gaudere confeſſione decorari. Nonnulli etiam majori fiduciâ, neque immolaſſe ſe, neque unquàm immolaturos eſſe teſtabantur; Quibus tamen ab aſſiſtentibus militibus, ora continuò, atque oculi contundebantur, ut tacerent; violenter expellebantur, tanquàm acquieviſſent. Tanti erat impiis ſtudij, ut propoſitum ſuum viderentur impleſſe. Sed non adverſùm beatos Martyres impunè hoc facere licebat; quorum patientiæ & magnanimitatis virtutem, quamvis nullus dignè proferat ſermo; tamen pro mediocritate virium noſtrarum, quæ poſſumus enarrabimus.

Diverſa Martyrum ſupplicia.

Quoniam, ſicut diximus, primum hujus ignis exordium perſonas in dignitate conſtitutas invaſit; flamma perſecutionis poſteà in populos & Nobiles exarſit; ita ut non poſſit numero comprehendi, quanti quotidie per ſingulas quaſque urbes, & Provincias, Martyres efficiebantur.

Euſ. l. 8. hiſt. Eccleſ. c. 4. 5. &c.

Etenim apud Nicomediam, vir quidam de Nobili-

bus, honore & dignitate ſæculi illuſtris, ſimul ut vidit adverſùm Cultores Dei, in foro crudelia edicta pendêre; calore nimio fidei ignitus, publicè populo inſpectante, injectâ manu; librum iniquæ legis detrahit, ac minutatim diſcerpit. Auguſto, (i. Diocletiano) in eadem urbe cum Cæſare, (i. Maximiano) conſtituto, commorante. Ad quos cùm relatum eſſet religioſi & illuſtris viri factum, continuò omni in eum crudelitatis genere deſævientes, ne hoc ſolum efficere quiverunt, ut eum mœſtum aliquis videret in pœnis; ſed læto atque hilari vultu, cum jam viſcera in ſuppliciis defeciſſent, ſpiritus tamen lætabatur in vultu. Ex quo tortores ſui graviùs cruciabantur, quòd omnia ſuppliciorum genera conſumebant in eum, quem ne triſtem quidem ex his reddere poterant.

Apud Nicomediā claruit in primis Nobilis Chriſtiani conſtantia.

Poſt hunc, ad unum ex Dorothei ſodalibus, qui in cubiculo Regis erant, furoris transfertur inſania. Etenim cùm de immenſis ſuprà memorati Martyris ſuppliciis liberiùs loqueretur; educi ipſe jubetur in medium, atque immolare compellitur. Abnuens imperatur appendi, & flagris toto corpore laniari; videlicet ut doloris neceſſitate faceret, quod præcipiebatur invitus. At ille cùm maneret immobilis, viſceribus jam pelle nudatis, jubetur aceto ac ſale perfundi. Cúmque hoc etiam tormenti genus conſtanter ac fortiter toleraſſet, craticulâ prunis ſubterſtratâ, poni jubetur in medio, ibique quod reliquum fuerat in verberibus abſumpti corporis ſuperponi; & non ſubito, ſed ſenſim paulatimque ſuccendi; quo ſcilicet pœna protelaretur in longum. Cúmque Miniſtri ſcelerum, modò corpus hinc, modò inde verſantes, per membra ſingula pœnas inciperent, & ſupplicia renovarent, ſperantes ſe ab eo elicere poſſe conſenſum: Ille firmus in fide, & unus in ſpe, conſumptis jam, & igne reſolutis carnibus ſuis, ultimum ſpiritum in fide lætus exhalat. Tali Petrus, (hoc enim ei nomen

Petrus item Nobilis Aulicus dirè torquetur.

Digitized by Google

erat) martyrio decoratus, verè Petri extitit hæres & fidei & nominis.

Hujus inſtitutor in diſciplina, & Magiſter in Officiis, quæ intra Palatium exhibebantur, Dorotheus erat, Cubiculi regij Præpoſitus, habens ſecum Officio, fide & magnanimitate parem Gorgonium. Quorum inſtitutionibus optimis, omnes penè Cubiculi Miniſtri, in fide Dei vigilanter & liberè perſiſtebant. Dorotheus igitur & Gorgonius, cùm Petrum tam crudelibus, atque immanibus ſuppliciis viderent cruciari; adeunt Imperatorem, & conſtanter ac liberè, Cur, inquiunt, Imperator punis in Petro mentis ſententiam, quæ in nobis omnibus viget? Ut quid in illo crimen ducitur, quod nos omnes confitemur? Hæc nobis fides, hic cultus, & unanimis eademque ſententia. Quos ille cùm in medium venire juſſiſſet, ſimilibus penè ut priores ſuppliciis affectos, ad extremum laqueo appenſos necari juſſit. *Dorotheus & Gorgonius.*

Tunc & Anthimus ipſius Urbis Epiſcopus, in Domini Jeſu-Chriſti confeſſione perſeverans, martyrii gloriam, capitis obtruncatione ſuſcepit. Hunc autem tanquam bonum Paſtorem, viam martyrii præeuntem, univerſa penè gregis ſui multitudo ſubſecuta eſt. Accidit namque apud Nicomediam, ut ipſis diebus, pars aliqua Palatii conflagrarit. Hoc Imperator à noſtris factum falſâ ſuſpicione præſumpſit. Ex quo inæſtimabili furore ſuccenſus, jubet omnes noſtros, acervatim collectos, alios quidem gladio obtruncari, alios ignibus conflagrare. Sed in illis, per divinam gratiam, major fidei ignis ardebat. Denique cùm adſtantes miniſtri interrogarent ſingulos, ſi qui fortè ſacrificaturi vellent dimitti; tam viri quàm mulieres, ne interrogari quidem ſe patiebantur; ſed ultro vel in flammas irruere, vel cædentibus gladiis certatim objectare ſe. *Anthimus Epiſcopus Nicomedienſis.*

Cùm hæc apud Nicomediam gererentur, ubi cruentus & ferox Auctor crudelitatis, piorum carnibus in- *Martyres a-*

Digitized by Google

pud Melitenem, hiabat; haud ſegniùs etiam apud Melitenē provinciā Syriamque, omnes Eccleſiarum Principes carceribus retrudi,&in vincula conjici edictis Principalibus urgebantur; ſimulque cum his ex plebe viri &mulieres,nobileſque & ignobiles rapiebantur. Et fiebat ubique ſpectaculum miſerabile ac fœdum. Subitò namque inveniebatur in urbe ſilentium, in carceribus conſtipatio, in urbe per plateas homo nullus, in carceribus vacuus locus nullus: ut non tam rei ad ergaſtulum duci, quàm civitas tota migraſſe videretur in carcerem. Catenæ, quæ homicidis, adulteris, venerariis, & ſepulcrorum violatoribus fuerant fabricatæ: nunc Epiſcoporum, & Preſbyterorum, Diaconorumque, & Lectorum,atque omnium religioſorum hominum colla conſtringunt; ita ut criminoſis nec vincula ſupereſſent, nec locus ergaſtuli reſideret. Verùm cùm perveniſſet ad Principem, æſtuare carceres, & per innocentium pœnas, locum deeſſe criminoſis; nova rurſum decreta mittuntur, ut ex his qui concluſi erant, ſi quis vellet immolare, liber abſcederet; qui verò abnueret, diverſis pœnarum generibus interiret.

Martyres in Ægypto ſub Diocletiano.

In Ægypto quoque innumerabiles alij, non inferiori gloriâ tam viri, quàm fœminæ; ſed & pueri ac ſenes pro fide Domini noſtri Jeſu Chriſti, præſentem vitam perdentes, futuræ gloriæ beatitudinem quæſivêre. Quidam ex ipſis poſt verbera, poſt vincula,poſt ungulas, poſt flagella, alioſque diverſi generis cruciatus horribiles flammis traditi ſunt; alij in mare præcipitati; nonnulli etiam capite cæſi; ita ut ſponte cervices ſuas ſecuribus darent:nonnulli inediâ conſumpti, alij patibulis affixi, in quibus quidam capite deorsùm preſſo, & pedibus in ſublime ſublatis.

Martyres apud Thebaïda Ægypti.

Sub eodem Imperatore apud Thebaïda, omnem narrationem ſuperat excogitata crudelitas; pro ungulis teſtas fictilium vaſorum adhibebant tortores, quibus omne corpus eò uſque lacerabant, donec totam

carnis eraderent cutem. Mulieres quoque nudas, arte quadam compoſitis machinis, uno pede in excelſum ſuſpenſas, & capite in terram demerſas, indigniſſimo ſpectaculo expoſitas, pendêre per diem continuum ſinebant. Aliàs, ubi vicinæ duæ arbores inveniebantur, vi quadam ab utrâque inflexis contra ſe invicem ramis; eiſque ſingulis ſingulos pedes Martyris obligantes, ſubitò ramos, quos vi inflexerant, relaxabant. Qui cùm ad ſitum ſuum naturali impetu referrentur, diſcerptis, ruptiſque viſceribus, avulſa ſecum membra rapiebant. Et hoc non paucis aliquibus diebus, aut parvo tempore; ſed per annos aliquot, quotidie, quandò minimùm, decem; interdùm autem & centum in unâ die, viri vel mulieres: ſed & parvuli ſupradictis pœnarum generibus trucidabantur.

Verùm & nos, inquit Euſebius, per idem tempus, cùm in Ægypti partibus iter ageremus, oculis noſtris inſpeximus, ut ſedenti pro tribunali ſæviſſimo Præſidi, offerebantur innumeri Fidelium populi, quos ille ſingulos per ordinem confeſſos ſe Chriſtianos, capite plecti jubebat. Cúmque hi certatim ſe, & ſpontè gladio ſubjicerent, confeſſione præmiſsâ, ille inhumanus & crudelis, nec multitudinis contemplatione, nec virtutis eorum magnanimitate permotus, duci nihilominùs omnes, & cædi capite jubet. Egrediuntur cuncti ad contiguum mœnibus campum, non carnificum manibus tracti, sed ſolis fidei vinculis colligati. Nemo defuit, cùm nemo eos ſervaret; ſpontè omnes, imò & alter alterum prævenientes, cervices cædentibus objectabant. Defecerunt carnificum manus, & ſuccedentes ſibi invicem fatigati ſunt; hebetata eſt acies gladij. Videbam feſſos reſidere carnifices, vires reſumere, animos reparare, mutare gladios, diem quoque ipſum non ſufficere ad pœnam. Nullus tamen ex omnibus, ne parvulus qui-

Euſeb. l. 8 c. 9.

Certatim Martirium ſubeunt.

Digitized by Google

dem infans, deterreri potuit à morte. Sed hoc ſolum ſinguli paveſcebant, ne fortè dum properum ſol vergens clauderet diem, ſeparati à conſortio Martyrum remanerent. Sic confidentiâ fidei, conſtanter & fortiter, cum lætitia & exultatione mortem præſentem, velut æternæ vitæ principia, rapiebant. Denique cùm priores quique jugularentur, reliqui non deſidiæ, aut torpori indulgebant; ſed pſallentes, & hymnos Deo canentes, locum quiſque ſui martyrij expectabat, ut hæc agentes, etiam extremos ſpiritus in Dei laudibus exhalarent.

Eorum pietas.

Aliorum ſi velim, inquit idem Euſebius cap. 10. tolerantiæ enumerare virtutes, & exponere robur conſtantiæ; nec mihi tanta copia ſermonis eſt, nec puto aliis, niſi his ſolis, qui oculis ſuis intuebantur quæ geſta ſunt, videri credibilia. Erant enim expoſiti omnibus volentibus pro libidine inferre ſupplicia; & ſi quod aliquis per otium excogitans, novum genus ſupplicij detuliſſet, licebat inferre. Verberabantur ergò alij fuſtibus, alij virgis, flagris quoque alij, nonnulli loris diſtricti, vel funibus appenſi. Et erat ſtudium per ſingulos penè, novum genus invenire ſupplicij. Poſt tergum alij vinctis manibus appendebantur, & trochleis diſtenti, membratim divellebantur: jam verò ungulis exarari, vetus & leve videbatur. Quòd ſi fortè & hoc genus ſupplicij cuiquam fuiſſet adhibitum, non (ut latronibus & homicidis ſolet,) tantùm latera fodiebantur; ſed & venter & femora, ac tibiæ, & uſque ad ungues ungula perveniebat. Sed ne facies quidem & vultus, ac frons à tormentis remanebat immunis. Addebatur & hoc ſuper omnia, ut poſtquàm corpora humana fuiſſent abſque omni humanitate laniata, expoſita in publico, & nudata non ſolùm veſte, ſed etiam cute, crudele cunctis prætereuntibus ſpectaculum fierent. Quoſdam columnis diſtrictos, & poſt tergũ diſtortis brachiis vinctos derelinque-

Nova ſupplicia ad libitum cujuſque.

Digitized by Google

bant. Tanta verò in his crudelitas erat, & in tantum ab eis omnis penitùs humanitatis ſenſus aufugerat; ut poſteaquàm totum corpus, vel tormentis, vel verberibus fuiſſet abſumptum, trahi nudum pedibus rursùm juberetur ad carcerem; atque ibi nervo pedibus concluſis, recentibus adhuc vulneribus rejicerentur in ſolum, teſtarum fragmentis ſubterſtratum. Intereà quamplurimi ad mortem conſtanter & fortiter perdurantes, inventoribus ſcelerum, immaniter intentatæ crudelitatis pudorem non minimum conferebant. Alii verò receptâ corporis ſanitate, ad reparandos denuò agônes, diſpenſatores pœnarum ſponte provocabant. Quos illi erubeſcentes rursùm ad tormenta revocare, ipsâ eorum audaciâ perterriti, capite eos cædi jubebant.

Illa autem, pergit idem Euſebius, quæ apud Alexandrîam geſta ſunt, etiam veterum Poëtarum fabulas vincunt. Ubi obtruncatis auribus, atque inhoneſto vulnere, naribus, truncum obire ſinebant deriſum. Apud Antiochîam verò quomodò recordabor craticulas prunis impoſitas, quibus Chriſtiani ſuperimpoſiti lento igne torrebantur? Sed inter hæc Nobilium duorum juvenum factum memorabile, ſilere æquum non puto: Qui cùm comprehenſi, ſimulacris immolare cogerentur, dixerunt; ducite nos ad aras. Et cùm fuiſſent adducti, manus ſuas ardenti igni ſuperponentes, Si ſubtraxerimus, inquiunt; ſacrificaſſe nos credite. Et quoad uſque caro omnis in ignem deflueret, immobiliter perdurarunt.

Euſebius l. 8. cap. 12. *Martyres apud Alexandriam. Carnificina Martyrum apud Pōtum.*

In regionibus verò Ponti crudeliora gerebantur. Arundines acutæ quibuſdam, ſub unguibus digitorum infigebantur. Aliis plumbum igne liquefactum, & dorſo infuſum, uſque ad loca pudenda, quibus naturalis egeſtio procurari ſolet, infundebatur. Fœminis quoque nerva candentia, & reüſta, ardentia abſque

Digitized by Google

ullo humanitatis, miſerationiſque reſpectu, ingerebantur per pudenda viſcerum, & naturalia ſecreta membrorum. Sed quid faciam, quòd appellationes ipſæ mihi in admiſſis facinoribus deſunt; & geſtorum ſcelerum, nec vocabula, quibus enumerari queant, inveniri poſſunt? Suſtinebant tamen omnia fortiſſimi, & piiſſimi Martyres; cùm optimi & præclari Iudices in eo ſolo ſapientiam ſuam, omnibus futuram in admiratione cenſerent, ſi aliquod novæ crudelitatis ſupplicium inveniſſent. Sed cùm aliquantùm jam, non ratione, aut humanitate, crudelitatis tamen nimietate ſatiati, reſpicere ad immanitatem ſceleris ſui cœpiſſent, deſolatas urbes civibus, rura nudata cultoribus, orbatos filiis patres, & parentes liberis; ad clementiam ſe, humanitatemque convertunt, Edictumque Principale proponunt; Quoniam fas non eſſet tot cives, in quibus fidei ſuæ eſſet obſtinata perſuaſio, morti tradere; placere de reliquo, ut hoc genus hominum nequaquam quidem ſubiret interitum; Omnes tamen, qui hanc ſpeciem Confeſſionis tenerent, dextris oculis ferro effoſſis, eiſdem cauterio aduſtis; ſiniſtro etiam poplite pariter cauterio debilitato, per ſingulas quaſque Provincias, in æris, ferrique metalla, vel operis, vel pœnæ gratiâ deportandos. Hæc fuit clementia Principalis, quâ optimis Civibus conſultum eſt. Sed illi quidem ſuis, (ut videbatur,) vel moribus vel vitiis agebant: Juſtis verò & ſanctis viris, coronæ virtutis & patientiæ parabantur, Domino & Salvatore noſtro, per hæc vel explorante fidem credentium ſibi, vel merita remunerante.

Euſ. l. 8. c. 13.

SECTIO VII.

Aliquot alia exempla conſtantiæ Martyrum ſub aliis Imperatoribus.

HÆc pauca de innumeris quæ inhumaniter in Sanctos Martyres ſub Diocletiano & Maximiano geſta ſunt, breviter delibavimus; quibus non erit abs re, nec opinor ingratum, aliquot alia exemp a conſtantiæ Martyrum, qui ſub aliis Imperatoribus generosè paſſi ſunt, hîc adjicere.

Notum eſt cuique illuſtre ſancti Laurentii, Eccleſiæ Romanæ Diaconi, ſub Valeriano, alii notant ſub Decio, martyrium. Qui cùm diverſorum ſuppliciorum inſtrumenta ſibi ob oculos ad terrorem propoſita cerneret; non tantùm illorum aſpectu non exterritus eſt, ſed potiùs præ gaudio exultans, dixit; ſe jampridem optare ad ejuſmodi epulas invitari, & accedere. Cúmque Tyrannus cæteros Chriſtianos ab eo juſſiſſet prodi; ac theſauros Eccleſiæ ſibi tradi inutiliter popoſciſſet; ille furore accenſus Laurentium fuſtibus delumbari imperavit, laminis candentibus comburi, ſcorpionibus lacerari, os lapidibus contundi; ac tandem ſic diù & crudeliter excruciatum, ſuper crate ferreâ toto corpore extendi, pruniſque ſubter ardentibus lentè torreri. Quo in tormento Martyr Chriſti totâ mente infixus cælo, perſtabat immobilis, & placidè quietus tanquàm in culcitrâ molli, ſereno ac conſtanti vultu, perinde ac ſi ſenſûs expers fuiſſet, aut in alienâ carne pateretur. Ubi autem vidit corpus ſuum dimidiâ jam parte, uſque ad oſſa toſtum; Tyranno piè inſultans, & deſiderio plura pro Chriſto patiendi, *Verſa*, inquit, *corpus in alteram partem, ut undequaque aſſatum ſit.* Quàm admirabilis fuit iſta ani-

Baron. ad an. Chriſti. 261. n. 2.

S. Laurentij conſtantia admirabilis.

Digitized by Google

mi fortitudo? quanta gratia Spiritûs Sancti generoſum illud pectus animabat? Tandem exuſtus undique in omnibus membris, vitâ, tormentorum vi, deficiente, Deum benedicens, ipſique gratias agens, quòd ſe martyrij gloriâ dignatus eſſet, animam ſuo Salvatori reddidit.

S. Aug tract. 27. in Evang Ioan. Ioan. 6. 63.

Quâ ſuper re S. Auguſtinus, tantæ conſtantiæ admirator, hæc ſcripſit; *In illâ longâ morte, in illis tormentis, tanquàm illâ eſcâ, quam optaverat ſaginatus; & illo calice, quem ſitiverat, inebriatus, tormenta non ſenſit. Ibi enim erat, qui dixit; (Spiritus eſt qui vivificat.) Caro enim ardebat, ſed Spiritus & Amor Divinus, qui plenus erat, animam vegetabat.* Is cùm anteà vidiſſet Sixtum Epiſcopum ſuum, ad martyrium duci, flere cœpit, non paſſionem illius, ſed ſuam remanſionem, cum his verbis compellans; *(Quò progrederis ſine filio Pater? quo Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? &c.)* Tunc Sixtus; *Non ego te deſero fili*, inquit, *non te derelinquo; noli mœrere, poſt triduum me ſequêris.*

S. Ambroſius, illius paſſionem deſcribẽs.

Aug. ſuprà.

S Vincentij alacritas in pœnis.

O qualis conſolatio, ait Auguſtinus, non dixit; Noli mœrere fili, brevi deſinet perſecutio, & ſecurus eris: ſed Noli mœrere, quò ego præcedo, tu ſequêris, nec conſolatio tua differetur; triduum medium erit, & mecum eris. Accepit oraculum, vicit diabolum, pervênit ad triumphum.

Baron. an. Ch. 303. n. 9. Marulus l. 5. c. 5.

Celebris item inter alios ſui temporis Martyres, extitit S. Vincentius, Sixti Papæ Diſcipulus, & ſancti Laurentij martyris; qui Valentiæ, vel Abilæ in Luſitaniâ cùm in equuleo ſublatus à Daciano Præſide per ludibrium rogaretur, ubinam eſſet; In ſublimi, inquit, unde te poteſtate terrenâ tumentem altior deſpicio. Graviora minitanti reſpondit, Non minari mihi vidêris, ſed quod votis omnibus concupiveram, offerre. Igitur cùm ungulas, faces, prunas toto cor-

Digitized by Google

pore dilacerato conſtanter exciperet, ait; Fruſtrà fatigaris Daciane; non potes tam horrenda excogitare tormenta, quàm ipſe ſum paratus ſuſtinere. Carcer, ungulæ, candentes laminæ, ludus, jocuſque Chriſtianis ſunt, non tormentum. Poſthæc aliis atque aliis confectis pœnis, cum victoriæ palmâ migravit ad cœlum. Cujus virtutem ſuſpiciens D. Auguſtinus ait; *Beatus Vincentius, verè Vincentius fuit, quia fortiſſimè omnia mortis pericula vicit. Vicit in verbis, vicit in pœnis; vicit in Confeſſione, vicit in tribulatione; vicit exuſtus, vicit immerſus; vicit vivus, vicit & mortuus.*

Ser. 8. in Nat. B. Vincentii.

S. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus, qui ſæpe Chriſtianos ad martyrium, verbis ac ſcriptis hortatus fuerat; ſub Valeriano & Galieno, poſt integrum annum in exilio conſumptum, revocatus ad necem; cùm edictum, quo capite cædendus decernebatur, audiſſet, Deo gratias egit, nihil præ ſe triſtitiæ ferens. Deinde ſuis præcepit; ut ſpiculatori à quo percuti deberet, 25. aureos darent pro mercede; quaſi beneficium ab eo, non interitum accepturus. Itaque oculos ipſe ſudario tegens extenſam cervicem gladio ſubjecit; & prope Carthaginem in conſpectu ſuorum Civium, uti expetierat, capite truncatus, martyrij coronam accepit.

S. Cyprianus ſuo Tortori mercedem jubet rependi.

Baron. ad an. Ch. 261 n. 4. Marul. l. 5. c. 5.

Mira autem fuit ſancti Ignatii Antiocheni Epiſcopi, moriendi pro Chriſto cupiditas. In Trajani perſecutione, damnatus ad beſtias, cùm Romam vinctus duceretur, & jam Smyrnam perveniſſet, ad Romanos, qui fidem receperant, ſcribens, ait; *De Syriâ uſque Romam pugno ad beſtias, in mari & in terrâ, nocte diéque ligatus, cum decem Leopardis, hoc eſt, militibus, qui me cuſtodiunt. Quibus cùm benefecerim, pejores fiunt. Iniquitas autem eorum, mea doctrina eſt; ſed non idcircò juſtificatus ſum. Utinam fruar beſtiis,*

Baron. ad an. Ch. 109 Marul. l. 5 c 5.

S. Ignatii Martyris mira cupiditas moriendi pro Chr:

Digitized by Google

quæ mihi ſunt paratæ, quas & oro mihi veloces eſſe ad interitum, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me; ne ſicut aliorum Martyrum, non audeant meum corpus attingere. Quòd ſi venire noluerint, Ego vim faciam, ego me ingeram ut devorer. Ignoſcite mihi filioli; quid mihi proſit, ego ſcio. Nunc incipio Chriſti eſſe Diſcipulus, nihil de iis quæ videntur deſiderans, ut Ieſum Chriſtum inveniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tormenta diaboli in me veniant, tantùm Chriſto fruar.

Cúmque jam ductus eſſet ad beſtias, & rugientes audiret leones, dixit; *Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar.* A leonibus dilaniatus in theatro, martyrium Romæ feliciter conſummavit.

Baron. ad an. Ch.109 n. 1

Sub eodem Trajano Imperatore, tantò admirabilior fuit ſancti Simeonis Epiſcopi Hieroſolymitani conſtantia, quantò erat viribus infirmior, & ætate provectior; Is enim erat annos natus centum & viginti. In judicium coram Attico Conſulari vocatus eſt, tum quia ex Davidis ſtirpe ortus; tum quia Chriſtianus. Poſtquam verberibus crudeliſſimè cæſus eſt, duriſſimum Crucis ſupplicio martyrium ſuſtinuit.

S. Simeon annorū 120 Crucis ſupplicium. fortiter ſuſtinet.

Baron. ad an. Ch. 310 n. 7

Potamenia puella petit

Plura item in ſexu fragili, enituêre exempla conſtantiæ in fide; ut in Potameniâ, puellâ pulcherrimâ, ancillâ viri Alexandrini; quæ cùm nunquàm ad ſtuprum domini ſui allici potuiſſet, ab eodem tradita Præfecto, eâ ſilenter pactâ conditione, ut ſi ipſius mallet acquieſcere voluntati, quàm tormenta pro fide Chriſtianâ, quam profitebatur, pati, eam reſtitueret; ſin minùs tormentis enecaret: Præfecto inter alia minitanti, ſe eam in vas grande ahenum, ferventi pice repletum, demerſurum: *Per caput*, inquit Puella, *Imperatoris tui, quod tu vereris, obteſtor, ut ſi apud te ſta-*

Digitized by Google

tutum eſt, his me tormentis necare; non ſimul totam, ſed paulatim me in ferventem jubeas mitti picem; ut poſſis videre, quantam mihi dederit ignotus tibi patientiam Chriſtus. Factum ita; Nam per unius horæ ſpatium, paulatim in ahenum candens demiſſa, defecit ubi primùm pix ebulliens ad ejus collum pervênit.

immergi paulatim in picē ferventem.

Inter plurimos, qui Alexandriæ ſub Decio, variis tormentis ob fidem necati ſunt, ſpecialiter admiratione digna eſt S. Apollonia Virgo, jam ætate provecta. Poſt maxillas crudeliter diverberatas, omneſque dentes excuſſos: Miniſtri impietatis, lignis congeſtis rogum extruxerunt, comminantes eam ſe vivam combuſturos niſi cum ipſis pariter verba impia proferret. At illa, ut rogum vidit eſſe incenſum, imperterrita, pauliſper apud ſe cogitans, repentè ex eorum manibus elapſa, ultrò in ignem ſibi paratum proſiliit; ita ut attoniti remanerent ipſi crudelitatis Auctores, quòd promptior eſſet ad mortem ſubeundam fœmina, quàm tortores ad inferendam.

Baron. ad an. Ch. 252

Euſ. l. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 31

S. Apollonia ſeipſam in rogū ſibi paratum projicit.

In ſanctâ autem Blandinâ Chriſtus ſpeciatim oſtendit, quid in naturâ fragili poſſit gratia divina. De eâ ſic ſcribit Euſebius; *Cùm omnes nos, (inquiunt Chriſtiani Epiſtolæ ſcriptores,) trepidaremus ne Blandina cederet in tormentis, & pro debilitate corporis, vix ad primæ confeſſionis tormenta ſufficeret; tantâ tolerantiæ firmitate roborata eſt, ut reſolverentur priùs, & conciderent Carnificum manus, qui ſibi pro contentioſâ Iudicis animoſitate, invicem ſuccedebant. A primâ enim luce uſque ad veſperam, tormenta ſemper innovantes, ad ultimum victos ſe confitentur; ſtupentes quomodò in eâ ſpiritus permaneret, cùm nihil jam in illâ ex corpore per ſupplicia reſiduum eſſet. Sed illa verè beata, ut poſtmodùm nobis ipſa diſſeruit quondàm; quoties vocem*

S. Blādina martyrum.

Euſeb. Cæſarienſ. l. 5. hiſt. Eccl. c. 1. & 3.

Sub Antonino Vero.

Ex Epiſtolâ Chriſtianorum apud Viennam & Lugdunum habitantium, fratribus qui ſunt in Aſia & Phrygia. Vis tormentorum obtundebatur ad hanc vocem, quam

proferebat; Chriſtiana ſum.

Confeſſionis emiſit, & (Chriſtiana ſum,) proclamavit; toties nova vires corpori reddebantur; & tanquàm ablatis per Confeſſionem doloribus, inſtaurabatur recentior ad Agones. Eóque magis quòd intellexerat, quòd vox ipſa ſenſum doloris extingueret, ſæpiùs & alacriùs, (Chriſtiana ſum,) & (nihil apud nos mali geritur) proclamabat.

S. Blandina cruciatus varij.

Blandina ad breve tempus dimiſſa à tortoribus, ad ſupplicia ſecunda revocatur. Quæ cùm ſemiviva penè, & in mortis confinio poſita, iteratis fuiſſet pulſata cruciatibus, velut è ſomno quodam evigilans, mirabiliter quaſi reviviſcens, & in Chriſti confeſſione perſiſtens, iterum in carcerem, Martyrum ſocia, retruditur. Poſt multos, igne & omnium pœnarum ſuppliciis cruciatos; Blandina rurſus inducitur cum Pontico, annorum ferè 15. puero; qui in piorum cruciatibus juſſi fuerant ſemper adeſſe, quò magis videntes cæterorum ſupplicia terrerentur. Statuuntur ergo in medium, & jubentuc jurare per Deos. Illi è contrario nullos eſſe aiebanr iſtos, per quos jurare cogerentur. Cúmque compluribus aliis verbis exprobrarent Gentium deos, inſanire in eos cœpit populi multitudo; neque teneram pueri ætatem, neque ſexum fœminæ miſerantes: ſed per omnia tormentorum genera, quaſi quodam eos circulo peragentes, nihil deeſſe pœnis patiebantur, quod crudelitas inveniſſet. Tunc Ponticus maximum patientiæ robur, maternâ cohortatione ſuſcipiens, & perſeverans in Confeſſione fidei, impollutum ſpiritum Deo reddidit.

Beata verò Blandina ultima omnium, velut omnium nobis mater, præmiſſos ad palmam martyrii filios, inſequi jam ſecura feſtinat, exultans, & ovans, velut ad thalamum Sponſi invitata & ad nuptiale convivium. Ex quo fiebat, ut in verberibus tripudiaret, & craticulis exuſta gauderet; ac tam hilaris & læ-

ta

Digitized by Google

ta videretur, quaſi inter regias dapes accubaret. Poſt hoc ad beſtias traditur, ſed ab his intacta perdurat. Inde etiam excogitatur aliud crudelitatis genus; ut reti conſtricta abjiceretur tauro ferociter inſtigato. A quo cùm fuiſſet innumeris ictibus laceſſita, & toto arenæ ambitu jactata, nihil penitùs læditur, ſed permanet læto, ut ſemper, vultu; mente conſtanti; ſpe ipſâ, & animi præſumptione cum Chriſto colloquens. Ad ultimum, jubetur gladio jugulari; ſtupentibus etiam ipſis impiis, & dicentibus, quòd nunquàm fuerit fœmina, quæ tanta & talia ferre potuerit.

Ad ſanctæ Blandinæ imitationem, Diaconus quoque, Sanctus nomine, etiam ſuprà quàm dici poteſt, & ſuprà quàm videtur ferre poſſe naturam humanam, acriùs inſiſtentibus miniſtris dæmonum, quò aliquid ab eo elicere poſſent confeſſionis illicitæ, nova pœnarum genera pertulit, & quæ longè ſubſtantiam humanæ conditionis excederent. At ille vir Deo plenus, intantùm eorum crudelitates irriſit, & ferinam in quæſtione ſævitiam, ut nunquàm dignatus ſit, vel quis eſſet genere, unde domo vel patriâ, nomen ſaltem ſuum eis fateri. Sed de his ſingulis interrogatus, nihil aliud in omnibus tormentis, niſi Chriſtianum ſe eſſe reſpondit. Hoc mihi nomen, hoc genus, hoc patria eſt, inquiebat; aliud omnino nihil ſum, quàm Chriſtianus. Unde & eos incredibilis agitabat inſania, quòd tantis pœnarum generibus conſumptis, extorquere ab eo, ne profeſſionem quidem proprii vocabuli potuiſſent. Ad ultimum, candentes laminas æris & ferri ad inguinis loca, & delicatiora quæque membrorum, inſtauratis ignibus adhibebant. Ex quo carnes ejus aduſtæ igne defluebant; ipſe verò permanebat immobilis, inconcuſſus, intrepidus, cæleſtibus æterniſque fontibus, qui procedunt à Chriſto

Euſeb. ibid. c. 1 ex eadem Epiſt.

S. Diaconus nomine ſuo ſuppreſſo, nihil aliud ad interrogata reſpondebat, niſi Chriſtianus ſum.

Ieſu, humanas in ſe temperans flammas. Verumtamen membris omnibus martyr erat, & toto corpore unum vulnus horrebat, perierat in eo humanæ formæ agnitio, & non ſolùm quis eſſet, ſed & quid eſſet, tormentorum crudelitas, ne agnoſci poſſet, abſtulerat. Chriſtus tamen in eo ſolus, per martyrii gloriam, recognoſcebatur, qui per ejus patientiam, deſtruebat adverſarias poteſtates, & ſuos milites per tolerantiæ roborabat exemplum; oſtendens omnibus, quia nihil terribile eſt, ubi diligitur Pater; nihil doloris eſt, ubi fides Chriſti.

Ardor patiendi in Chriſtianis. Baron. ad an. Ch. 104 n. 3. Tertull. ad Scap. c. ult.

Non tantùm verò in Martyribus admirabilis fuit patientiæ fortitudo, ſed etiam ardor patiendi: id quod uno aut altero exemplo notum fiet. Inter tempeſtates perſecutionum, adeò in immenſum creverat Chriſtianorum multitudo in Aſiâ, ut unius tantummodò Civitatis populus Arrium Antoninum, Aſiæ Proconſulem in ſtuporem magnum adduxerit. Hic enim, (ut ait Tertullianus,) cùm perſequeretur inſtanter eos, qui fidem Chriſti ſuſcepiſſent: accidit aliquando, ut cùm in unâ Civitate, de eâ quæſtionem haberet, omnes ante tribunal ejus ſe, manu factâ, obtulerint. Tùm ille, paucis duci ad martyrium juſſis, reliquis ait; *O miſeri ſi cupitis perire, præcipitia & reſtes habetis.*

In una Civitate omnes ſe ſiſtunt ad Tribunal Præfecti Chriſtianos citantis Ruff. l. 11. c. 11. c. 5. Baron. ad ann.

Edeſſa Meſopotamiæ urbs fidelium populorum eſt, ſancti Thomæ Apoſtoli reliquiis decorata. Ubi cùm Imperator Valens populos vidiſſet Eccleſiis ejectos, in campo habere conventiculum; tantâ dicitur iracundiâ accenſus, ut Præfectum ſuum pugno percuteret, quòd non fuiſſent inde quoque, ſicut juſſerat, deturbati. At ille licet eſſet Paganus, & injuriis ab Imperatore affectus: tamen conſideratione humanitatis, alterâ die ad vaſtandum populum proceſſurus, facit hoc ipſum Civibus per occulta indicia clareſcere, quo ſcilicet cavere ſibi poſſent, ne invenirentur in loco. Manè proceſſurus, terroremſo-

Digitized by Google

llto majorem, per Officialem, movet, agitque omnia, ut quàm pauciſſimi, vel ſi fieri poſſet, nulli periclitarentur. Videt tamen frequentiorem ſolito populum tendere ad locum, currere præcipites & feſtinare, tanquàm vererentur, ne quis deeſſet ad mortem. Intereà videt quandam mulierculam, ita feſtinam & properam domo ſuâ prorumpere, ut nec clauderet oſtium, nec operire ſe, ut mulierum habitum decet, diligentiùs potuiſſet; infantem quoque parvulum, ſecum trahentem, curſuque rapido, irrupto etiam Officii agmine, feſtinantem. Tum ille ultrà non ferens; Apprehendite, inquit, mulierem, & huc deducite. Cúmque fuiſſet adducta; Quò, inquit, mulier infœlix properas, tam feſtina? Ad Campum, ait, quò Catholicorum populus convenit. Sed annon, inquit, audiſti, quia Præfectus illuc pergit, ut omnes interficiat, quos invenerit. Audivi, inquit illa, & ideò feſtino, ut ibi inveniar. Et quò, inquit, parvulum iſtum trahis? Ut & ipſe, ait, martyrium conſequi mereatur. Quæ cùm audiſſet vir moderatiſſimus, redire Officium, & converti vehiculum ad Palatium jubet. Et ingreſſus ait; Imperator, ſubire mortem ſi jubeas, paratus ſum; Opus verò quod præcipis, implere non poſſum. Cúmque edocuiſſet cuncta de muliere, Imperatoris repreſſit inſaniam. Hæc Ruffinus.

Ch. 371. n. 8.

Omnes Chriſtiani currunt ad locum Martyrii. Et inter alios Mater cum puero ſuo.

Pluribus exemplis innoteſcet hæc conſtantia Martyrum ex dicendis infrà, ſect. 9.

Sectio VIII.

Fortitudo & conſtantia Martyrum non aliunde proceſſit, quàm à virtute Divinâ.

Ex his quis non videt, tantam, támque mirabilem Martyrum conſtantiam, eſſe viribus naturalibus ſuperiorem? Ubi enim unquàm auditum eſt, homi-

Digitized by Google

nes, ob ſuam, ad aliquam doctrinam, adhæſionem; ultrò & liberè tam atrocia tormenta pertuliſſe; tantâ animi firmitate, & alacritate paſſos eſſe; tanto deſiderio arſiſſe, mortem per cruciatus oppetendi pro alicujus gloriâ & defenſione? Certè quamvis nonnulli memorentur ex hominibus facinoroſis, barbaris aut hæreticis, qui naturaliter mortem, aut etiam breve tormentum ignis conſtanti vultu ſubierint: tamen ſi attentè conſiderentur omnes circumſtantiæ paſſionis Martyrum, eorumque conſtantiæ; evidenter conſtabit, hanc non potuiſſe aliundè, quàm ex virtute & gratiâ divinâ illos intus roborante, procedere. Neque enim in paucis duntaxat, enituit ejuſmodi fortitudinis robur, ſed in multis Martyrum millionibus; qui tormenta ſuſtinuerunt non coacti, ſed ſponte, cùm ſe, aliquâ tantùm fidei diſſimulatione facilè poſſent ab iis vindicare. Neque ſolùm mortem ſubiêre libenter, aut levem aliquam pœnam; ſed omnia ſupplicia, & omnis generis cruciatus quos tyrannorum rabies excogitare potuit, ſua conſtantia pervicêre. Non enim mens illorum erat, mortem, tanquàm criminis pœnam inferre, ſed torquere quà igni, quà ferro, per omnes corporis partes, & ſingula membra, donec fidei Chriſtianæ abnegationem extorquerent. Unde illa tormenta ut plurimùm non unius horæ, vel diei fuêre; ſed multorum menſium, atque interdum annorum: reperti ſunt enim, quorum fortitudo per viginti & triginta annos, quorumlibet ſuppliciorum varietate & ſucceſſione explorata, ſuperari nunquam valuit. Prætereà Martyres fuerunt, non ex robuſtioribus quibuſdam viris ſelecti; ſed omnis conditionis, ſexûs, & ætatis. Viſi ſunt enim plerique infantes & pueri vixdum rationis uſu pollentes, lumine tamen fidei ſatis illuſtrati, qui ad martyrium, tanquàm ad mammas matris avidè cucurrerunt. Adoleſcentes vi-

Tanta martyrum fortitudo, & tam ardens morien di pro Chriſto, deſiderium, non potuit eſſe à natura ſed à ſolo Deo.

Digitized by Google

tæ tantùm primordia deguſtantes : Viri maturæ ætatis, judicio & ſapientiâ præditi, mundi ſibi arridentis blandimenta deſpicientes : effœtis viribus ſenes, tormentis ferendis, ut videbatur, impares : fœminæ quoque & innumeræ Virgines, teneræ ac delicatæ, quibus vel aſpectus enſis diſtricti, terrori eſt.

Hi omnes, cunctis honoribus, fortunis, libertate, vitâque ipsâ contemptis; non tantùm morti, (quæ malorum cenſetur extremum,) ſed etiam omnibus ſuppliciis, tanquàm victimas Chriſti ſe ultro tradidêre, tyrannos cruciandi labore fatigavêre. perſecutorum artes, & inventa excarnificandi, ſua patientia exhausêre; in equuleis, in craticulis ardentibus, in ſartaginibus, pice & plumbo liquefacto accenſis, immobiles & quieti, tanquàm inſenſibiles permansêre; plura mortis genera ſuſtinuêre, quàm haberent membra; ardentiùs concupierunt mori, quàm nos vivere.

Unde hoc, quæſo? potuítne natura eſſe tantæ fortitudinis & conſtantiæ cauſa? Erántne forſan faſcinati, aut dementati, viri & fœminæ adeò ſapientes, ut quæ maximoperè abhorret natura, hæc affectu naturali expeterent, aut amarent? Annon in illis vigebat innatus cuique amor vitæ, metus mortis & ſuppliciorum horror? An alio fortè quàm nos, corporis habitu conſtabant? Minimè? Unde igitur inſtigabantur ut ſui ipſorum fierent homicidæ voluntarii? Nemo eſt, opinor, quin judicet tantum ardorem pro Chriſto moriendi, patientiam tam mirabilem & inconcuſſam, viribus humanis ſuperiorem fuiſſe, nec aliundè quàm ex ſpeciali & inuſitato gratiæ cæleſtis auxilio manare potuiſſe. Chriſtus videlicet pro quo certabant, cum illis pugnabat, & in illis vincebat. Nam, ut ait S. Cyprianus, *Sic Chriſtus eſt certaminis ſuorum ſpectator, ut ſervos ſuos non tantùm ſpectet; Sed & ipſe luctatur in*

Non erant dementati martyres, ut ſpontè & ex naturali inſtinctu proſilirent ad ſupplicia, & ad mortem.

S. Cypr. Ep. 9. ad Martyres.

Digitized by Google

nobis; ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri, & coronat pariter & coronatur.

Ex his evidenter conficitur, Deum iſtâ Martyrum, quos intùs roborabat, conſtantiâ, & auxilio ſingulari, quod illis ad patiendum ſubminiſtrabat, manifeſtum Divinitatis Chriſti, pro quo moriebantur, teſtimonium exhibuiſſe.

Sectio IX.

Miracula ab ipſis Martyribus, vel in eorum gratiam edita.

Multa confertim miracula in gratiam Martyrum edita.

QUarta Circunſtantia quæ in Martyrum Chriſtianorum paſſionibus ſpectari debet, per quam etiam ab Hæreticorum pœnis viſibiliter diſcernuntur; ſunt frequentia miracula quibus Deus illorum ſupplicia illuſtravit, ſive per ipſos, ſive in eorum gratiam edita Sæpiſſimè enim vim ignis, equulei, ſcorpionum, rotarum, aliorumque tormentorum eliſit; terræ-motus excitavit, rabiem ferarum mirabiliter demulſit, idola evertit, Præfectos impietatis ſubitâ morte oppreſſit, Martyrum vulnera repentè ſanavit, aliáque multa in eorum morte prodigia oſtentavit; Poſt-mortem verò eorundem corpora, & reliquias plurimis miraculoſis effectibus decoravit.

Actor. c.12.v.7. S. Petrus ab Angelo mirabi-

Prædictarum rerum plurima nobis exempla ſuppetunt; ſed ad præſens inſtitutum, aliqua delibaſſe ſufficiet. Ac 1°. Nemini ignotum eſt quod de ſancto Petro narrat ſanctus Lucas, Cùm ab Agrippa Rege conjectus eſſet in carcerem, ut Judæos ſibi devinciret; poſt inſtantem Eccleſiæ ad Deum deprecationem, ipsâ nocte diem præcedente, quo Rex eum erat ad populum producturus, dormiens excitatur ab Angelo,

Digitized by Google

& fractis duabus catenis, quibus erat vinctus, januis ſe ultrò aperientibus, è carcere in libertatem eductus eſt, cuſtodiâ militum nihil advertente. Quæ Petri vincula poſteà divinitùs inventa, Romam delata ſunt, ubi magnâ veneratione culta, multis miraculis coruſcarunt, ut ſcribit Baronius. *liter educitur e carcere, catenis fractis.* B.ron. ad ann. Ch.459

Qui item refert de ſancto Paulo, ex antiquis & probatis Auctoribus, cùm Caput ipſi truncatum eſt, duplex contigiſſe miraculum: primum, quòd non tam ſanguinis fluenta è ſectis venis, quàm lactis, largiter fluxerint. Alterum, quòd è trino ſaltu capitis exciſi, tres ibidem eruperint fonticuli dulcis aquæ: Unde locus, trium fontium, dictus eſt; qui frequenti Chriſtianorum concurſu viſitatur. Baron. ad.ann. Ch. 69. n. 5. *Duplex miraculum in obtruncatione ſancti Pauli.*

Omninò memorabile eſt, quod certa teſtificatione traditur de ſancto Clemente Papa, qui ſub Trajano, martyrio coronatus eſt. Cùm enim ſanctus Pontifex in Cherſoneſo degeret, quò fuerat relegatus; miſſus illuc Aufidianus Præſes, poſtquàm plurimos Chriſtianos diverſis tormentis necaſſet; cùm videret omnes ad Martyrium gaudentes accedere, parcens multitudini, ipſum Clementem aggreſſus, quòd diis ſacrificare nollet, in medium maris duci, & anchorâ collo ſuſpenſâ, in profundum præcipitari juſſit, ne poſſent Chriſtiani corpus ejus tollere, & ſicut aliorum Martyrum venerari. Ideo enim, ut Euſebius, & alij ſignificant, Chriſtianorum corpora ſolebant perſecutores, flammis aut fluctibus tradere, ne reliqui fideles illa conſueto more venerarentur. Sed ſicut & aliorum quàm plurimorum ſacræ reliquiæ fuêre divinitùs ad honorificam ſepulturam reſervatæ: ita & S. C[illegible]mentis corpori accidiſſe, Chriſtiani compertum habuerunt; cùm ipſis ad littus orantibus, mare ad tria milliaria recedens, iter eis præbuit ad ædiculam marmoream, conſtructam in templi formam, in qua Baron. ad ann. Ch.102 n. 1. & 2. *Mare recedês*

Digitized by Google

Iter præbet Chriſtianis ad corpus ſancti Clementis adeundum venerationis gratia.

corpus Martyris, intra arcam lapideam conditum invenerunt; & juxta illud Anchoram, quâ merſus fuerat. Quod miraculum poſteà per longa tempora, ſingulis annis, recurrente ejus Martyrij die, repetitum eſt, mari iter per ſeptem dies, præbente populis ad ſepulcrum Martyris undique, orationis causâ, concurrentibus.

Baron. ad an. Ch. 303 n. 13. Marul. l. 5. c. 6. Martyrol. Ro. 13. Decemb.

Sancta Lucia immobilis perſtat; & à flãmis non cõburitur.

Nec minùs ſtupendum quod contigit ſanctæ Luciæ Virgini Syracuſanæ. Cùm enim Paſchaſius Præfectus eam lenonibus tradidiſſet, ut in proſtibulum duceretur ad ejus virginitatem violandam: illam nullâ unquàm vi, ſeu hominum funibus trahentium, ſeu boum plurimis jugis additis, loco movêre potuerunt. Inde Tyrannus jubet lignorum ſtruem, pice & oleo acriùs incenſam, circa Virginem componi, ad eam flammis conſumendam. At illa inter flammas illæſa, nihilque ſentiens, Deo gratias agebat. Itaque dum Paſchaſius fureret, quòd ſe à fœminâ victum videret; quidam ex lictoribus diſtricto enſe, Luciæ jugulum transfodit; nec tamen illa mori potuit, donec Euchariſtiæ ſacramentum de manu Sacerdotis accepit, illoque vegetata, ad cœlum abiit.

Mammillæ crudeliter abſciſſæ ſanctæ Agatha, divinitùs reſtituuntur.

Plenum item fuit miraculis martyrium ſanctæ Agathæ Virginis Catanenſis. Illa Quintiano Siciliæ Proconſuli extrema minitanti, niſi thus diis offerret, generosè reſpondit, ſe Deo vero ſacrificaturam, non dæmoniis. Cúmque fidiculis, equuleoque vexaretur, dixit ſe iis pœnis non affligi, ſed delectari. Ideò jubente Quintiano, mammillæ crudeliter ipſi abſcinduntur. Hæc autem ad Quintianum converſa, ſic eum affata eſt; *Impie, crudelis, dire tyranne, non te pudet in me amputare, quod in matre ſuxiſti? Sed nihil proficis; habeo enim quas avellere non potes, interiores fidei, ſpeique mammillas, quarum alimento reparatur in me ſuſtinendi virtus.* Poſtea Petrus Apoſtolus ipſi in

Digitized by Google

carcere poſitæ apparens, plagam ejus illicò curat; & locus, antè tenebris horrens, pædoreque moleſtus repentè illuſtratus, odore ſuavi perfunditur. Attoniti eo miraculo Cuſtodes, eam reſeratis januis hortantur, ut abeat. Sed illa, ne, ſtans in limine victoriæ, pedem referendo, præmium amitteret, nequaquam diſcedere voluit. Poſtero die, Quintiani juſſu, ſuper prunas teſtis permixtas, aliquamdiù volutata torquetur ſimul, ac laceratur; fluenteque ubertim ſanguine Ignis extingui cœperat, cùm tam immane facinus terra non ferens, contremuit; pars muri quaſſata, Quintiani aſſeclas oppreſſit ruinâ. Virgo rursùm carceri reddita, cùm vitæ finem exoraſſet, obdormivit in Domino. Quintianus cum equo, cui inſederat, in fluvium præcipitatus, nuſquàm comparuit. *Alia miracula in ejus Martyrio.*

Illuſtre quoque prodigiis fuit ſanctæ Agnetis Martyrium. Hæc fuit Virgo Romana, omnium ſcriptorum memoriâ celebrata, quæ cùm eſſet annorum duntaxat 12. & Præfecti Urbis filium, nuptias ſuas ambientem deſpexiſſet, riſiſſetque minitantem; dum impij eam denudant ad contumeliam caſtitatis, Dominus miro capillorum incremento, veſtivit; & dum ad proſtibulum trahunt, ſuâ luce tutatus eſt; infamem locum micantis fulgoris decore illuſtrando; qui corruptores horrore perculit, & in fugam convertit. Procum autem illum, libidinis furiis agitatum, cùm ad eam irruiſſet, morte repentinâ mulctavit. Illa in medias projecta flammas, non eſt aduſta; ſed ignis diſſipatus crudelitatis miniſtros invaſit, & inſonti parcens, contra nocentes converſus eſt; Elemento, Dei voluntati obſequente. Tandem trajecto per jugulum gladio, intactam Virginitatem, Chriſto ſponſo, cui eam voverat, moriens obtulit. Baron. ad an. Chriſti 303. n. 5 Marulus. l. 4. c. 8. & l. 5. c. 6. Prudent. in hymno. S. Ambr. ſerm. de martyrio ſanctæ Agnetis. *Miracula ad martyrium ſanctæ Agnetis*

Quis neſciat item, quantis miraculis illuſtrem Deus reddidit S. Catharinam, pro fide Chriſti pugnantem Baron. ad an. Chri-

Digitized by Google

Sti 307. n. 6. Marul. l. 5. c. 6 Euſeb. Cæſar. l. 8. hiſt. c. 18. &c. Petr de Natal. & Metaph.

& patientem. Hæc fuit Virgo, ſanctitate magis, quàm regiâ ſtirpe, nobilis, atque inter Alexandriæ Ægypti puellas pulcherrima; plus tamen virtutibus, quàm formâ præcellens. Cùm Maximinus Cæſar Chriſtianos ad deorum cultum tormentis cogeret; illa in medium prorumpens, Cæſarem generosè increpuit; Martyres ſpe præmij confirmavit; quinquaginta Philoſophos, contra ſe adductos, diſputando vicit; ita ut ad Chriſti fidem converſi, pro ejus nomine, quod antè impugnaverant, jam mori non formidarint. Quam ob cauſam & ipſa ſcorpionibus cæſa, in carcerem detruſa, fame ſitique afflicta, ab Angelis viſitatur, atque alitur. Inde cùm conſtans in fide permaneret, multoſque ad Chriſtum traduxiſſet, rotis applicatur, ita arte compoſitis, ut in orbem actæ, multiplici mucrone alligatam ſtatim diſcidiſſent; niſi ſubitò vi divinâ, veluti fulminis ictu, cum fragore ruentis, ipſa tormenti moles fracta, diſſiliiſſet. Itaque Virginem illæſam reliquit; ſed magnam infidelium turbam violento fragmentorum excuſſu proſtravit. Cæteri qui evaſerunt, ferè omnes in Chriſtum credidêre; martyrioque, cum Fauſtinâ Cæſaris conjuge, & Porphyrio militum Magiſtro, coronati ſunt.

Miracula ad Martyrium ſanctæ Catharinæ.

Cùm ergo Catharina tantam fidelium multitudinem ad cœlum ante ſe præmiſiſſet, & jam eos ardenter cuperet ſequi, obtruncata eſt. Vulnus lacte manaſſe, conſtanter aſſertum eſt, quod ſcilicet Virginalem puritatem atteſtaretur. Ejus corpus ab Angelis, (ut fert traditio communis,) inde uſque ad montem Sinaï delatum eſt; ut ubi à Deo data lex fuit, ibi ejus monumentum reſideret.

Baron. ad an. Chr. 286. n. 3. S. Am-

Vulgare eſt, quod ſancto Sebaſtiano contigit. Is ex Galliâ Narbonenſi oriundus, cùm eſſet primæ Prætorianorum cohortis ductor, multos Chriſti Martyres exhortationibus ſuis in fide retinebat. Quam ob

Digitized by Google

cauſam delatus ad Imperatorem Diocletianum, ipſius juſſu in aperto campo, à militibus, hericij inſtar ſagittis confixus, cùm pro mortuo projectus eſſet, divinâ ope paucos poſt dies convaleſcens, obviam Imperatori factus, ejuſque impietatem liberiùs redarguens, virgis ad necem uſque & fuſtibus cæſus eſt.

brof. in Pſal. 118.

S. Sebaſtianus ſagittis confixus, & pro mortuo habitus, ſtatim convaleſcit.

Martyribus Florentio & Hilario, propter egregiam confeſſionem de Chriſto, primùm à Paganis exſectæ ſunt linguæ: deinde cùm nihilominùs, perinde ac ſi linguas adhuc habuiſſent, ad fidem commendandam loquerentur: gladio percuſſi interiêre.

Petrus de Natalibus ex Adonis Martyrologio. & Sigebertus.

Florentius & Hilarius linguis abſciſſis loquuntur.

Aretij Tiburtius Præfectus, Pergentinum & Laurentinum fratres, ne Chriſtum prædicarent, ſuaſionibus primùm, blanditiiſque lactat. Ubi id parum valere vidit, comprehenſos, fuſtibus verberari jubet; verberantium brachia aruerunt. In carcere concluſis cibum denegat; ab Angelo illîc aliti ſunt. Eductos, ſuper candentes prunas, nudis pedibus ambulare cogit; ſed illi, ut ſuper arenam ambulaverunt illæſi. Allato Jovis ſimulacro, ut adorarent, minaciter imperat; illis autem Jeſum invocantibus, æneus Jupiter in pulverem ſolutus periit. Multi Gentiles inde ad fidem converſi ſunt. At impiiſſimus Tyrannus poſtremò eos capite truncari juſſit.

Marul. l. 2. c. 8.

Miracula ad martyrium SS. Pergentini & Laurentini.

Nicetæ Martyris non tantùm pœnas; ſed etiam miracula operoſum eſt recenſere. Eas Nicomediæ à Maximino Rege paſſus eſt, avunculo ſuo magno; ſed primùm ab Infideli patre. Nam cùm Deos argenteos, domi ſublatos confregiſſet, egeniſque erogaſſet; ligatur à Patre, & bubalis nervis acerrimè flagellatur. Mox ab Angelo, ſpiritali conſolatione recreatus, & in cœlum ſuſpicere juſſus, vidit manum, coronam incredibilis decoris indè ſibi porrigentem; ex quo, majori patiendi cupiditate incenſus eſt. Et cùm ei ſuper plumeum ſtratum vinculis colligato, molliterque

Marulus l. 5. c. 5. *Miracula in martyrio ſancti Nicetæ.*

compoſito, meretriculam adduxiſſent; linguam dentibus præſectam, in illius faciem exſpuit, & ſtupore attonitam diſcedere coëgit.

Inde ſuper carrucam, clavis præacutis aſperatam, nudus collocatur; ut dum raptaretur, ipsâ quaſſatione crebriùs, & undequaque ſauciaretur. Sed ipſo orante, omnes illæ ferreæ cuſpides, palearum inſtar molleſcunt. Cúmque ſic lædi non poſſet, atrociora excogitantur tormenta; hamo ori indito ſuſpenditur; ferro candente per utramque aurem transforatur; per latera quoque pilo perfoditur. Mira res, tot lethalibus plagis affectus, mori non poterat. Hinc etiam per pedes à terrâ ſuſpenſus, fumo cruciatur, moxque in pyram cremandus projicitur; & tamen inde quoque evadit inoffenſus. Manibus pedibuſque truncatur, & ſuper candenti laminâ, mutilatis cruribus inſiſtere cogitur; in foveam altæ profunditatis projicitur: Sed & inde membris omnibus ab Angelo redintegratis, vivus incolumiſque educitur. Poſt hæc venenum ſibi propinatum hauſit ſine noxâ, ac mortuos quoſdam precibus adhibitis ad vitam revocavit. Quo miraculo ad Chriſtum converſi, nondùm tamen Chriſtianiſmi moribus imbuti, motâ ſeditione, in Regem impetum faciunt, & fruſtrà fugere conantem interimunt. Niceta verò, cùm illos baptizaſſet, Eccleſiaſque aliquot conſtruxiſſet, ad Dominum tranquillo vitæ exitu migravit. Verè Niceta, qui tot tormenta vicerit; & de cujus nece non licuerit Tyranno gloriari.

Bonfinius l. 4. dec. *S. Nicaſius avulsâ cervice loquitur.*

Obſeſſis ab Attila Remenſibus in Galliâ, Nicaſius Epiſcopus, cum ſorore Eutropiâ, populum ad mortem conſtanter pro fide tolerandam adhortati; ad Deum pro auxilio exorandum in ædem ſacram conveniunt. Nicaſius diù fruſtra placidis verbis, irrumpentes hoſtes mitigare conatus, obtruncatur. Caput

cervice avulſum, ſubinde divina verba protulit, illudque in primis; *vivifica me ſecundùm verbum tuum, Domine.* Eutropia verita ne ad ſtuprum reſervaretur, in fratris interfectorem infeſtis unguibus inſiliit, eique oculos eruit, quo facto confeſtim ab aliis interficitur. Cæteri omnes ad unum cæſi, tantumque ſanguinis effuſum eſt, ut per totam urbem decurrens vicos inundaret. Hinc horrenda monſtra ſubſecuta; Cæleſtium numinum acies quaſi per urbem diſcurrere videbantur; voces in templis, & planctus audiri: inſani per noctem viſi lemures, horrendique apud aras ſonitus auditi. Quare tantus hoſti terror inceſſit, ut urbem deſeruerit.

Alia miracula in ejus, aliorūque ſimul occiſorum martyrio.

Civium cadavera, quæ paſſim & coacervatim ſtrata jacebant, ab omni corruptione immunia, divino quodam miraculo ſervata, miro odore fragrabant. In deſertâ urbe, multa nocte lumina cernebantur, ſuaviſſimi cantus audiebantur. Pauciſſimi, qui è tantâ cæde ſuperfuerant, divinoque juſſu ſe in patriam receperant, ſancta corpora incorrupta, & ſuaviter redolentia, humo condiderunt; in primiſque Pontificis truncum, nobili ſepulturâ donarunt; Eutropiam virginem prope ſepelierunt.

Non eſt autem prætereundum ſilentio miraculum inſigne & certum, quod Deus in gratiam ſancti Ioannis Damaſceni, imaginum ſacrarum defenſoris, operatus eſt. Quod apud Baronium ſic exponitur. Anno Chriſti 728. cùm Leo Iſauricus Imperator Iconomachus, audiviſſet ſe ſcriptis ſancti Joannis Damaſceni fuiſſe haud mediocriter læſum, ad vindictam reponendam, tacitâ fraude, per quoſdam è ſuis egit, ut aliquam manu ejuſdem Joannis exaratam Epiſtolam nanciſceretur; eâque à Notariis quibuſdam ad imitandos characteres propoſitâ, aliam confinxit & ſuppoſuit Joannis nomine tanquàm ad ſe ſcriptam,

Baron. ad an. Chriſti 728. n. 1.

Sancto Damaſceno præciſa manus reſtituitur.

pro ſuſcipiendâ oppugnatione regiæ Saracenorum civitatis Damaſcenæ; eamque ad Saracenorum Principem tranſmittit. Quâ ſibi à Barbaro oſtensâ, Joannes literarum quidem formas, ſuis ſimiles eſſe confeſſus eſt: ſed quæ in iis continerentur, nunquàm ſcripſiſſe, aut cogitaſſe affirmavit.

At barbarus Princeps, magis credens Imperatori, quàm veritati, dexteram Joannis amputari juſſit. Qui domum ſe recipiens, in Oratorio ſuo, ante imaginem Dei genitricis provolutus, magnâ fide exciſam manum, priſtinæ ſuæ commiſſuræ admovit, ac ferventibus orationibus à B. Virgine, ejus integram reſtitutionem expetiit; quò poſſet ejus miniſterio, Chriſti Domini, ejuſdemque ipſius matris laudes ſcriptis celebrare. Nec mora, cùm obdormiviſſet, viſione potitus ſanctæ Dei-Genitricis, dein experrectus manum ſanatam reperit, lineâ tantummodò quadam relictâ, quâ locus exciſionis deſignaretur. Eâ re cognitâ, cùm vellet Princeps eum priſtinæ dignitati reſtituere: ipſe impetratâ ægrè permiſſione, cunctis ſuis bonis, pauperibus, propinquis, & Eccleſiis, diſtributis, Hieroſolymam primò, indeque Syriæ eremum petens, apud ſancti Sabæ lauram, monaſticam vitam egregiè excoluit.

Denique ut horum miraculorum narrationem abſolvam, illuſtre protectionis divinæ in Martyres, exemplum profero, ſumptum ex Euſebio, qui rem ſuis oculis ſe vidiſſe teſtatur. *Nos*, inquit, *non audita, ſed oculis noſtris inſpecta narramus. Exquirebantur diverſa tormentorum genera, ſibi invicem ſuccedentia. Flagris primùm per totum corpus, Dei Martyres carpebantur; poſt hæc tradebantur ad beſtias; adhibebantur leones, urſi, pardi, atque omne ferarum genus; apri quoque & tauri, quibus ferro & igni feritas addebatur. Præparabantur hæc omnia adverſus cultores*

Euſebius Cæſarienſis l. 8. hiſt. Eccleſ. c. 7. Sub Diocletiano ad an. Chriſti 304.

Digitized by Google

Dei, & omnis contra eos, hominum beſtiarumque, & Elementorum crudelitas armabatur. Ad hæc Dei cultores denudati ſtatuuntur in medio arenæ loco: additur adhuc arte, intra caveas, beſtiis furor; & ita ſæviores ſemetipſis effecta, proruunt clauſtris, replent ſubitò ſtadium, circundant Eccleſiam Martyrum in medio ſitam, circumeunt ſæpiùs & obluſtrant; & Divinæ virtutis cuſtodiam eis adeſſe ſentientes, procul ab eorum corporibus abſcedunt. Sed illicò furor, qui reprimebatur in belluis, tranſit in homines. Nemo præſentem Dei virtutem, nemo divinum piis adeſſe ſentit auxilium: ſed mittuntur, quibus hoc artis eſt, inſtigare beſtias, adverſùs eos, quos Divina dextera defendebat. *Carnificina martyrum apud Tyrum.* *Belluæ non attingunt Chriſtianos.*

Verùm ut oſtenderetur omnibus, non feritatem deeſſe beſtiis; ſed divinam, Dei cultoribus adeſſe cuſtodiam; illos ipſos, qui ad inſtigandum mittuntur, incredibili velocitate diſcerpunt. Et cùm jam nullus ex hujuſmodi artificibus auderet accedere; jubentur ipſi ſancti Martyres, commotis manibus, & velut provocantibus, belluas adverſùm ſe incitare. Sed nec ſic quidem pati aliquid poterant. Verùm etſi fortè aliqua fuiſſet ex belluis concitata, cùm perveniſſet ad proximum illorum, protinùs in aliam partem converſa repedabat. Tunc verò ſtupor ingens, & pavor omnes, qui in ſpectaculis erant, invaſerat; videntes homines nudos, (in quibus plurimi primæ adhuc ætatis) in medio tot ac tantarum ferarum poſitos, intrepidos omnes, ac impavidos, extenſis ad cœlum palmis & oculis, ac mente totos cum Deo, non ſolùm nihil curare terrena; verùm etiam ne carnem quidem ſuam magnipendere: & ipſis judicibus pavore trementibus; reos læto & hilari vultu, in medio perſiſtere beſtiarum. *Etiam ab ipſis provocata.*

Sed ô duræ, & impiæ infidelium mentes! beſtiarum feritas, Dei virtute manſueſcit: humana verò rabies nec ferarum miteſcit exemplis; ſed tentatur adhuc ab

Digitized by Google

hominibus Deus. Iubentur alij verè crimináoſi, beſtiis ſubrigi: qui illicò ut apparuerunt, alius à leone, alius à pardo, ab urſis alius exeſus, aut à tauro in aëra diſperſus eſt. Et ita omnes intra momentum temporis pereunt. Sed nequidem incitatæ beſtiæ, cultoribus Dei aliquid moleſtiæ inferebant, divino Spiritu eos, velut muris validiſſimis, ambiente. Verax namque eſt qui dixit; Ubi fuerint ex vobis duo vel tres, in nomine meo congregati, in medio eorum ſum.

Matth. 18.

Aliæ ſubmittuntur beſtiæ, pariter innoxiæ.

Cùm ergo ne ſic quidem, aliquid egiſſet humana ſævitia, jubentur mutari feræ, & ablatis prioribus, aliæ rursùs dimitti. Quæ cùm & ipſæ ſimiliter ut priores, nihil triſte Dei cultoribus intuliſſent; amotis etiam his, ſæviores feris, homines Martyribus mittunt, qui ſoli poſſint immanitate belluas, crudelitate feras, atrocitate beſtias ſuperare. Gladiis igitur peragunt, quod beſtiis nequiverunt. Et ut in omnibus oſtenderent ſe belluis eſſe nequiores, prohibebant etiam cadavera mandari terræ, ſed jubebant fluctibus dari. Hæc apud Tyrum venerandi Martyres, qui ad illam urbem de Ægypti partibus venerant, mirifica certamina deſudarunt. Hæc Euſebius.

Homines feris ſæviores.

Poſſent hîc etiam adjici innumera miracula, quæ Deus ad ſepulcra Martyrum, per eorum cineres, & reliquias ſæpè operatus eſt, & adhuc identidem variis in locis operatur. Sed ne hujus probationis prolixitas, faſtidium lectori pariat, libens prætermitto.

Cæterùm ex iſtis quæ memorata ſunt, nihil opus eſt pro Divinitate Chriſti concludendâ, multùm ratiocinari: Cùm illa miracula ſint totidem voces divinæ, & Martyrum ſanctitatem, & Divinitatem Chriſti, pro quo mortui ſunt, altè & clarè proclamantes.

SECTIO

Sectio X.

Ex Martyrum ſanguine multiplicatio Chriſtianorum.

QUinta denique circunſtantia, quæ in Martyribus Eccleſiæ occurrit conſideranda, eſt, quòd per Chriſtianorum clades, & Tyrannorum perſecutiones, pluribus ſæculis, toto Romano imperio, totoque orbe continuatas, non modò non extincta, vel imminuta fuerit Eccleſia, ſed mirabiliter amplificata. Quia nimirùm ad conſpectum Martyrum, piè conſtanterque morientium, & ſignorum quæ ſuprà recenſuimus; divinâ gratiâ intus corda permovente, infideles convertebantur, & ad gremium tranſibant Eccleſiæ; ita ut non tantùm ſpectatores, ſed ipſi etiam tortores, carcerumque cuſtodes, ac Tyrannorum Præfecti, & Miniſtri, fidelibus adſcriberentur. *Multiplicatio Chriſtianorum ex perſecutionibus & cadibus illorum.*

Id quod à Chriſto Domino præſignificatum fuit, cùm dixit; *Amen Amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Cujus rei figuram habemus in Filiis Iſraël, quos olim graviter affligebant Ægyptii, eos aſſiduè luti & laterum operibus opprimendo; Et quò magis affligebantur, eò magis creſcebant. Ioan. 12. 24.

Hujus autem multiplicationis teſtis locuples Tertullianus, aiebat; *Exquiſitior quæque crudelitas, illecebra eſt ſectæ; plures efficimur, quoties metimur; ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* In Apol. c. ult. *Sanguis Chriſtianorum erat illorum quaſi ſemen.*

Et S. Leo Papa rationem affert à ſimilitudine granorum è ſpicis in terram cadentium; *Non minuitur,* inquit, *perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur; & ſemper Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur; dum grana,* S. Leo

Digitized by Google

quæ ſingula cadunt; multiplicata naſcuntur.

ſer.1. in Natal. SS. Petri & Pauli.

S. Auguſtinus id eximiè declarat exemplo vitis; *Illa vitis,* inquit, *quæ per Orbem terrarum, (ſicut de illa prophetatum fuerat, & à Domino ipſo pronuntiatum) fructuoſos palmites diffundebat; tantò pullulabat ampliùs, quantò uberiore Martyrum ſanguine rigabatur; quibus per omnes terras innumerabiliter pro fidei veritate morientibus, etiam ipſa perſequentia regna ceſſerunt; ad Chriſtum agnoſcendum, atque venerandum, fractâ ſuperbiæ cervice, converſa ſunt.*

Aug. l. de Catechizand. rudib. c. 24.

Eccleſia in modum vitis creſcebat putatione.

Et eidem ſimilitudini inſiſtens Juſtinus Martyr, ait; *Sicut vinea creſcit, dùm putatur; ſic Eccleſia per ſuos Martyres aucta eſt.*

Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone

Idem Auguſtinus, de re per ſe incredibili, & tam mirâ, veriſſimâ tamen diſſerens, hæc verba Pſalmiſtæ interpretans, (*Audient verba mea, quia prævaluerunt*) *Quomodò,* inquit, *prævaluerunt verba Domini? ducebantur & occidebantur; cadebant & ſtabant. Et quid factum eſt de tot mortibus Martyrum, niſi ut ipſa verba prævalerent, & tanquàm irrigatâ terrâ ſanguine teſtium Chriſti, pullularet ubique ſeges Eccleſiæ.*

Aug. in Pſ. 140.

Et paulò pòſt in hæc verba; *(Sicut craſſitudo terræ dirupta eſt ſuper terram; diſſipata ſunt juxta infernum oſſa noſtra.) Juxta infernum,* inquit, *diſſipata ſunt oſſa Martyrum, id eſt, corpora teſtium Chriſti. Occiſi ſunt enim Martyres, & quaſi prævaluerunt qui occiderunt; prævaluerunt illi perſequendo, ut prævalerent verba Chriſti, prædicando. Et quid factum eſt de mortibus ſanctorum? (Sicut craſſitudo terræ dirupta eſt ſuper terram, diſſipata ſunt juxta infernum oſſa noſtra.) Quid eſt, craſſitudo terræ dirupta eſt ſuper terram? Novimus craſſitudinem terræ, contemptibilia quæque eſſe. Quæ ſunt quaſi contemptibilia hominibus, fœcundant terram. Nam dictum eſt in Pſalmo, jacuiſſe mortes ſanctorum, & non fuiſſe qui ſepeliret. Sed illa om-*

Sanguis Chriſtianorum, ut pinguedo terræ Eccleſiam fœcundabat.

nes mortes facta ſunt craſſitudo terræ. Quomodò accipit terra quandam pinguedinem de rebus contemptibilibus & abjectis, ſic ex eo quod contempſit hic mundus, accepit craſſitudinem terra, ut inde ſeges Eccleſia feraciùs pullularet.

Certè iſtæ tot Chriſtianorum cædes, perſecutiones, & ſupplicia, naturaliter & ſecundùm rationes humanas, debuerunt Gentiles à Religione capeſſendâ vehementer deterrere. Si igitur ex hoc non modò non deterriti, ſed etiam magis accenſi ſunt, ad Chriſti cultum amplectendum: manifeſtum eſt, id ſolâ virtute divinâ, & cæleſti gratiâ excitante fieri potuiſſe.

Jam verò ſi colligamus omnia quæ de Martyribus Chriſti & Eccleſiæ memorata ſunt, & attendamus eorum multitudinem propemodùm infinitam; pietatem & ſanctimoniam vitæ eximiam; conſtantiam & patientiam in tormentis invincibilem; miraculorum perpetrationem; ac denique fidelium prodigioſam ex tot Martyrum cædibus, multiplicationem; efficitur potentiſſimum, & luce ipsâ clarius, Chriſti Divinitatis argumentum. Conſtat enim tot Martyres tam atrocia tormenta, & tali modo non eſſe paſſos ſine ſpeciali divinæ gratiæ auxilio; ac proinde pro veritate tuendâ mortuos eſſe; Deus quippe auxilium ſupernaturale non præbet ad confirmationem mendacij & impietatis; mortui ſunt autem pro atteſtandâ Chriſti Divinitate; igitur Divinitas Chriſti ex tot Martyrum teſtimonio eſt indubitata.

Ex prædictis concluditur Divinitas Christi.

SECTIO XI.

Solvitur Objectio de Pſeudo-martyribus.

AT enim opponet aliquis, habent etiam ſuos Martyres, Hæretici & infideles, qui pro ſuæ

ſectæ defenſione conſtanter mortui ſunt: Igitur teſtimonium Martyrum Chriſtianorum non eſt ſolidum, neque pro verâ Religione probandâ, neque pro Divinitate Chriſti. Hujus objectionis & conſequentiæ illatæ nullitas per ſe jam ſatis manifeſta eſt, ex quinque circunſtantiis paſſionis Martyrum, ſuprà explicatis; quibus notabiliter diſcernuntur ab Hæreticis, aut ſceleratis, qui ſuorum criminum pœnas nonnunquàm patienter pertulerunt: quod ut pleniùs adhuc intelligatur.

Hæretici aliquos etiam apud ſe, recenſent Martyres.

Non inficior quidem, Hæreticos, etiam aliquot apud ſe recensêre Martyres. Cùm enim viderint Eccleſiam Dei, Martyrum trophæis nobilitari: ipſi quoque Martyres habere affectarunt, & eorum Acta conſcribere. Inter quos primi fuerunt Marcioniſtæ, & Cataphryges ſeu Montaniſtæ, ut eſt locuples teſtis, Apollinarius apud Euſebium Cæſar. l. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 15. & 16. Quales autem fuerint illi Martyres, unus Alexander Pſeudo-Martyr docet; cujus ſcilicet facinora & latrocinia, pro quibus debitas pœnas luit, quæque in tabulas publicas relata ſunt, commemorat Apollonius, gravis Author, apud eundem Euſebium libro citato cap. 18. Ejuſmodi Pſeudomartyres erant Novatiani, in quos ſæpè invehitur Cyprianus.

Habuerunt etiam ſuos Ariani, Priſcillianiſtæ, & plures alij, quos enumerare longum eſſet. Novatores quoque noſtri ſæculi, Lutherani & Calviniſtæ, ſuos ſibi vindicant; nempe in numerum Martyrum ſuorum redigendo, quos Principum Catholicorum ſententia, tanquam perduelles, initio turbarum quas in Gallia & Belgio excitarunt, morte affecit, & velut putrida membra, à reliquo Reipublicæ corpore avulſit. Quorum tamen indiculum contexunt, ut illorum ganeonum repræſentatione, Catholicorum in eos ty-

rannidem, puſillorum animis oſtentent; ſicque rerum ignaros in ſua pertinacia confirment.

At ſciendum eſt, & ſupponendum quod paſſim docent ſancti Patres, extra Eccleſiam, nullos reperiri, nec eſſe poſſe veros Martyres. Unde ſi qui extra illam pro ſuis erroribus defendendis, vel ob ſua crimina, Principum authoritate, ſupplicio affecti ſunt; non ſunt illi Martyres, niſi Diaboli, qui ut docet Auguſtinus, ſuos etiam Martyres habet. *Extra Eccleſiâ nulli ſunt, nec poſſunt eſſe veri Martyres.*

Nam ut rectè dicit S. Cyprianus; *Illa mors non eſt fidei corona, ſed pœna perfidiæ.* Siquidem vera eſt illa Chriſti Domini ſententia; *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Itaque, ut ait idem ſanctus Martyr; *Qui eſt ab Eccleſiâ ſegregatus, & extra eam occiſus, coronari in morte non poterit.* Et alibi, *Idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſiâ non armatur ad prælium; Et ad regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, reliquit.* Cyprianus l. de unit. Eccleſiæ. Luc. 11. 23. Cypr. Ep. edit. Pamel. ad Antonian. Ep. 54 ad Cornel. Pap.

Idem diſertè tradit S. Hieronymus, dum ait; *ſanguis effuſus, is tantùm Martyrium facit, qui pro Chriſti nomine funditur.* Hieró. in Ep. ad Philem. init.

Ideò rectè ex ſancto Cypriano docet Gregorius, in l. 2. Reg. & Epiſt. 36. *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.* Id quod pluribus locis inculcat Auguſtinus. *Quoniam*, inquit, *multi hîc patiuntur, & pro peccatis & pro ſceleribus ſuis, magnâ vigilantiâ diſcernenda eſt cauſa, non pœna. Sceleratus enim poteſt habere Martyris ſimilem pœnam, ſed tamen diſſimilem cauſam. Tres erant in Cruce; unus Salvator, alter ſalvandus, alius damnandus; omnium par pœna, ſed impar cauſa.* S. Aug. in Pſ. 34 conc 2. Et ſerm. 6. de pl. Mart.

Et in ſermone 9. de S. Vincentio Martyre, ait; *Victores non ſola tolerantia facit, ſed juſtitia; multi enim dolores toleraverunt, pertinaciâ, non conſtantiâ; vitio non virtute; pravo errore, non rectâ ratione; diabolo poſſidente, non perſequente.* *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.*

Aug. l. 1 de ſerm. Dom. in monte. c. 4 Et libro 1. de Sermone Domini in monte, c. 4. *Non enim ſupplicium perpeti fructuoſum eſt, ſed iſta pro Chriſti Nomine, non ſolùm æquo animo, ſed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici, nomine Chriſtiano animas decipientes, multa talia patiuntur. Sed ideò excluduntur àb iſtâ mercede, quia non dictum eſt tantùm; (Beati qui perſecutionem patiuntur,) ſed additum eſt, (propter juſtitiam.) Ubi autem ſana fides* Rom. 1 *non eſt, non poteſt eſſe juſtitia; quia (Juſtus ex fide vivit.) Neque Schiſmatici aliquid ſibi ex iſtâ mercede promittant; quia ſimiliter ubi charitas non eſt, non* Rom. 13 *poteſt eſſe juſtitia; quia (Dilectio proximi, malum non operatur:) quam ſi haberent, non dilaniarent corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia.*

Denique adhuc expreſſiùs Epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem; *Sunt*, inquit, *qui dividunt membra Chriſti, inſufflant Sacramenta Chriſti, & de perſecutione gloriantur, quia prohibentur iſta facere legibus Imperatorum, quas conſtituerunt pro unitate Chriſti; & jactant fallaciter innocentiam ſuam; & quam non poſſunt à Domino accipere, ab hominibus quærunt gloriam Martyrum. Veri autem Martyres illi ſunt, de quibus Dominus ait; (Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.) Non ergo qui propter iniquitatem, & propter Chriſtianæ unitatis impiam diviſionem; ſed qui propter juſtitiam, perſecutionem patiuntur, hi Martyres veri ſunt. Nam & Agar paſſa eſt perſecutionem à Sarâ, & illa erat ſancta, quæ faciebat; illa iniqua, quæ patiebatur. Nunquid & huic perſecutioni, quam paſſa eſt Agar, comparandus eſt ſanctus David, quem perſecutus eſt iniquus Saül? Valde utique diſtat, non quia patiebatur, ſed quia propter juſtitiam patiebatur. Et ipſe Dominus cum Latronibus crucifixus eſt; ſed quos paſſio jungebat, cauſa ſejungebat. Ideò in pſalmo, vox illa intelligenda eſt verorum Martyrum, vo-*

Illi ſoli ſunt veri Martyres qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; non qui propter iniquitatem.

Matth. 5.

Pſ. 42

Digitized by Google

lentium ſe diſcerni à Martyribus falſis; (Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſanctâ.) Non dixit, diſcerne pœnam meam, ſed diſcerne cauſam meam. Poteſt enim impiorum eſſe ſimilis pœna; ſed diſſimilis eſt Martyrum cauſa: quorum & illa vox, (Injuſtè perſecuti ſunt me, adjuva me.) Ideò ſe dignum exiſtimavit, qui adjuvaretur juſtè, quia illi perſequebantur injuſtè. Nam ſi juſtè illi perſequerentur, non fuerat adjuvandus, ſed corrigendus, &c. Pſ.118

Ecce igitur apertum diſcrimen inter Martyres Eccleſiæ, & Pſeudo-Martyres hæreticos; quòd ſcilicet illi propter Chriſtum, propter Deum, propter juſtitiam paſſi ſunt: iſti propter iniquitatem, propter errorem & proterviam, propter Dæmonem, illo impellente, & pœnarum ſenſum aliquando hebetante, paſſi ſunt. Præter quod, aliunde patet ingens diſcrimen inter utroſque ex quinque conſiderationibus in Martyribus Chriſti prænotatis, quæ in iſtis Pſeudo-martyribus nequaquàm reperiuntur; ſive ſpectes multitudinem illorum infinitam, horum maximam paucitatem; ſive illorum virtutes & pietatem, cum aliorum nequitia & pervicacia comparatam; ſive conſtantiam admirabilem & alacritatem, etiam fœminarum, puellarum & ſenum, in diriſſimis quibuſque tormentis; ſive miracula quibus Deus illorum fidem & patientiam comprobavit, qualia in hæreticis nulla fuerunt; ſive denique incredibilem ex cædibus Martyrum, multiplicationem Chriſtianorum. Quæ omnia Dei manum præſentem & auxiliantem ſenſibiliter arguunt, verumque ac proprium conſtituunt Martyrum Chriſti characterem. Ac proindè eum, pro cujus Divinitate tuenda paſſi & mortui ſunt, verè Deum eſſe indubitanter convincunt.

Multiplex diſcrimen inter noſtros Martyres, & Pſeudo-Martyres hæreticorum.

DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI:

CAPUT DECIMUM.

Argumentum decimum.

CONSTANS PERPETUITAS & ſtabilitas Religionis Chriſtianæ.

Sectio Prima.

Firma ſtabilitas Religionis Chriſtianæ undique oppugnatæ, certum eſt indicium, quòd ſit à Deo inſtituta.

DUm Hieroſolymis Judæi fremerent in Apoſtolos, Chriſtum prædicantes ut Filium Dei, eorumque mortem meditarentur; *Quidam* (ut refertur in Act.c. 5. v. 34 Actis Apoſtolorum) *ſurgens in Concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legis doctor, honorabilis univerſæ plebi, juſſit foras ad breve homines,* (id eſt, Apoſtolos) *fieri, dixitq; ad illos; Viri Iſraëlitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis, quid acturi ſitis. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens ſe eſſe* Opera homi- *aliquem, cui conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occiſus eſt, & omnes qui credebant ei, diſſi-*

pati ſunt, & redacti ad nihilum. Poſt hæc extitit Judas Galilæus in diebus profeſſionis, & avertit populum poſt ſe: Et ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt. Et nunc itaque dico vobis, ſinite illos; quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur; ſi verò ex Deo eſt, non poteritis illud diſſolvere.

num ſucceſſu temporis diſſolvuntur.

Illud omninò ſapienter dictum eſt, & verè aſtruit, nullam ſectam, ſive humanæ inventionis Religionem poſſe, præſertim inter adverſarias poteſtates, perſecutiones, & oppugnationes omnis generis, niſi Deo Authore diù ſubſiſtere. Quibus verbis congruit illa Chriſti Domini ſententia; *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur,* Id eſt, quicquid à Patre meo non proficiſcitur; quicquid à Deo non eſt fundatum, atque plantatum, non habet ſtabilitatem, & tandem curſu temporis radicitùs evelletur ac deſtruetur.

Math. 15. v. 13.

Unum igitur ex certis indiciis, quibus dignoſcitur Religionem non eſſe humanæ inventionis, ſed divinæ inſtitutionis, eſt firmitas durationis, & ſtabilitas inconcuſſa; præſertim ſi multa ad eam labefactandam, & à fundamentis disjiciendam concurrant. Hinc videmus omnes hæreſes, quæ diverſis temporibus ex diaboli ſuggeſtione, & hominum pertinaciâ prodiêre, inſtar quorundam torrentium, cum ſtrepitu tranſiiſſe: atque ita evanuiſſe, ut vix Auctorum portentoſa nomina, in memoriâ poſteritatis remanſerint. Nunc enim ubi ſunt, Simon, Menander, Saturnius, Baſilides, Cherinthus, Ebion, Carpocrates, Valentinus, Marcion, Hermogenes, Montanus, ſeu Cataphryges, Novatiani, Chiliaſtæ, Gnoſtici, Sethiani, Cajani, Aſcodrytæ, & alij naſcentis Eccleſiæ domeſtici hoſtes? Ubi nunc Artemon, Theodotus, Paulus Samoſatenus, Manes & Manichæi, Sabellius, Ma-

Stabilitas inconcuſſa Religionis Chriſtianæ, eſt maximum argumentum divinæ inſtitutionis. Omnes hæreſes more torrentium,

poſt ali-quodtẽ-pus di-lapſa ſunt. cellus, Photinus? Ubi celebres illi, & famoſi, qui Romanam quoque Monarchiam adjutricem habuiſſe leguntur? quorumque virus Orientem & Occidentem traditur pervaſiſſe; Donatus, Arius, Eudoxus, Eunomius, Aëtius, Macedonius, Apollinaris, Pelagius, Jovinianus, Neſtorius, Eutyches, Monothelitæ, & plures alij? Quotuſquiſque eſt qui omnium errorum, & figmentorum quæ commenti ſunt, ſatis quęat meminiſſe? Deleti ſunt & exterminati cum idolis ſuis, id eſt cum ſuis hæreſibus, quas idolorum loco colebant, ad infernum omnes defluxerunt. Et quamvis alij eorum loco identidem exorti ſint, exorianturque: illi tamen, ſicut ſuperiores, ad nihilum redigentur, Eccleſiâ Chriſti ſemper permanente.

Baruch. 3.

De iis prophetice locutus eſt David, cùm dixit; *dejecti ſunt dum allevarentur, perierunt propter iniquitatem ſuam; velut ſomnium ſurgentium Domine, in civitate tuâ,* (id eſt, in Eccleſiâ) *imaginem ipſorum ad nihilum rediges.*

Pſal. 101. Pſal. 7. v. 20.

Id quod rectè explicat Auguſtinus, ſimilitudine, torrentis, ad illa Pſalmiſtæ verba, (Spernentur tanquàm aqua decurrens:) *Non vos*, inquit, *terreant, fratres, quidam fluvij, qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis implentur; nolite timere, poſt paululùm tranſit, decurrit aqua; ad tempus perſtrepit, mox ceſſabit; diù ſtare non poſſunt. Multæ hæreſes jam emortuæ ſunt, cucurrerunt in rivis ſuis, quantùm potuerunt; decurrerunt, ſiccati ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint; (Spernentur tanquàm aqua decurrens.)*

In Pſal. 57.

Quin & hoc agnovit, faceturque Lutherus; *Hoc*, inquit, *vidimus & videmus omnibus hæreticis contigiſſe, ut primò quidem hominibus placuerint; ſed poſteà diſſipata ſunt oſſa eorum ſecus infernum: confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.* Et alibi; *Quamvis*, ait,

Luther. in Pſal 5. Pſal. 13.

Digitized by Google

plantentur hæreſes, & nonnihil floreant, tamen non ferunt fructum. Placent quippe propter novitatem, cujus ut plurimùm homines ſunt amatores; vel etiam propter voluptates ſensûs, quibus ſolent indulgere; poſteà verò tanquam planta ſine ſucco, ſeipſis areſcunt, atque adeò in contemptum, etiam apud ſuos vertuntur. Hæc Hæreſiarcha de hæreſibus.

Luther. in cap. 3. Ionæ.

Sectio Secunda.

Eccleſiæ Chriſti ſtabilitas perpetua, eſt admirabilis multis ex cauſis.

JAm verò omnibus perſpecta eſt conſtans ſtabilitas Eccleſiæ Chriſti; quæ à ſui exordio uſque ad præſens tempus, id eſt, à mille ſexcentis & 42. annis perpetuò ſibi conſtans, integra & illibata perſeveravit; continuatâ per totum orbem, ejuſdem fidei profeſſione; & ſummorum Pontificum, reliquorumque Prælatorum ſucceſſione. Quod argumentum continuæ ſucceſſionis Epiſcoporum in Apoſtolicâ ſede, olim Auguſtino viſum eſt efficaciſſimum, ad perſuadendam Eccleſiæ Romanæ veritatem, ut ait Suares. Et tamen tunc, id eſt, Auguſtini tempore, tantùm 42. ſummi Pontifices numerabantur: quantò igitur nunc debet videri, poſt continuatas eaſdem, per tot elapſa ſæcula, ſine interruptione, ſucceſſiones?

Stabilitas Eccleſiæ à mille ſexcentis & ampliùs annis, nota eſt.

Iſta autem Religionis Chriſtianæ ſtabilitas & perſiſtentia, ex eo planè admirabilis redditur, quòd jam inde ab ejus ortu, multa ad eam labefactandam, & convellendam concurrerunt, quibus ſine dubio jam pridem fuiſſet extincta, & deleta penitùs; niſi ſupra firmam petram fundata fuiſſet ejuſmodi, ut portæ inferi non eſſent contra eam prævalituræ; quemadmodùm Chriſtus longè antè prædixit,

Eſt autē planè admirabilis, cùm multa ad Eccleſiam everſ

tendam concurrer ne Matth. 15. v. 18.

Primũ eſt inſtabilitas rerum humanarum

Primum eſt inſtabilitas, & inconſtantia rerum humanarum; quæ ſuapte naturâ ſunt mutationi & viciſſitudinibus obnoxiæ. Hinc videmus, non tantùm civitates florentiſſimas, ſed etiam potentiſſimas Reſpublicas funditùs ita corruiſſe, ut ne illarum quidem veſtigium ſuperſit. Quid enim jam reliquum eſt de Sicyoniis, de Aſſyriis, Medis & Babyloniis? Ubi Athenienſes, ubi Macedones? Ubi regna Ægyptiorum, Seleucidarum, Latinorum? Ubi Carthago Romanæ potentiæ quondam æmula? Ubi illa Gentium domitrix, Romana Reſpublica? in quibus ſtruendis & ſtabiliendis, tota prudentia humana fuiſſe videtur expenſa. Subierunt legem rerum ſublunarium, nempè viciſſitudinem; perierunt. Etenim res humano duntaxat conſilio conſtitutæ; quæque terreſtris tantùm ſapientiæ ductu, & auxilio foventur, ſuas periodos habent; Verbum autem Domini manet in æternum: ac proinde ſi Religio quæ Chriſtum colit, non eſſet nixa fundamento divino; jamdiù pro conditione & mutabilitate rerum temporalium, deberet corruiſſe.

Secundum eſt difficultas profeſſionis Chriſtianæ. quæ ſublimia credit, & diſciplinã morum ſeveram præcipit.

Alterum eſt, ipſa Religionis Chriſtianæ profeſſio, quæ per ſe ardua eſt, difficilis, & quodammodò violenta; ſive dogmatum fidei ſublimitatem ſpectes, rationem humanam omninò tranſcendentium; ſive diſciplinam morum, propenſionibus naturæ planè repugnantem. Sicut enim operoſum fuit, myſteria fidei noſtræ, hominum mentibus initio perſuadere; nec unquàm adduci potuiſſent ad credendum, quod nos ſupra captum humanum credimus, niſi miraculorum & ſignorum evidentium atteſtatione convicti; divinâque gratiâ intùs piam credendi affectionem operante: Sic ſanè facillimum fuiſſet, iſtas opiniones quaſi per vim intruſas abjicere.

Quemadmodùm contigiſſe cernimus in doctrinâ

Digitized by Google

Platonis, Zenonis, Socratis, Democriti, Epicuri & aliorum Philoſophorum, quorum ſectæ cum ſuis opinionibus, olim receptiſſimis, interierunt. Eſt enim ingenium hominis, non tantùm inconſtans, ſed etiam ſuæ amans libertatis; nec diù patitur, ſe ſub authoritate cujuſvis doctoris, quaſi captivum mancipari. Quin & novitas ſenſorum, quaſdam illecebras habet, quibus illiciuntur non pauci. Nec deſunt qui ad famam ſcientiæ aucupandam, & nomen ſibi apud imperitos faciendum, affectent, veris contradicendo, inſolita falſa in vulgus proferre. Hinc tam frequentes hæreſes natæ in Eccleſiâ, quæ niſi diligenter, & ſummâ vigilantiâ, ab iis, quos Deus veritatis arbitros, Religioni præfecit, repreſſæ fuiſſent, brevi incontaminatam fidei puritatem corrupiſſent.

Secta antiquorum Philoſophorum extincta ſunt.

Nec minùs à ſuſcepta Religione Chriſtianâ homines abducere potuit, rigida, quam dixi, vivendi ratio quam præſcribit; Cujuſmodi eſt, bona hujus vitæ, fortunas, honores, dignitates contemnere; voluptatibus abdicare ſe, carnem macerare, jejuniis & auſteritatibus corpus domare, renuntiare ſibi, crucem ferre & amare, injurias condonare, inimicos etiam diligere, & ſimilia; quæ ſanè refugit, & abhorret naturæ propenſio. Et verè dictum eſt, nullum violentum diù poſſe durare. Hinc inductæ ſunt relaxationes multorum, imò ferè omnium Ordinum Religioſorum; qui ſenſim à priſtino rigore & fervore diſciplinæ ita deſciverunt, ut penè ex prioribus, non niſi idem habitus remanſiſſe videatur. Scimus quidem, ob eam rationem, in multis Chriſtianis, ſucceſſu temporis, pietatem, & morum integritatem in pejus ab antiquâ degeneraſſe; (quanquam Eccleſia pluribus viris & fœminis, ſanctitate conſpicuis, nunquàm caruit, nec etiamnùm caret.) Sed tamen mirum eſt, quomodo naturalis hominum in malum

Digitized by Google

& in vitam liberiorem propenſio, fidem omnem, & totam Chriſti doctrinam, non excuſſit. Feciſſet utique jampridem, nec perſeveraſſet hactenùs, à tot retrò ſæculis, niſi ſpeciali Divinæ Providentiæ adminiculo, tanquàm Divinum quid, conſervata fuiſſet.

Tertium eſt carentia omnis auxilij humani & protectionis

Tertium, quod quidem non impellebat in ruinam; ſed tamen vehementer impulſam, & concuſſam undique, non impediebat à cadendo, eſt omnis humani auxilij deſtitutio. Multos ſemper, & infenſiſſimos habuit hoſtes Chriſtiana Religio, mundum, carnem, diabolum, Tyrannos, Imperatores, Reges, Hæreticos; à quibus validiſſimè & omni tempore oppugnatam, quis crediſſet poſſe, ſine aliquo fulcimento ſubſiſtere? Dixit olim Dominus Apoſtolis ſuis, quos ad Evangelij prædicationem mittebat; *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum.* Deus bonè quomodò poterunt illæ oves non devorari à lupis, ſi nullos defenſores habeant, & omne illis præſidium deſit, quo ſe tueantur?

Math. 10. 16.

Ecce quales fuerunt Chriſtiani inter Paganos perſecutores. Nullum enim habebant ab amicis præſidium; ſiquidem hoc ſolo nomine, quòd eſſent Chriſtiani, erant inviſi omnibus, & exoſi, juxta prædictionem Domini; *Eritis odio omnibus propter nomen meum.* Nullum ab armis, quibus ſe tuerentur: quamvis enim poſtquàm Eccleſia per Orbem multiplicata eſt, potuiſſent ſe belli jure, & armis defendere: tamen id ſemper ſolemne fuit Fidelibus, juxta doctrinam Chriſti, ut in cauſâ Religionis, omnia ſine propriâ defenſione ſupplicia paterentur. Nullum denique à favore, & potentiâ Principum, cùm omnes pro ſuis idolis acriter depugnarent.

Matth. 10. v. 32. Marc. 12. v. 13.

Hoc in ſtatu fuit Religio Chriſtiana, annis pluſquàm trecentis, inter tempeſtates horrendas perſecutionum, infamationes, opprobria, proſcriptiones &

Digitized by Google

ſupplicia omnis generis. Quomodò igitur non omninò oppreſſa eſt Religio, quaſi adhuc in cunis, tenera, inermis, & omni humano fulcimento deſtituta? Certiſſimè non aliud erat ſperandum; niſi Chriſtus inviſibili, ſed potenti virtute, ſuum Opus foviſſet, & contra tot hoſtium inſultus validè protexiſſet: id quod magis ex modò dicendis innoteſcet.

Quartum igitur quod miraculoſam ejus conſervationem evidenter oſtendit & planè divinam, eſt ſævitia & immanitas perſecutionum, quibus toto Imperio Romano, multis ſæculis, crudelem in modum jactata eſt, dilacerata, dilaniata. Quamvis enim Reſpublica Romana, aliorum omnium nationum Deos cum ſuis admitteret, illorumque cultores facilè toleraret: nihilominùs Dæmone inſtigante, qui ſolam Religionem Chriſtianam, ſibi, & Idolorum cultui adverſariam eſſe noverat; hanc non tantùm ferre non potuit, ſed etiam pluribus ſæculis in eam furore pluſquàm belluino deſævit.

Quartū eſt ſævitia & immanitas perſecutionum.

At non in Imperio Romano duntaxat, bellum illi ab Imperatoribus indictum eſt; verùm etiam ab aliis cæterarum gentium Regibus, Principibus & populis, qui ubique terrarum in Chriſtum conjuraſſe viſi ſunt, juxta prædictionem admirantis Prophetæ, & dicentis; *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus; dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum.*

Pſal. 2. v. 1.

Ecce igitur totum terrarum orbem armatum, & conſpirantem pro deorum ſuorum defenſione, contra Religionem Chriſtianam naſcentem, ipſis inimicam. Quis eſt qui non vehementer ipſi timeat? Imò quis non ſtatim exiſtimet, eam à tot tamque potentibus hoſtibus, totâ vi Principum ubique dominan-

Digitized by Google

tium oppugnatam, illicò extinctum iri?

Sectio Tertia.

Multitudo perſecutionum, quibus Eccleſia Chriſti fuit impugnata.

Ut diſtinctiùs appareat, quod dictum eſt, operæ pretium videtur ſigillatim recenſere præcipuas perſecutiones quas Eccleſia adhuc naſcens, paſſa eſt. Sunt qui numero denario illas comprehendant, ob myſticam quandam convenientiam cum decem plagis Ægypti: ſed iſtam computationem myſticam D. Auguſtinus, aliique Doctores rejiciunt; & meritò, cùm conſtet, Eccleſiam longè plures pertuliſſe.

August. l. 18. de Civit. c. 52.

Eccleſiæ perſecutio in Judæâ ſtatim poſt mortem Chriſti.

Actor. 7. & 8. 9. Baron. Ad an. Chriſti 35.

Et quidem in Judæâ, non diù poſt Aſcenſionem Chriſti in cœlum, mota eſt à Judæis perſecutio in Eccleſiam, quâ ſancto Stephano Protomartyre lapidibus occiſo; omnes Chriſtiani qui erant Hieroſolymis, diſperſi ſunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apoſtolos. Saulus verò zelo Judaiſmi præter modum æſtuans, intrans per ſingulas domos, fideles diſquirebat; & qui non eſſent egreſſi cum cæteris, ſed latebras captaſſent in civitate, illos tam viros, quàm mulieres, tradebat in cuſtodiam, & ut necarentur, procurabat: Acceptis etiam à Principe Sacerdotum literis in Damaſcum, ad eos qui extra Judæam fugerant, comprehendendos. Sed ipſe inter eundum à Chriſto apparente perculſus & proſtratus, de perſecutore factus eſt Chriſtianus; & quæ mala fidelibus intulit, hæc ipſe poſteà, & longè graviora pro Chriſto perpeſſus eſt.

Hæc Judæorum perſecutio tantiſper ſopita, rursùm excitata eſt ſub Agrippâ Rege Judææ, (cui cognomentum

Digitized by Google

mentum Herodes.) Ut enim primo ſui Hieroſolymam adventu, gratiam Judæorum ſibi conciliaret: Eccleſiam perſequi aggreſſus eſt, S. Jacobum Apoſtolum, filium Zebedæi, Joannis fratrem, capite truncari juſſit: Alterum Jacobum, dictum minorem, & fratrem Domini, de pinnâ templi præcipitari; S. Petrum carcere includi, unde mirabiliter evaſit; alioſque malè vexari. Sed iſta fuerunt, aliarum perſecutionum, quæ paulò poſt ſecutæ ſunt, levia quædam duntaxat præludia.

Act. 12. Ad an. Chriſti 14. *Aliquãtiſper ſopita renovatur.* Anno Chriſti 63.

Ex duodecim gravioribus perſecutionibus, quas à Gentilibus, in Imperio Romano paſſa eſt Eccleſia.

Prima fuit à Nerone excitata, occaſione incendij urbis Romæ, cujus ipſe cùm fuiſſet author, ut Suetonius & alij Hiſtorici, etiam profani, teſtantur, crimen in Chriſtianos derivavit, ut invidiam facinoris à ſe amoveret, indeque anſam illos perſequendi ſumeret. Itaque publicis edictis per Provincias mandavit, Chriſtianos variis ac ſæviſſimis ſuppliciorum generibus excruciari. Atque inter cætera, palis gutture transfixos, ignibus lentis, tædarum vel cereorum ardentium inſtar, in nocturni luminis uſum cremari, ut ſuprà retulimus ex Tacito. Sub illo martyrium paſſi ſunt Romæ ſancti Petrus & Paulus, aliique innumeri variis locis, & cruciatibus necati. Duravit perſecutio quatuor annis, ſcilicet uſque ad interitum Neronis.

Baron. an. Chr. 66. n. 1. &c. Tertull. in Apol. c. 5. Suetor. in Nerone 38.

Perſecutio ſub Nerone.

Secundæ author fuit Fl. Domitianus, Veſpaſiani filius, Neroni potiùs quàm Patri ſimilis, quem Euſebius Neronianæ Theomachiæ, & impietatis hæredem nominat. Et jure quidem, nam & ab ipſis Ethnicis, Nero eſt appellatus; imò & Nerone ſæviorem fuiſſe ſcribit Tacitus. Sub eo S. Joannes Evangeliſta in dolium ferventis olei miſſus eſt, & in exilium ad Pathmos inſulam relegatus: Timotheus, Oneſimus,

Perſecutio ſub Domitiano. Lib. 3. Hiſtor. Eccl. cap. 17. Ad an. Chriſti 9. &c. Tacit. in vita Agr.

& Dionyſius Areopagita, martyrio affecti, teſte Nicephoro, aliique complures, donec Eccleſia ſub Nervâ, uno anno reſpiravit: is enim Domitiani decreta reſcidit.

Niceph. l. 3. c. 11.

Tertia ſæviit ſub Trajano, qui Nervæ ſucceſſit anno Chriſti centeſimo. In cæteris Princeps juſtus & humanus; contra Chriſtianos verò immanis tyrannus: quippe qui erat ab Ethnicis perſuaſus, Chriſtianos ſub ſpecie Religionis principatum affectare. Duravit perſecutio annis quatuordecim; ab initio lenior, poſteà ſenſim creſcens; ita ut edictum tulerit, ut omnes qui vel ſuſpecti tantùm forent de Chriſtianiſmo, ad cædem per omnes Provincias, raperentur. Sub eo affecti ſunt Martyrio S. Clemens Papa, ſancti Polycarpus, Ignatius, Papias, Domitilla, Nereus & Achilleus. Plinius tamen ſecundus hanc tempeſtatem mitigavit. Cùm enim in Bithyniâ Proconſulis munus ageret, Provinciam luſtrans, Religionem Chriſtianam adeò propagatam invenit, ut jam templa deorum viderentur deſerta, perrarique invenirentur, qui ſacrificia diis immolarent. His, & multitudine Martyrum peremptorum, permotus Plinius, cùm primò conventus Chriſtianorum vetuiſſet, quibuſdam etiam tormenta, & mortem intuliſſet, quòd in omnes animadvertere durum admodùm, imò impoſſibile videret; quid de cætero eſſet acturus, ſcriptâ Epiſtolâ, (quâ aliunde mores Chriſtianorum innocuos eſſe ſignificabat,) Trajanum conſuluit; qui reſcripſit; *Chriſtianos igitur conquirendos non eſſe; ſi autem deferrentur, & arguerentur, ac in ſententiâ perſiſterent, puniendos eſſe.* Quod Trajani reſcriptum meritò redarguit Tertullianus; *Si enim*, inquit, *Chriſtiani ſunt damnandi, cur non & inquirendi tanquam nocentes; ſi non inquirendi, cur non & abſolvendi tanquam innocentes.*

Perſecutio ſub Trajano. Baron. ad an. Chr. 100. Baron. ad an. Chriſt. 104. Euſeb. l. hiſt. 3. c. 32. Plin. l. 10. Epiſt. 97. *Trajanus de innocentia Chriſtianorum admonitus jubet ut non inquirantur; ſed inventi puniantur.* Ibid. Epiſt. 98.

Tertull. Apolog. c. 2.

De quo reſcripto pluribus etiam agens Euſebius,

ſubdit ; quòd etſi poſt illud fervor perſecutionis imminutus ſit : nihilominùs ſive furore populorum , ſive Magiſtratuum perverſitate quamplurimi ubique Fideles , variis tormentorum generibus trucidati ſunt. *Euſeb. l. 3. hiſt. c. 33. &c.*

Quarta ſub Hadriano , qui Trajano fuit Eccleſiæ infeſtior. Quamvis enim in ipſo ſui adventu , erga omnes imperio Romano ſubjectos , optimum ſe Principem præſtiterit : tamen , ut loquitur Baronius, ſe in Chriſtianos Phalaridem exhibuit. Atque inter alios erga S. Euſtachium , quem è bello Dacico , (in quo ducem agebat exercitûs ,) victoriâ partâ redeuntem , quòd fidem Chriſti , quam ſuſceperat, ejurare nollet , unà cum vxore , ac duobus filiis , pariter Chriſtianis , leonibus tradi juſſit , & à beſtiis intactos , in bovem æneum candentem incluſit , ubi glorioſum martyrium conſummaverunt. In Brixiâ Fauſtinum & Jovitam , alioſque plurimos Martyres diris tormentis necavit. Alexandrum Papam , ſævè cruciatum interfici juſſit. Et alibi multis in Provinciis carnificinam Chriſtianorum exercuit. Sunt qui hanc perſecutionem non diſtinguant à perſecutione Trajani, quia inter utramque nihil fuit interruptionis. Sed hoc non facit , quin atrociſſima fuerit , & diuturna ; ſiquidem perſeveravit uſque ad obitum Hadriani , id eſt , novem ferè annis ; quamvis oblatis ipſi Apologiis pro reprimendâ perſecutione, nonnihil ipſe emolliri viſus ſit. *Baron. ad an. Chr. 120 n. 11. &c.* *Perſecutio ſub Hadriano.*

Quinta ſub Marco Aurelio Antonino Vero , qui cognominatur Philoſophus ; & fratre ejus Lucio Vero , qui item dictus eſt Ælius , Aurelius , & Antoninus : quorum itaque diſtinctio eſt penes nomen cujuſque proprium , Marci , & Lucij. Ex Euſebio, cùm tantùm nominatur , Verus, Marcus plerumque intelligi ſolet ; corruptè autem à nonnullis appellatur Severus. *Perſecutio ſub Aurelio Antonino Vero.* *Baron. ad an. Chriſti 161. n. 2. & 3.*

Is per annos 18. contra Chriſtianos crudeliſſimus ex-

Euſeb. l. . hiſt. c. 15.

titit. Sub eo paſſi ſunt Juſtinus Martyr, S. Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus; ſancta Felicitas cum 7. filiis & alij innumeri. Anno Imperij illius 17. ſpecialiter in Galliis furor perſecutionis invaluit contra Eccleſiam Lugdunenſem & Viennenſem; ubi S. Photinus Epiſcopus Lugdunenſis, S. Diaconus, S. Blandina & alij quamplurimi, variis & crudelibus tormentis necati, martyrij palmam obtinuêre. Sedata quidem aliquantiſper fuerat ex eo quòd, cùm bello Marcomannico Legiones Romanæ ab hoſtibus circumventæ. extremâ ſiti laborarent, Chriſtianorum Legio, precibus, (uti juſſerat Imperator) ad Deum fuſis, & imbrem copioſiſſimum Romanis militibus impetravit, & fulmina grandine mixta, in hoſtilem direxit aciem; unde hæc Legio poſteà, fulminatrix, dicta eſt. Quo miraculo motus Imperator, edixit ne quis deinceps Chriſtianus eo nomine deferretur, aut puniretur. Verùm ex innato Gentilium odio, & falſorum criminum prætextu, acriùs ut dixi, in prædictas Galliæ Eccleſias renovata eſt.

Baron. ad an. Chriſti 176. *Ex Oroſio, Euſebio, &c.*

Baron. ad annũ Chriſti. 179.

Perſecutio ſub Septimo Severo.

Sexta ſub Septimio Severo; qui cùm aliquot annis benignus & clemens erga Chriſtianos fuiſſet: poſtmodùm tamen falſis criminationibus aures præbens, in eos furere cœpit. Scribit autem Euſebius hanc perſecutionem adeò Chriſtianos perturbaſſe, ut omnes exiſtimarent, jam adventum Antichriſti, & mundi interitum inſtare. Itaque plurimi ſub eo martyrium pertulêre; præſertim Alexandriæ per 18. annos. In quibus claruêre ſancta Perpetua, S. Irenæus, S. Urbanus Papa, ſancti Cæcilia & Valerianus, &c.

Baron. ad an. Chriſti. 204. n. 1. Euſeb. l. 6. Hiſt. Eccleſ.

Septima ſub Maximino Thrace, homine in omnes barbaro, excitata eſt in Chriſtianos, præſertim in Antiſtites & Miniſtros Eccleſiæ cum omni crudelitate, duravitque per tres ejus imperij annos. Sub eo paſſi ſunt ſancti Pontifices, Pontianus, & Antherus, plu-

Baron. ad annũ Chriſti. 237. 238.

rimi Epiſcopi & Clerici. Hujus perſecutionis cauſam hanc fuiſſe, tradit Severus; quòd cùm graviſſimi terræ motus, Orientis oras acerbiſſimè exagitaſſent; ea mala Gentiles more ſolito, Chriſtianis adſcriberent; quaſi qui non colerentur ab illis dij, his vel aliis cladibus Orbem ſæpè irati concuterent. *ſub Maximino.* Severus hiſt. l. 2.

Octava, quam Oroſius & alij ſeptimam numerant, orta eſt ſub Decio Imperatore, tum odio Philippi prædeceſſoris ſui, qui Chriſtianos fovebat; tum quia audierat, pleriſque in locis Chriſtianos fana Gentilium, idolaque & altaria demolitos eſſe; ſibique Eccleſias ſeu Oratoria extruxiſſe. Quare ille furore in eos accenſus, omnes publicis edictis proſcribit, jubetque terribilibus ſupplicij minis, ut Præfecti Provinciarum, omnibus probris & cruciatibus Chriſtianos ad Deorum adorationem adigant. Hæc perſecutio, ut notant paſſim Hiſtorici, fuit omnium quæ præceſſerunt, atrociſſima. Martyrum numerum, non magis quàm arenæ maris iniri poſſe, ſcribit Nicephorus. Illuſtriores illius temporis Martyres fuêre, S. Fabianus Papa; ſanctæ, Agatha, Anatolia, &c. ſeptem Dormientes, dicti. *Perſecutio ſub Decio.* Baron. ad annũ Chriſti 253. n. 4. &c.

De Martyribus autem hâc perſecutione in Africâ paſſis, præter illos, quorum apud S. Cyprianum eſt mentio, recenſentur quoque alij in tabulis Eccleſiaſticis; cùm infinitorum propemodùm nomina exciderint. Quàm item dirè vexatæ fuerint, Alexandrina cæteræque Ægypti Eccleſiæ, egregiè deſcripſit inſignis tunc eruditione ac pietate ejuſdem civitatis Epiſcopus, S. Dionyſius (qui divino monitu ſecedens, manus perſecutorum mirabiliter evaſit) literis ad Germanum & Fabium Antiochenum ſcriptis; quibus permultos recenſet Martyres omnis ſexûs & conditionis, qui eâdem perſecutione, Alexandriæ Martyrij gloriam adepti ſunt; tum aliis ſuppliciorum generibus, S. Cypr. Epiſt. 9. 22 23. & de lapſ.

Digitized by Google

tum maximè igne. Quo pœnæ genere, cùm Chriſtiani frequentiùs afficerentur, inde factum eſt, (ut teſtatur Tertullianus) ut illi ſarmentitij, & ſemaſſij dicerentur: quia ad ſtipitem dimidij aſſis revincti, ſarmentorum ambitu exurerentur, ut ſuprà jam notatum eſt.

Tertul. Apolog. c. 50.

Perſecutio ſub Gallo & Voluſiano.

Huic perſecutioni, quæ non biennium integrum tenuit, quia non diutiùs imperavit Decius; annectitur ea, quæ ſub Gallo & Voluſiano facta eſt, tanquàm ſuperioris appendix & continuatio. Sub quibus paſſi ſunt S. Cornelius Papa, S. Cyprianus Epiſcopus, & plerique alij.

Perſecutio ſub Valeriano & Gallieno.

Euſeb. l. 7. hiſt. cap. 9.

Apud Euſeb. l. 7. c. 10.

Nona, quæ octava ordine numeratur à S. Hieronymo, Auguſtino, Oroſio, atque Severo, fuit ſub Imperatoribus Valeriano & Gallieno. Valerianus quidem initio imperij, benignus & humanus erga Chriſtianos fuit: à Mago tamen Ægyptio, cæterorum Magorum principe inductus eſt, ad eos perſequendos & interimendos; ut potè qui magicis artibus, quibus ſe addixerat, adverſarentur, ut teſtatur Euſebius. Sævijt autem uſqueadeò hæc perſecutio, ut Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, qui & ipſe in exilium relegatus, multa paſſus eſt, putaverit tempora illa infeliciſſima de Antichriſto, à Joanne in Apocalypſi prædicta, in Valeriano eſſe expleta. Significat autem eam duraſſe tres annos, & menſes ſex; quieviſſe autem cùm Valerianus à Perſis captus eſt. Sub illo paſſi ſunt innumerabiles Martyres, in Ægypto, & in Occidente, in quibus illuſtriores fuêre ſancti Stephanus & Sixtus ſummi Pontifices, S. Laurentius, S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis, S. Nicephorus, S. Eugenia, &c.

Baron. ad an. Chr. 259. & ſequ.

Perſecutio ſub Aureliano.

Huic annecti poteſt perſecutio Aureliani, quæ tum à S. Auguſtino, tum ab aliis 9. recenſetur; ab Oroſio autem & Severo prætermittitur. Cùm tamen certum

Digitized by Google

ſit ex tabulis Eccleſiaſticis, quamplurimos in perſecutione Aureliani martyrium ſubiiſſe; & Actis ſancti Symphoriani habeatur intextum ipſum Aureliani reſcriptum, contra Chriſtianos ad Provinciarum Rectores datum. Sub eo paſſi recenſentur SS. Patroclus, Trophimus & alij. August. l. 18. de civit. c. 52. ... ad anni Christi 275. n. 2.

Sub Numeriano item continuata, multos Martyres Deo conſecravit, tum Romæ, tum in aliis Imperij Romani Provinciis: ut teſtantur cuncta Martyrologia, & quædam Acta antiqua de iiſdem ſcripta. Baron. ad anno Chriſti 285. n. 6.

Decima, omnium maxima & crudeliſſima, fuit ſub Diocletiano Dalmatâ, & Maximiano. Anſa perſecutionis ex eo capta eſt, quòd Gentilitiæ ſuperſtitionis Pontifices, more ſolito, Chriſtianos calumniis circumveniſſent, quaſi aliquid contra Imperium molirentur. Tam immanis fuit, ut omnes Chriſtiani, propoſitis edictis, tormentis quibuſvis ſubjicerentur; & nulli quicquam vendere, vel emere liceret, niſi parvis ſtatuis paſſim in publico collocatis, thura priùs incenderet: Eſſentque conſtituti circa inſulas, vicos, & aquas, compulſores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi poteſtatem facerent, niſi qui idolis libaſſent. *Perſecutio ſub Diocletiano & Maximiano.*

Prętereà hęc edicta fuiſſe per univerſum Imperium Romanum promulgata teſtatur Euſebius; ut nimirùm diruerentur Eccleſię; & omnes Chriſtianorum ſcripturę igni traderentur; & qui honores fuiſſent adepti deponerentur; cęteri verò libertate privarentur; denique ut omnes ubique, Eccleſiarum Præſides conjicerentur in vincula, & quibuſcunque adhibitis machinis, victimas idolis immolare cogerentur. Euſebius l. 8. hiſt. c. 3.

Itaque ipſo Paſchatis die, ex edicto Imperatoris, tunc Nicomedię agentis, templa omnia fuerunt everſa, libri ſacri exuſti, Chriſtiani è magiſtratibus dejecti, in ſervitutem rapti, & omni ſuppliciorum genere Baron. ad an. Chriſti 302. n. 2. 3.

affecti: eóque proceſſit furor, ut ne Aulicis quidem ſuis, & amicis intimis, adeoque nec Serenæ uxori pepercerit. Quanta autem ſub iſtis Imperatoribus edita ſit Chriſtianorum ſtrages, quàm multorum ſanguis effuſus, jam ſuprà memoravimus in argumento 9. ſect. 3. de multitudine innumerabili Martyrum. Quantâ item crudelitate & quàm atrocibus tormentis in illos ſævitum ſit, liquet ex dictis ibidem in argumento 9. ſect. 6. de conſtantiâ Martyrum, & de hoc quidpiam addemus ſectione ſequenti.

Diocletianus & Maximianus, d[e]ſ[pe]rat[a] [r]elig[io]nis Chriſtianæ exſtirpatione ſe abdicant imperio.

Cæterùm cùm tam immani ubique Fidelium carnificinâ, non modò non exſtirparentur Chriſtiani, ſed etiam illorum numerus tantò magis accreſceret: Diocletianus & Maximianus de fide Chriſti abolendâ deſperantes, ille Nicomediæ ubi poſteà privatus vixit; hic Mediolani, uno eodemque die, depoſitâ purpurâ ſe imperio abdicarunt. Quibus abdicatis, nihilominùs perſecutio non ceſſavit; ſed Galerio Maximiano, qui ſe ſemper hoſtem Chriſtianorum infenſiſſimum geſſerat, imperium adminiſtrante, ſub iiſdem edictis, & nomine Diocletiani ad aliquot annos perſeveravit. Sub prædictis Imperatoribus, inter alios Martyres, maximè celebres fuêre, SS. Coſmas, & Damianus; S. Sebaſtianus; S. Caius Papa; S. Mauritius cum ſuâ Legione militum Thebæorum; S. Vincentius, S. Januarius, S. Lucia, &c.

Perſecutio ſub Licinio. Baron. ad an. Chriſti 316. n 2. &c. Gregor. Nyſſ. orat. 2. in 40. Martyr.

Undecima fuit Licinii Auguſti, qui ob diſcordias cum Conſtantino, cujus ſororem in conjugem duxerat, factus eſt Chriſtianorum perſecutor: tantò autem acriùs in eos debacchatus eſt, quòd, (ut tradit Gregorius Nyſſenus) hoſtis humani generis ipſi ſuaſiſſet, de hoſtibus nequaquàm victoriâ potiturum, niſi quos ſciret Chriſtum colere, occideret. Unde magis ac magis furore in eos excandeſcens, per ſæviſſimos Præſides, quamplurimos in diverſis Orientis

Provinciis, cum omni crudelitate ſuſtulit: quorum multorum nomina, relata inveniuntur in tabulis Eccleſiaſticis; nonnullorum etiam Acta ſuperſunt; cùm propè infinitorum memoria perierit. Victoria, quam de eo Conſtantius Magnus terrâ marique reportavit, pacem Eccleſiæ reddidit.

Duodecima fuit ſub Juliano Imperatore Apoſtatâ, qui mortuo Conſtantio, diverſâ ratione ab aliis Imperatoribus, Chriſtianos perſequi inſtitit. Cùm enim videret eos ſuppliciis & tormentis non modò non frangi, ſed potiùs confirmari, & omnes ad Martyrium, quaſi apes ad alvearium, (ut ipſe dicere ſolitus erat,) convolare; ut ipſis præriperet martyrii gloriam, & incitamentum patiendi: ſtatuit, illos artificiosè aggredi ac debellare, non mortem inferendo, ſed aliis malis ſenſim atterendo. 1°. enim Chriſtianorum filiis literarum cultum interdixit. Deinde Chriſtianis prohibuit, ne militiam gererent. 3°. illorum opes graviſſimis exactionibus exhauſit 4°. juſſit, illos à profeſſionibus ſuis publicis diſcedere, vel fidem abjurare. 5°. populares in ipſos inſolentias, non modò non reprimebat; ſed potiùs ad injurias iis inferendas, & ad ſævitiam incitabat; variaſque fingebat cauſas, quibus eos diverſis ſuppliciis ſubjiceret. Denique cùm his artibus parum ſe proficere animadverteret; ad cædes quoque converſus eſt, quas maximâ crudelitate fuiſſet executus, ſi è Perſico bello incolumis rediiſſet.

Perſecutio ſub Iuliano. Baron. ad an. Ch. 362. n. 5. &c.

Sozom. l. 5. c. 3. & 15.

De illo rem notatu dignam narrat Ruffinus, cujus etiam mentionem facit Auguſtinus. Cùm Julianus in ſuburbano Antiochiæ litaret Apollini, cauſaſque ſilentii percontaretur à Sacerdotibus dæmonum; reſponderunt, Babylæ Martyris ſepulcrum propè eſſe, & ideò reſponſa non reddi. Tùm ille venire Galilæos, (hoc enim nomine noſtros appellare ſolebat,) & auferre ſepulcrum Martyris jubet. Igitur Eccleſia uni-

Ruffin. l. 10. Hiſt. Eccl. c. 35. & 36. S. Aug. l. 18. de Civit. c. 52. *Ob viciniTatem ſe-*

puleri S. Babylæ, ſimulacrum Apollinis conticeſcit.

Pſ. 96.

Reliquiæ Martyris cum exultatione Fidelium, & confuſione Iuliani tranſportantur.

verſa conveniens, matres, viri, virgines, juveneſque, immensâ exultatione ſuccincti, trahebant longo agmine arcam Martyris, pſallentes ſummis clamoribus, & lætitiâ dicentes; *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui confidunt in ſimulacris ſuis.* Hæc in auribus profani Principis, per ſex millia paſſuum, tantâ exultatione pſallebat omnis Eccleſia, ut cœlum clamoribus reſultaret. Unde ille in tantam iracundiæ rabiem abreptus eſt, ut alterâ die comprehendi Chriſtianos paſſim, & trudi juberet in carcerem, ac pœnis & cruciatibus affici.

Martyrium S. Theodori.

Qui nullis tormentis cogi potuit ut mæſtus eſſe videretur.

Quod Saluſtius, ejus præfectus, non probans, etſi eſſet Gentilis, tamen juſſa exequitur; & apprehenſum unum quendam adoleſcentem, qui primus occurrit, nomine Theodorum, à primâ luce uſque ad horam decimam veſpertinam, tantâ crudelitate, & tot mutatis carnificibus torſit, ut nulla ætas ſimile factum meminerit. Cùm tamen ille equuleo ſublimis, & hinc indè lateribus inſtante tortore, nihil aliud faceret, niſi quòd vultu ſecuro & læto, pſalmum quem pridie omnis Eccleſia cecinerat, iteraret. Cúmque ſe omni expensâ crudelitate, Saluſtius nihil egiſſe perſpiceret; recepto in carcerem juvene, abiiſſe fertur ad Imperatorem, & quid egiſſet, nunciaſſe; ac monuiſſe, ne tale aliquid tentare vellet de cætero: fore enim, ut illis gloriam, & ſibi ignominiam pareret.

Hic faſſus eſt poſteà ſe in tormentis parum doloris ſenſiſſe.

Hunc Theodorum, inquit Ruffinus, ipſi nos poſtmodùm apud Antiochiam vidimus; & cùm ab eo requireremus, ſi ſenſum doloris habuiſſet ex integro, dicebat ſe quidem dolores parum ſenſiſſe adfuiſſe autem quendam juvenem, qui ſudanti ſibi, linteo candidiſſimo & ſudores abſtergeret, & aquam frigidam frequenter infunderet; & ita ſe eſſe delectatum, ut mœſtior factus ſit, quando deponi de equuleo juſſus eſt.

Digitized by Google

Comminatus eſt autem Imperator poſt victoriam Perſicam meliùs ſe Chriſtianos debellaturum: Enimverò theatrum Hieroſolymis extrui juſſerat, in quo reverſus Epiſcopos, Monachos, omneſque Sanctos, à beſtiis laniari ſpectaret; ſed ibi miſerè periit.

Iulianum pergens adversùs Perſas, omnia dira Chriſtianis comminatus eſt.

Præter has duodecim perſecutiones, S. Auguſtinus duas adhuc recenſet; Unam in Perſide, ſub Sapore Perſarum Rege, qui Magorum & Judæorum inſtinctu, eo prætextu quòd cum Romanis conſentirent; ipſo Paſſionis Chriſti die, crudeliſſimum per univerſam Regni ditionem edictum evulgavit, quo morti addicerentur omnes, qui ſe Chriſtianos profiterentur. Ui cujus edicti, innumera multitudo omnis ſexûs, ætatis & conditionis hominum, præſertim Sacerdotum, Miniſtrorum Eccleſiæ, Monachorum & ſacrarum Virginum trucidata. In iſta perſecutione, quæ tres circiter annos duravit tradunt communiter Hiſtorici, Martyres ad 16. millia interemptos eſſe.

Theodorus l. 4. c. 2. Aug. l. 18 de Civit. c. 52. Soz. l. 2. c. 8. & ſeq. Baron. ad an. Ch. 343. n. 3. & 4.

Perſecutio in Perſide ſub Sapore Rege.

Alteram memorat in Oriente crudeliſſimam ſub Valente Imperatore Ariano, qui omnibus modis Epiſcopos, & alios orthodoxos, uſque ad mortem funeſtam, quæ ipſi per ignem contigit, dirè vexavit.

Perſecutio ſub Valente Imperatore Ariano. Baron. ad an. Ch. 370. n. 1. & ſeq.

Quibus nos longè plures addere poſſumus, ab illo tempore in Eccleſiam, variis in regnis, omnibus ferè ſæculis concitatas; putà Vvandalorum in Africâ, ſub Genſerico Ariano, Gothorum, Saracenorum; Iconoclaſtarum in Oriente, ſub Leone Iſauro, & aliis Imperatoribus Iconomachis; & alias penè innumeras tum à Paganis, tum ab Hæreticis.

Plures aliæ Eccleſiæ perſecutiones.

Digitized by Google

SECTIO IV.

Atrocitas, univerſalitas, & diuturnitas Perſecutionum Eccleſiæ.

BReviter expoſuimus multitudinem perſecutionum, quibus Ecclesia undique concuſſa eſt; ſed quis ſermone poſſit illarum atrocitatem explicare, rabiem & furorem Tyrannorum, inuſitatos torquendi modos, & inauditas artes crudelitatis exercendæ. Non enim mens illorum & conſilium erat, ut cultoribus Chriſti mortem utcunque inferrent, quâ Martyres ſuâ conſtantiâ evadebant de Tyrannis victores, Tyranni reſtabant victi: ſed ut tormentorum vi & ſævitiâ, credentibus, fidem Chriſti eriperent, & ad Idolorum cultum, ſaltem exteriorem pertraherent. Quem in finem omnia torquendi inſtrumenta quæ furor pluſquàm belluinus invenire potuit, in Martyres exerebant; ignem, ferrum, equuleos, ſcorpiones, pectines ferreos, laminas candentes, craticulas, ſartagines, rotas, ollas ferventes, & alia innumera quæ longum eſſet recenſere: ideóque tormenta tormentis addebant, & omnia cruciatuum genera; quæ in hominum vel etiam dæmonum cogitationem venire poſſunt, impendebant; & tamdiù ut tortores torquendo defatigati, viribuſque exhauſti deficerent; Martyribus verò deeſſent membra & carnes, quibus cruciarentur. Id quod, ex iis quæ ſuprà de Martyrum conſtantiâ dicta ſunt, ſatis agnoſcitur.

Atrocitas perſecutionum.

At in prædictis Perſecutionibus non tantùm ſævitia, ſed etiam earum univerſalitas attendi debet. Cùm enim univerſum Imperium Romanum cultoribus Chriſti refertum eſſet; & tota vis Imperatorum in id incumberet, ut Religionem Chriſtianam radici-

Vniverſalitas prædictarum perſecutionum. Baron.

tis extirparent; non Provincia, non Civitas, oppidum, vicus, caſa aut angulus extitit, in quibus de Chriſtianis, cujuſcunque eſſent ordinis vel dignitatis, ſexûs & ætatis, non fuerit habita diligens inquiſitio, & crudelis animadverſio. Itaque nullus fuit in orbe locus, nulla regio quæ cruore Martyrum non fuerit aſperſa. Et ſpeciatim Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, Nicomediæ, Cæſarêæ in Cappadociâ, Cæſarêæ in Palæſtina, Ponti in Aſiâ; in Ægypto, in Africa, Carthagine, Cæſarauguſtæ, Pariſiis, Mediolani, Syracuſis, Catanæ; in Bithyniâ, in Achaiâ, Smyrnæ, Thebis; denique in omnibus Imperii Romani, quod toti penè mundo dominabatur, provinciis.

ad an. Ch. 303. n. 7.

Et in iſtâ diverſitate locorum & nationum, nulla perſonarum conditio, nulla ætas, aut dignitas, quenquam à gladio perſecutionis eximebat; omnes cujuſcunque generis homines involvebat. Sicut è contrà infidelitas falſorum deorum zelo incenſa, & Inferni furiis animata, cunctos æqualiter,, Imperatores, Reges, Præfectos, Magiſtratus, ipſamque plebem & populum in Chriſtianorum excidium armabat. Quod odium populare ſæpè in clamores efferatos, ac ſeditioſos erupit. Cujus rei exemplum ſuggerit nobis Baronius in Annalibus, ſumptum ex Actis ſancti Sabini Martyris illuſtris, & Epiſcopi Spoletini. Nempè cùm Maximianus Herculius Romæ, in Circo maximo, ludos Circenſes ſpectaret, Sexto miſſo Veneto vincente, acclamatum eſt à populo duodecies; *Chriſtiani tollantur*: & decies; *Chriſtiani non ſint*. Ex quo factum, ut Eugenio Hermogeniano, Præfecto prætorio referente in Senatu de perſecutione in Chriſtianos decernendâ, eâdemque decretâ, Maximianus reſcriptum dederit, ut ubicunque Chriſtiani inventi eſſent, aut ſacrificare diis cogerentur, aut pœnis ſubjicerentur, eorumque facultates fiſco vindicarentur.

Baron. Ad an. Ch 301. n. 4.

Acclamationes populi, ut tollãtur Chriſtiani, ſæpiùs repetita.

Digitized by Google

Aliud exemplum furoris popularis in Martyres, exhibet Epiſtola Eccleſiæ Smyrnæorum de Martyrio ſancti Polycarpi, quam Euſebius Cæſarienſis refert in hæc verba; *Inter eos qui in Eccleſiâ Smyrnenſi paſſi ſunt, præcipuè deſignatur vir fortiſſimus effloruiſſe, Germanicus nomine, qui per gratiam divinæ virtutis, metum corporeæ fragilitatis excluſit. Volente namque Proconſule perſuaſionibus aggredi virum, & objicere ei primæ ætatis florem, debere eum ſuimet ipſius commiſerationem capere. Ille nihil moratus, ſponte dicitur præparatam ſibi beſtiam provocaſſe, veluti tardantes increpans minas, & iniquæ hujus vitæ ultrò velocem expetiiſſe diſceſſum. Verùm cùm ex hujus tam inſigni morte, ſtuporem cepiſſet adſtantis populi multitudo; & totius Chriſtianorum gentis mirari virtutem de contemnendâ morte cœpiſſent conclamant omnes;* Tolle impios, Polycarpus requiratur.

Euſeb. l. 4 hiſt. Eccleſ. c. 15.

Exemplum furoris popularis adversùs Chriſtianos, in perſonâ S. Polycarpi.

Inſignis autem Vir Polycarpus, primò quidem cùm audiret vulgus in ſe acclamationibus excitatum, in nullo penitùs motus eſt, ſed manſit impavidus, tranquillus namque erat moribus, & ſerenus aſpectu. Qui cùm in eâdem Civitate vellet interritus permanere: acquieſcens tamen deprecantibus ſe familiaribus ſuis, ad agrum quendam Civitati proximum ſecedit; atque ibi cum paucis, diu noctuque nihil aliud agens, in orationibus permanet; pro pace Eccleſiarum, quæ ubique ſunt, ſupplicans Deo. Sed is in oratione poſitus, ante triduum quàm comprehenderetur, viſionem videt per noctem; cervical capitis ſui, flammis eſſe conſumptum. Cúmque evigilaſſet poſt viſum, interpretatus eſt adſtantibus ſomnium ſuum, dixitque pro certo, ſe ob Chriſtum per ignem, vitæ exitum ſortiturum.

Martyrium & conſtantia S. Polycarpi.

Imminente igitur quæſtione, rursùs fratrum charitate compulſus, commigravit in alium locum. Quò non multò poſt inquiſitores ejus ingreſſi, correptis duobus

Digitized by Google

pueris, & altero ex his verberato, per indicium ejus ad Polycarpum perveniunt, cùm jam declinaret dies. Et ingreſſi ipſum offendunt in ſuperioribus quieſcentem. Unde cùm poſſet facilis ei tranſitus eſſe ad alteram domum, noluit, dicens; Voluntas Domini fiat. *Quin imò & cùm comperiſſet adeſſe comprehenſores ſuos, in occurſum eis progreſſus, læto ac placido admodùm vultu compellare viros cœpit, cum ingenti oris gratiâ, ita ut illi mirarentur, & ſtuperent, quid tantùm ſtudij fuerit, ut vir illius gravitatis & honeſtatis, in tam longævâ ætate, & tantâ auctoritate vitæ poſitus, perquiri & comprehendi juſſus ſit.*

Suos comprehenſores urbanè, & lautè excipit.

Sed ille nihil moratus, continuò apponi menſam hoſtibus, quaſi hoſpitibus jubet, atque eis largiùs epulas miniſtrari, unius horæ ſpatio ab eis, orationis gratiâ, impetrato. Orabat igitur tantâ Dei gratiâ repletus, ut admirarentur omnes, qui aderant; & ipſi qui ad eum comprehendendum venerant, pœniterent quòd tam honeſtum virum, ac Deo dignum, & ipsâ ætate venerabilem, rapere juberentur ad pœnam. Poſteà verò quàm finivit orationem, inſtante jam horâ progreditur, & aſino ſedens ad Civitatem ducebatur. Pergenti occurrit ei Præfectus, Herodes nomine, & pater ejus Nicetas, qui levantes eum in vehiculum, perſuadere ſedulò conabantur, dicentes; Quid enim mali eſt, dicere Deum Cæſarem, & immolare, & de cætero vivere ſecurum? *Hæc ille primò tacitus audivit; ſed ubi perſiſtebant, ait ad eos;* Quid multis opus eſt? Facturus non ſum quod dicitis. *At illi poſteaquàm nihil ſe profeciſſe ſenſerunt, indignatione commoti, cum contumeliâ, eum vehiculo deturbant, ita ut pedem læderet præceps actus. Sed quaſi nihil fuiſſet injuriæ, totâ alacritate contentus pergebat ad ſtadium, quò duci fuerat imperatus.*

Conantur illũ blanditijs ad cultum deorum inducere.

Cùm verò tumultus ingens in ſtadio ex ingreſſu ejus, fuiſſet exortus, vox de cœlo delapſa eſt; Fortis eſto, ô

quit, faciam conſumi, ſi tibi beſtiæ contemnendæ videntur, nec propoſiti recipias pœnitudinem. *At ille*, ignem minaris, *inquit*, hunc qui ad momentum incendit, & paulò poſt extinguitur, quia ignoras futuri judicii ignem æternum, qui ad perpetuas pœnas præparatus eſt impiorum. Sed quid moraris? adhibe utrum voles. *Hæc & multa alia his ſimilia dicens Polycarpus, confidentiâ ſimul & lætitiâ replebatur, ita ut alacritatem vultûs ejus, reſponſionumque conſtantiam Proconſul maximo ſtupore miraretur.*

Miſſo igitur curione ad populum, jubet voce maximâ proteſtari, Polycarpum tertiò confeſſum, ſe Chriſtianum eſſe. Quo audito, univerſa multitudo tam Gentilium, quàm Iudæorum Smyrnenſis Civitatis cum ingenti clamore acclamabant; Hic eſt totius Aſiæ doctor, & pater Chriſtianorum, noſtrorum autem ſubverſor deorum; Ipſe eſt qui multos docet, ne immolent, neve adorent Deos. *Et poſt hæc verba acclamabant Philippo munerario, ut Leonem Polycarpo dimitteret; qui reſpondit, non ſibi licere, quia jam editionis ſuæ munus expleſſet. Tunc illi omnes pariter conclamarunt, ut Polycarpus, vivus arderet. Oportebat enim viſionem ejus, quam de ardente cervicali vidit, impleri. Quæ cùm dicto citiùs gererentur, ipſis populis ligna, vel de balneis, vel de publicis quibuſque locis, & ſarmenta congregantibus; præcipuè Iudæis ardentiùs ad hæc, ex more, ferventibus, cum omni velocitate extructus eſt rogus.* *Iterùm populus in ſanctum Polycar. inclamat, ut beſtiis, & igni tradatur.* *Rogus ipſi à populo præparatur.*

Tunc depoſitis ſenior indumentis, ac zonâ reſolutâ, calceamenta quoque pedibus tentabat educere, quæ nunquàm niſi à religioſis quibuſque, fide & devotione ſemetipſos invicem prævenientibus reſolvi conſueverant: ita namque in omni reliquâ vitâ ſuâ venerabiliter ab omnibus colebatur. Ut ergò expedita ſunt, quæ ad ignem pertinebant, cùm enim vellent, rogo impoſitum, etiam *Accingit ſe S. Polycarpus ad ſupplicium ignis.*

Digitized by Google

clavis affigere, ait; Sinite me. Qui enim dedit mihi ignis ferre ſupplicium, dabit ut & ſine clavorum affixione, flammas immobiliter perferam. *Tum illi omiſſis clavis, vinculis uſi ſunt ſolis; quibus poſt tergum manibus revinctis, velut electus aries, & ex magno grege aſſumptus, acceptabile holocauſtum, omnipotenti oblatus eſt Deo; has preces, etiam in ipsâ paſſione profundens*; Deus, dilecti & benedicti Filii tui Jeſu Chriſti Pater, per quem, tui agnitionem ſuſcepimus, Deus Angelorum & virtutum, & univerſæ creaturæ, ac totius juſtorum generis, qui omnes coram te vivunt; benedico te, qui me in hanc diem, atque in hanc horam perducere dignatus es, ut particeps exiſterem Martyrum, & Calicis Chriſti tui, in reſurrectionem vitæ æternæ, ac ſpiritûs mei per incorruptionem Spiritûs-Sancti, in quibus ſuſcipiar in conſpectu tuo hodie, tanquàm ſacrificium pingue & acceptabile. Sicut præparaſti, & præſignaſti, ita & feciſti. Verus es tu & ſine mendacio Deus, propterea & in omnibus laudo, & benedico te, & glorifico te per æternum Deum, & Pontificem Jeſum Chriſtum, dilectum Filium tuum, per quem, & cum quo, tibi cum Spiritu Sancto gloria & nunc, & in futura ſæcula. Amen.

Deo ſe offert in holocauſtũ, & commendat.

Et cùm, Amen, *inſonuiſſet, oratione completâ ſubjiciunt ignem, homines ignis æterni. Cùmque flamma ingens reluxiſſet, vidimus miracula omnes nos, quibus ea Deus conceſſit; ex quibus à Domino ad hoc reſervati ſunt, ut annuntiarent cæteris quæ viderunt. Flamma enim in modum cameræ curvata, ſpecie quaſi veli navis, vento ſinuante, ſupra corpus Martyris ſtetit: quod corpus in medio poſitum, non erat ut caro ardens, ſed tanquàm ſi aurum & argentum in fornace candeſceret. Tum præterea odorem naribus hauſimus, tanquàm thuris incenſi, vel pretioſiſſimi fragrantis unguenti. Ad*

Flamma viſibiliter refugit à S. Polycarpo. Stat in medio flammæ

ultimum videntes ſcelerum miniſtri, igne corpus non poſſe conſumi, juſſerunt propiùs accedere confectorem, & corpus, cui ignis ceſſerat, mucrone transfodere. Quo facto tam largus profuſus eſt ſanguis, ut reſtingueret rogum. Populus autem miraculi ſtupore attonitus diſceſſit, erga electos Dei tam inſigni ejus favore perſpecto. Hæc Euſebius. *illæſus: Mucrone confoditur.*

His omnibus quæ de multitudine perſecutionum Eccleſiæ, de earum atrocitate, & univerſalitate hactenùs memorata ſunt, adjice poſtremo loco durationem & diuturnitatem oppugnationis, quâ tandem quælibet virtus laſſata frangitur, prefertim in gravibus tormentis perferendis; quæ cùm diuturna ſunt & continua, omnes patientiæ vires elidunt & exhauriunt. At non aliquot tantùm menſibus, aut paucis annis; ſed tribus ferè ſæculis integris, furor immanis duodecim imperatorum Romanorum, ac potentiſſimorum Principum toto conatu & omnibus modis ad Religionem Chriſtianam eliminandam & exſtirpandam incubuit. *Diuturnitas prædictarum perſecutionum.*

Sectio V.

Concluſio hujus Argumenti.

Hoſtes nominis Chriſtiani, & omnes Tyranni, nihil contra Religionem promoverunt.

POſt hæc quid factum? poſt tantos furores, poſt tot ſupplicia, tamque longam pluſquàm trecentorum annorum ſævitiam; quid in exterminatione Eccleſiæ & Chriſtianorum promotum eſt? Accidit planè quod per Pſalten Deus prædixit; *Adſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſùs Dominum & adverſùs Chriſtum ejus, &c. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos; Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam,* Pſ. 2. v. 3.

Digitized by Google

Iſa.c.41 v. 11. *& poſſeſſionem tuam, terminos terræ.* Et apud Iſaiam; *Ecce confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant adversùm te: Erunt quaſi non ſint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos & non invenies viros rebelles tuos; erunt quaſi non ſint, & veluti conſumptio, homines bellantes adversùm te.*

Imo Religio Chriſtiana poſt tot cædes & perſecutiones, de ipſâ Roma triumphavit. Imperatores ſibi ſubjecit, & ex perſecutoribus fecit cultores ac defenſores.

Enimverò Deus omnes illorum conatus inanes & irritos reddidit; Chriſtus ſuorum morte triumphavit, idola ubique deſtructa fuêre; Eccleſia non modò non periit, ſed potiùs ſuis ruinis crevit. Roma illa antiqua, Martyrum perſecutrix, & ſuis per totum orbem victoriis, atque amplitudine dominationis ſuperba, Chriſti jugo collum ſubdidit; & ubi regnabat totius gentilitatis impietas, ibi ſedes Imperii Chriſtiani conſtituta eſt. Imperatores qui olim nomen Chriſti abolere moliti ſunt; nunc de manibus Vicariorum Chriſti, coronam accipere gloriantur, & ad eorum pedes exoſculandos provolvi non dedignantur. Quanta, Deus bone, rerum mutatio!

Quis unquàm Gentilium, aut etiam primævorum Fidelium, illius ſcilicet turbulenti temporis, perſuadere ſibi potuiſſet, fore ut miſeri Chriſtiani deſpecti, ubique oppreſſi, ad tantam exaltationem eveherentur, quâ toti dominarentur mundo, effecti ipſius Romæ domini, non armis, non præliis, non opibus, non potentiâ; ſed fidelitate in Chriſtum admirabili, patientiâ inexpugnabili, conſtantiâ invincibili: his virtutibus Martyres evaſerunt, diaboli & Tyrannorum, Romæ & Mundi victores. Quis hoc ſatis miretur? Quis non videat, hoc non niſi manu divinâ effici potuiſſe?

Michaël Medina l. 2. de fide, c. 6.

Etenim, ut rectè obſervat Medina, cernimus florentiſſimas & ſolidiſſimas quaſque Reſpublicas, vel externis bellis, vel internis ſeditionibus abolitas; cùm tamen nulla perſecutionum tempeſtas, nullus tentatio-

nis turbo, nulla calamitatum procella, Eccleſiæ fidem, & Religionem demerſerit. Non Tyranni, non publicæ infamiæ, non carceres, non proſcriptiones, non bonorum fortunæ jactura, non ludibria, non fames, non ſitis, non equulei, non pectines ferrei, non ſartagines; non illecebræ, non promiſſiones; non hæreſes; non denique ſupplicia, nec varia mortis genera, novam iſtam Religionem, nullo humano fultam præſidio, potuerunt opprimere. Quod manifeſto indicio eſt, eam non humanâ prudentiâ, ſed Omnipotentis virtute fundatam eſſe, ſupra firmam petram, adversùs quam portæ inferi non potuerunt, nec poterunt unquàm prævalere.

Stabilitas firma Religionis Chriſtianæ, clarè oſtendit, illam divinâ virtute fuiſſe fundatam.

Nam ædificia, non cæleſti ſed hominum ſapientiâ, quaſi fundamento conſurgentia, aut illecebræ pluviâ molleſcunt, aut ambitionis torrente labaſcunt, aut vento perſecutionis funditùs divelluntur, & corruunt. Aſſyrios Medi, Medos Perſæ; Perſas Græci duce Alexandro, Græcos Romani delevêre; qui cùm ſummum orbis imperium obtinerent, à Gothis, Herulis, Vvandalis, Hunnis, Longobardis, Arabibus, Turcis, Alanis, Francis, in mille partes dilaceratum periit. In ſanctam verò Chriſti Eccleſiam, licet inermem, non Medi, non Perſæ, non Græci, non Romani, non Arabes, non Gothi, non Alani, non Vvandali, non Hunni, non Judæi, non denique univerſus orbis, quamvis unanimi conſpiratione in eam totus inſurrexerit; illam tamen peſſumdare, aut labefactare valuerunt.

Regna & Imperia cum tempore deleta ſunt.

Pauci, breviſſimo temporis ſpatio, Imperatores Romani & Chriſtiani, univerſam idololatriam de medio & toto orbe ſuſtulerunt, non propoſitis pœnis, ſed Chriſtianâ duntaxat ratione vivendi permiſsâ. Et in Hiſpaniâ, ſuperiori ſæculo, unica per Catholicos Reges, Ferdinandum & Iſabellam, Sara-

Pauci Imperatores Chriſtiani totam idolola-

triam ſuſtulerunt. Saraceni & Judæi Ferdinandi juſſu, penitùs in Hiſpaniâ extincti ſunt.

cenorum ac Judæorum proſcriptio, nullis adhibitis aut propoſitis tormentis, illos ab avitâ vivendi ratione ita repreſſit, ut poſteà nemo aut Judaïcam, aut Mahumetanam ſuperſtitionem auſus ſit profiteri. E-contrà primi illi Chriſtiani, de quibus diſſeruimus, invitis Imperatoribus, invitis Magiſtratibus, prohibentibus & extrema quæque minitantibus Proconſulibus ac Tribunis, elatâ fronte, fidem Chriſti profeſſi ſunt; nec ab eâ publicè profitendâ, Senatuſconſulta, plebiſcita, Imperatorum reſcripta, Magiſtratuum edicta, quibus non ſolùm proſcriptio, ſed publicæ infamiæ, damnationes ad beſtias, bonorum publicationes, atrocia mortis ſupplicia continebantur; viros, fœminas fragiles, ac teneras puellas, pueros, ſenes, deterrere valuerunt. Et tantùm abeſt, ut his Religio Chriſtiana extincta ſit, ut potiùs inter has perſecutiones, *à ſolis ortu*, inquit Lactantius, *uſque ad occaſum lex Divina ſuſcepta ſit, & propè in infinitum multiplicata.*

Religio Chriſtiana ſuis perſecutionibus crevit. Lactât. l. 5.

S. Iuſt. dialog. cum Tryph.

Quam in rem S. Juſtinus Martyr præclarè dixit; *Quòd autem nos in Jeſum credentes nemo terrere aut domare valeat, apparet quotidiè: Cùm enim obtruncemur, crucifigamur, objiciamur beſtiis, & aliis tormentis tradamur; tamen à confeſſione non diſcedimus; ſed quantò magis in nos ſævitur, tantò plures pietatem, fidemque per nomen Ieſu profitentur. Haud ſecùs, quàm ſi quis vitem putatione provocet ad ubertatem; Nam vitis à Deo & Chriſto plantata, eſt ejus populus*, Ita Juſtinus.

Itaque, ſingulari hâc & omninò miraculoſâ Eccleſiæ Chriſti ſtabilitate perpensâ; nemo ſine maximâ temeritate, & imprudentiâ, poteſt de ejus veritate & conſequenter nec de Chriſti, ejus Auctoris, Divinitate ambigere.

Digitized by Google

DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI.

CAPUT UNDECIMUM.

Argumentum undecimum.

INFORTUNATI ET MALI exitus eorum, qui Chriſtum, vel ejus Eccleſiam perſecuti ſunt.

SECTIO PRIMA.

Deus utitur malis, ut puniat, aut exerceat bonos.

SAPIENTER ordinavit Deus, ut in hâc vitâ neque omnia ſcelera, neque nulla manifeſtè punirentur. Nam ut ait S. Auguſtinus; *Si nunc omne peccatum manifeſtâ plecteretur pœnâ, nihil ultimo judicio reſervari putaretur. Rurſùs ſi nullum peccatum nunc puniret apertè Divinitas, nulla eſſe Providentia crederetur.* Eam ob cauſam Sapientia Divina, quæ omnia in bonum ſuarum creaturarum decernit, quamvis quædam peccata interdum diſſimulet: alia tamen atrociora, præſertim impietatis, gravi-

S. Aug. l. 1. de Civ. c. 8

In hac vita neque omnes mali puniuntur, neque nulli.

bus pœnis etiam temporalibus ulciſci ſolet. Quâ ratione quàm plurimos ex iis, qui Eccleſiam Chriſti perſecuti ſunt, non vulgaribus pœnis de hoc mundo ſuſtulit: quibus poſtquàm uſus eſt Deus, tanquàm miniſtris & inſtrumentis gloriæ ſuæ, ac Martyrum; eos exitu miſerabili contrivit.

S Aug. in Pſ.73 *Deus pravorum impietate utitur tanquã inſtrumento iracundiæ quod poſteà in ignem projicit.* Iſa. 10. 5. Jerem.

De quibus loquens S. Auguſtinus, ait; *Impietas eorum, tanquàm ſecuris Dei facta eſt; facti ſunt inſtrumentum irati, non regnum placati. Facit hoc enim Deus, quod plerumque facit homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam jacentem in medio, fortaſſe qualecunque ſarmentum; cædit inde filium ſuum, ac deinde projicit ſarmentum in ignem, & filio ſervat hæreditatem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos, & per temporalem potentiam damnandorum, exercet diſciplinam liberandorum.*

In hunc modum Deus olim uſus eſt Nabuchodonoſore, tanquàm virgâ furoris ſui, (ut appellat Scriptura) ad populum Iſraël calamitatibus corripiendum: quo infelici munere poſtquàm functus eſt, virgam in ignem conjecit; id eſt, illum de ſuâ potentiâ ſuperbientem, de throno deturbavit, & ejus imperium ſubvertit. Id omnes ferè Martyrum Tyranni experti ſunt; quorum nonnulli à dæmone abrepti ſunt; alii ſibi ipſis necem intulerunt; alii vermibus corroſi, & pædore confecti; alii alio mortis violentæ genere, miſerandum in modum interiêre, ut in exemplis ſequentibus conſtabit.

Digitized by Google

Sectio II.

Infauſti eorum exitus, qui Chriſtum perſecuti ſunt.

ORdior ab eis qui Chriſtum ipſum fuerunt perſecuti, dum adhuc viveret, aut ejus Apoſtolos in Judæâ.

Atque inprimis perſpecta eſt omnibus vindicta, quam Deus ſumpſit de populo Judaïco, populo olim charo & præ cæteris omnibus nationibus dilecto, innumeriſque affecto beneficiis; nunc autem poſt occiſum Salvatorem, ita derelicto & abjecto, ut à pluſquàm mille & ſexcentis annis factus ſit omnium gentium opprobrium, deriſio, & non minùs ultionis Divinæ, quàm calamitatum omnium illuſtre & publicum ſpectaculum. De cujus miſeriis cùm ſuprà in argumento octavo fusè diſſeruërimus, nihil attinet hîc ampliùs addere.

Judæorũ pœna hactenus durat à pluſquã mille & ſexcentis annis.

Herodes Idumæus Rex Judæorum, qui Chriſtum infantem quærens ad necem, innumeros puerulos Bethlemiticæ regionis juſſit interfici; toties reus mortis Chriſti, quot pro illo infantes interemit; ante exitum hujus vitæ, Divinam manum criminis ultricem ſenſit. Nam, ut refert Joſephus, aliquot menſes antequàm vitam finiret, horribili morbo correptus eſt; quo nimirùm, lento febrilis caloris igne, interiùs exteriúſque urebatur; inexplebili ciborum aviditate, & rabidâ fame torquebatur: inteſtina ulceribus erant dilacerata, cum ingenti cruciatu, quibus accedebant dolores cholicorum torminum, aquæ intercutis, tumoris pedum, & partium umbilico tenus, quo diſtentus erat. Ipſa verenda, putrefacta ſcatêre cœperunt vermibus; adjunctâ tentigine obſcœnâ, cum fœtore intolerabili, dirâ nervorum contractione, & ſum-

Infelix exitus Herodis Idumæi.

Ioſeph. l. 17. Antiqu. c. 8. & ſequ. Baron. an. Chr. 8. n. 1. Euſeb. Cæſar. hiſtor. Eccleſ. l. 1. c. 8. & 9.

mâ difficultate anhelitûs. Cúmque balnea, & alia Medicorum remedia vidit eſſe irrita, præ deſperatione, & furore in ſeipſum excandeſcens, cultro, quo pomum comedendum ſcindebat pro more, in pectus immiſſo, mortem ſibi inferre conatus eſt. Tandem poſt occiſum paulò antè, ejus juſſu Antipatrum filium ſuum, præter alios duos, quos priùs necari curaverat; imperatâ ſorori ſuæ Salomæ, & ejus viro, nomine Alexa, nece omnium Judææ nobilium, quos minaci edicto convocatos incluſerat in Hippodromo, ſtatim atque obiiſſet; ut luctu ſaltem invito, mors ejus totâ Judæâ celebraretur; miſerè infelicem animam exhalavit.

Baron. loco cit.

Conſtans eſt autem omnium Auctorum Eccleſiaſticorum ſententia, ut teſtatur Baronius, plagas illas, præcipuè in pœnam perſecutionis Chriſti, & Infanticidij, Herodi fuiſſe inflictas. Quæ ſanè fuiſſent pro tantis criminibus parvæ, niſi æternarum fuiſſent quoddam præludium.

Herodis Antipæ mors infelix. Hegeſippus de excidio Hieroſol. l. 2. c. 5 Baron. ad an. Ch. 40. n. 2.

Herodes Antipas, Judæorum Tetrarcha, filius Idumæi, qui S. Joannem Baptiſtam in carcerem detruſerat, eò quòd illum redarguiſſet de abductâ ſibi Herodiade, uxore fratris ſui Philippi, eumque in gratiam meretricis juſſerat obtruncari; qui item Chriſtum à Pilato ad ſe miſſum, irriſum veſte albâ deſpicabilem reddiderat; à Caio Caligulâ privatus Tetrachiâ, & Lugdunum Urbem Galliæ, in exilium miſſus, mœrore animi conſumptus interiit.

Herodes Agrippa ultione divinâ percuſſus.

Herodes Agrippa, Judæorum Rex, qui in illorum gratiam, S. Jacobum Zebedæi, Apoſtolum capite truncari juſſerat; ac S. Petrum carceri mancipari, necandum poſt dies Azymorum; Cæſarêæ ludos celebrans pro ſalute Imperatoris, cùm veſte regiâ ſplendenti concionem haberet ad populum, & ab adulatoribus Deus acclamatus, impiam adulationem

Digitized by Google

admiſiſſet; illicò ab Angelo Domini percuſſus, poſt quinque dies in ſummis doloribus, conſumptus vermibus; horribili morte ſublatus eſt, ut teſtatur S. Lucas; & conſentit Joſephus.

Act. 12. v. 23. Ioſeph. l. 19. Antiq. it. c. 7.

Nec evaſit pœnam Pilatus, quam promeritus eſt, iniquam in Chriſtum, mortis ſententiam ferendo. Nam de multorum cæde & crudelitate, à Magiſtratibus accuſatus apud Vitellium Syriæ Præſidem, Officio privatus eſt, ac Romam miſſus, ut ſuam ibi coram Imperatore cauſam ageret. Sed antequàm Romam perveniſſet, Tiberius in quo ſolo ſpem poſuerat, ex hâc vitâ migravit. A Caio verò Caligulâ, in exilium, Lugdunum nempè in Galliâ, relegatus; poſt biennium, ſummâ rerum ſuarum deſperatione, manu propriâ ſibi mortem intulit. Ut tradunt omnes Hiſtorici apud Baronium, in Annalibus ad annum Chriſti 38. n. 1.

Euſeb. l. 2. hiſtor. c. 10. *Pilatus miſero exitu vitam claudit.* Euſeb. l. 2. hiſtor. c. 7. Niceph. l. 2. cap. 10. Cedrenus in Compend.

Sectio Tertia.

Infauſti exitus Imperatorum Romanorum, qui Eccleſiam Chriſti perſecuti ſunt.

Jam verò ut ad Romanos Imperatores, qui Chriſtum & ejus cultores crudeliter inſectati ſunt, veniamus; mirum quomodò ferè omnes, infœlici exitu periêre.

Nero, qui cæteris Perſecutoribus, impietatis & ſævitiæ exemplum dedit, quomodò tandem vitam clauſit? Hic, electo in Hiſpaniâ Sergio Galbâ Imperatore, latâque ſententiâ à Senatu, quem interficere decreverat, ut nudus per publicum ductus, furcâ collo inſertâ, virgis uſque ad mortem cæderetur, atque ita è ſaxo præcipitaretur; undique deſertus, è palatio fugiens, unà cum tribus vel quatuor libertis, in

Baron. ad an. Chriſti 70. n. 1. Suetonius in Neron. Eutrop. l. 8. *Neronis*

infauſtus exitus. prædium unius ex iis, Phaontis nomine, ſe recepit: Ubi in ſpeluncâ delitеſcens, cùm equites ſe quærentes adventare cognovit; ictu gladij ſe transfixit, adjuvante trepidantem manum impuro Eunucho Sporo: Cùm priùs à quo feriretur, nullo reperto, exclamaſſet; *Itane, nec amicum nec inimicum habeam? & qui dedecorosè vixi, turpiùs peream?*

Item Domitiani. Suecon. in Domit. c. 17. Dio in Domitiano. Nec minùs infeliciter periit Domitianus. Dum adhuc perſecutionis impetus in Chriſtianos fureret, conjuratione in ipſum factâ, in cubiculo à ſuis propriis miniſtris, conſciâ uxore Domitiâ, multis vulneribus confectus eſt: & Senatûs decreto, populari ſandapilâ, per Veſpillones contumeliosè, gladiatoris inſtar, elatus. Item ex odio quo eum proſequebantur cives, ſtatuæ omnes, tum aureæ, tum argenteæ, in illius honorem conſtitutæ, ſubitò in maſſam conflatæ ſunt; everſique arcus in ejus titulum & nomen ſubſtructi.

Trajani. Sueton. Eutrop. Dio Caſſ. Michaël Medina. l. 2. de fide, c. 11. Trajanum reſolutione membrorum, & ſtupore corporis, ſenſuumque, primùm ſubitò correptum fuiſſe; adeò ut venenum hauſiſſe ſuſpicio fuerit; poſteà verò aquâ intercute repletum, apud Selinuntem, Siciliæ urbem extinctum, Auctores etiam profani prodidêre.

Hadriani. Dio Caſſ. Ælius Spart. Aurel. Vict. Eutrop. Hadrianus Imp. plurimorum innocentium Chriſtianorum cædem, graviſſimis ac multiplicibus morbis luens, infeliciter periit. Primùm enim profluvio ſanguinis correptus, ſenſim adeò debilitari & exhauriri cœpit, ut de vitâ ejus ſæpiùs deſperaretur; & perſeverante morbo lentâ tabe corpus paulatim defluere. Unde ſecuta hydropiſis, quæ nec Medicorum arte, nec magicis incantamentis curari valuit. Itaque multis modis excruciatus, vitam miſeram non ampliùs ferens, mori decrevit. Sed recuſantibus omnibus, venenum aut gladium, inſtanter & promiſſâ pecuniâ, nonnunquàm etiam minaciter poſtulanti porrigere,

Baron. ad an. Chr. 139. & 140.

Digitized by Google

vel eidem ipſi cædem inferre; multum conquerens quòd mori non poſſet; tandem Medicorum conſilio, ab omni cibo & potu abſtinens, miſerabiliter expiravit.

Marcus Antoninus Verus, quamvis ſub finem vitæ, Chriſtianos perſequi edicto vetuerit: tamen cùm priùs illorum ſanguinem fudiſſet, apoplexiâ correptus, cùm per triduum mutus decubuiſſet, tandem extinctus eſt in Pannoniis. Refertque Beda propter Polycarpi & Pionij martyrium, quod in Aſiâ fecerat, aliorumque plurimorum qui in Galliâ ſub hoc Imperatore pro Chriſto necati ſunt, ſecutam eſſe quaſi ſcelerum vindicem, atrocem peſtilentiam, multas provincias vaſtantem, maximè verò Italiam & Romam, quod & alij ſcriptores teſtantur. Additque Aurelius Victor quòd ab armis nunquàm quies erat, perque omnem Orientem, Illyrium, Italiam, Galliamque bella fervebant: terræ motus non ſine interitu civitatum, inundationes fluminum; lues crebræ, locuſtarum ſpecies agris infeſtæ; prorsùs ut propè nihil dici, aut cogitari queat, quo mortales ſummis angoribus atteri ſolent, quod non illo regnante ſævierit. *Marci Antoni-ni Veri.* Mich. Medina. l. 2 de fide cap. 11.

Severus Imperator, cùm regnum feliciter primùm adminiſtraſſet, ſtatim poſtquàm in Chriſtianos perſecutionem movit, ſucceſſibus deſtitutus, variis & continuis bellis, ac periculis agitari cœpit, & tandem membrorum omnium dolore confectus; venenum poſtulavit. *Severi.* Mich. Medina l. 2. de fide c. 11. Baron. ad an. Ch. 213. n. 1.

Maximinus, cùm ad delendam populi Chriſtiani fidem, Eccleſiaſticos & Rectores Eccleſiarum omnibus modis vexari & fugari præcepiſſet; ex ejus odio, Senatus Romanus, ipſo vivente alios Imperatores deſignavit. Exercitus quoque in Africâ ab eo defecerunt; & tandem triennio Imperij vix completo, *Maximini.* Aurel. Victor. & Iulius Capitol.

Baron. ad an. Chriſti. 240. n. 2. cum filio adhuc puero, à propriis militibus ejus ſævitiam pertæſis, obtruncatur; conclamantibus cunctis militari joco; ex peſſimo genere, ne catulum quidem habendum. Poſteaque omnes qui quoquo pacto ei ſe adjunxerant, & amici fuiſſe videbantur, capti, occiſi, tractique, in cloacas abjecti ſunt.

Decij. Baron. ad an. Chriſti 254. n. 6. Decius Imperator, etſi Principis optimi ſpecimen edidiſſe viſus ſit, quippe qui à ſuis, Trajanus, cognomento diceretur: reus tamen effuſi innocentis Chriſtiani ſanguinis, ulciſcente Numine, meritas dedit pœnas. Dum enim anno 2. Imperij nondùm expleto, adversùs Gothos Mœſiam & Thraciam infeſtantes dimicat, à Treboniano Gallo, Limitanei exercitûs in Mœſia duce proditus; extincto filio ipſe equo ſalutem captans, in profundam paludem incidit, quâ confeſtim abſorptus, nuſquàm ampliùs viſus eſt. Id quod pluribus narrat Aurelius Victor.

Valeriani. Trebellius in Gallic. Euſeb. in Chronic. Baron. ad annũ Chriſti. 262. n. 2. Valerianus Imperator haud multò poſtquàm Chriſtianum nomen inſectari adorſus eſt, ducens exercitum adversùs Perſas, proditione cujuſdam ſui ducis, vel ipſius temeritate, captus ab hoſtibus in eorum poteſtatem venit. Tum à Sapore Rege in Perſidem abductus, non ſolùm non valuit ullis complurium Regum confœderatorum petitionibus dimitti: ſed ad ignominiam inſignem, quamdiù Valerianus vixit, Sapores ipſo incurvato, tanquàm ſcabello, ſeu ſuppedaneo, equum aſcenſurus utebatur. Hac profectò ultione dignus fuit, qui Chriſtianam Religionem pedibus toties proculcaverat. Addit autem Euſebius, tandem à Sapore Perſarum Rege excoriari juſſum eſſe, ſaleque condiri, in perpetuum ejus infortunij trophæum. Ejus deinde Præſidem Claudium, à diabolo arreptum, & poſt inciſam minutatim linguam, ſuffocatum quidam ſcribunt.

Euſeb. in vitâ Conſtantini. Henricus de Erfordia l. 6. c. 27. apud Medinã l. 2. de fide c. 11.

Gallienus ejus filius, patre in perpetuam captivi-

tatem abducto, quamvis cùm ſolus imperare cœpit, perſecutionem in Chriſtianos, paterno fato, (ut ſcribit Oroſius,) territus compeſcuerit: tamen quòd ſceleratas quoque manus ſanguini Chriſtianorum admoviſſet, privatam quoque vindictam expertus eſt. Plurimæ enim & mirabiles defectiones, rebelliones, mutationes ſub ejus imperio contigêre. Nulla fuit illo imperante Reſpublica, nulla Provincia, (exceptâ Italiâ) in quâ non ſit tumultuatum; totque ſub illo rebelliones extitêre, tot Tyranni, qui Imperatoris nomen aſſumpſerunt, ut credi vix poſſit. Trebellio enim teſte, triginta Tyranni numerantur qui diverſis in locis adversùs Gallienum rebellarunt. Triſtis, inquit Sabellicus, & terrorum plenus hujus principatus fuit: dira naturæ portenta, omnibus terris, illo imperante ſunt viſa: plures dies jacuit terra, velut tenebris obvoluta; auditumque tonitruum terrâ mugiente, non cœlo tonante. Unde ſecutus, ut ſolet, ingens terræ motus, quo plura ædificia cum habitatoribus, ſubito terræ hiatu abſorpta ſunt, multique mortales præ timore exanimati.

Gallieni Calamitates publicæ, illo imperante. Baron. ad an. Ch. 261. & 263. Trebellius in Gallic. Sabell. l. 7.

Hâc agitatione Aſia præſertim concuſſa eſt; mota eſt Roma, mota eſt Libya, terræque hiatus vaſtiſſimi pluribus extiterunt locis: maritimas urbes, ſubitum mare obruit. Scribit Euſebius ſub Gallieno, Ciliciam, Syriam, & Cappadociam à Perſis, Saporis ductu, fœdâ populatione vaſtatas; Alemannos & Gothos, Pontum, Aſiam, Macedoniam, & Græciam populatos. Quados & Sarmatas, Pannoniam occupaſſe; Tarracônem in Hiſpaniâ, à Germanis oppugnatam.

Euſeb. in Chronic.

Tandem poſt has Imperij Romani labefactationes, Aureoli tyranni fraude, apud Mediolanum, cum filio, ſeu ut Eutropius credit, cum fratre Valeriano, turpi & infœlici exitu, in expiationem ſanguinis tot ſan-

Aurelius Victor. Eutrop.

Digitized by Google

ctorum Martyrum, quem fuderat, occiditur.

Baron. ad annũ Chriſti 269. n. 1.

Quamvis autem Romani ſcriptores Gentiles, omnes illas clades & calamitates in luxum Gallieni, laſciviam & ignaviam refundant: Omnes tamen Hiſtorici Chriſtiani, rem altiùs conſiderantes, non dubitant, tot malorum cauſam, perſecutioni Fidelium adſcribere.

Aureliani. Euſeb. l. 7. c. 26. Vopiſcus. Aurelius Victor. Eutropius. Baron. ad an. Chriſti 278. n. 1.

Aurelianus Imperator, licet initio Imperij non fuerit à Chriſtianis alienus; *tamen*, ut ſcribit Euſebius, *in progreſſu, quorumdam conſiliis inductus, cùm jam propè eſſet, ut edicta perſecutionis ſubſcriberet, Divina dextera interveniens, ſubſcriptionem nefandæ dexteræ deturbavit; morte enim ſubitâ condemnatur, qui de piorum morte cenſebat; ut oſtenderet Deus, quia non cùm voluerit Tyrannus, cruciamur; ſed cùm probaverit, ipſi corripimur.* Itaque Aurelianus, poſtquàm decernere perſecutionem in Chriſtianos cœpiſſet; & ictu fulminis repentino territus, ad meliora non flecteretur, à ſuis inter Byzantium & Heraclæam, occiſus eſt. Tametſi autem omnes conveniant, eum tragicâ & cruentâ morte occubuiſſe: ſunt tamen qui eum ſuorum miniſtrorum fraude occiſum fuiſſe aſſerant. Nam cùm miniſter ejus Notarius, ad quoſdam militares amicos, nomina eorum annotata detuliſſet, falsò manum ejus imitatus, perinde ac ſi Aurelianus eos interficere conſtituiſſet: ab iiſdem amicis oppreſſus, interfectus eſt. Ita illi.

Diocletiani & Maximiani.

Diocletianus & Maximianus qui apud ſe ſtatuerant nomen Chriſtianum toto Orbe extinguere, videntes ſe innumeris & diris Fidelium cædibus nihil profeciſſe, præ rerum deſperatione, & animi faſtidio, abdicato imperio vitam privatam egêre, ut jam ſuprà dictum eſt: ſed non propterea pii ſanguinis effuſi vindictam evasêre. Nam Diocletianus, ut refert Nicephorus, divinis expetitus plagis, toto primùm

Niceph. Hiſtor. Eccleſ. l. 7. c. 20.

corp ore,

corpore tumorem ingentem concepit, quo deinde variè diſrupto, lentè ita emarcuit, ut blaſphema & impia ejus lingua, quæ iniquitatem in altum evomuerat, intra fauces ipſius, vermium vim germinaret; qui ex ejus ore prorepentes, fœtore peſſimo locum habitationis omnem replebant. Poſtremò autem, more canis quàm maximè latrans, ſceleratam animam cum violentiâ exhalavit. Scribit Baronius ex Euſebio, Zonarâ & Cedreno, illum diuturnâ & aſperâ corporis ægrotatione, pedetentim contabeſcentem occubuiſſe. Baron. ad an. Chriſti 316. n.

Neque verò Maximianus Herculeus, Diocletiani in Imperio Collega, & crudelitatis ſocius, fœliciùs ex hâc vitâ migravit. Narrat enim Zonaras, laqueo ſibi necem conſciviſſe. Nam cùm apud Gallias, ad Conſtantinum Magnum, qui Fauſtam ejus filiam, uxorem acceperat, acceſſiſſet, ac reſumendi rursùs Imperij ſuſpicione laboraſſet, comprehenſuſque videret ſe conatu dejectum; maluit ſibi Carnificis officium exhibere, quàm Imperatoris iracundiam, & vindictam imminentem expectare. *Maximiani Herculei.*

Galerij Maximiani, qui utrique abdicato ſucceſſit, decennalem per totam Aſiam in Chriſtianos ſævitiam, & atrocem carnificinam, ſic divinitùs vindicatam narrat Euſebius; *Ipſum auctorem ſceleris ultio divina corripuit; & ille qui lætis ac ſaginatis carnibus incedebat ſuperbus, inflatis ſubitò viſceribus, ſuppuratiſque diſtenditur. In profundioribus dehinc pectoris partibus obortum vulnus, totos intrinſecùs viſcerum ſeceſſus, tabo ſerpente depaſcitur. Pòſt etiam fiſtulis quibuſdam in ſuperficie, purulentis meatibus adapertis, de interioribus putrefacti vulneris venis, ebullire undatim cœpit innumera vermium multitudo. Fœtor verò tam intolerabilis erat, ut nullus omninò, ne Medicorum qui-* *Galerij Maximiani.* Euſeb. Cæſar. l. 8. c. 18. & 19. & l. 9. c. 9. Baron. ad an. Ch. 312 n. 5.

dem, propiùs poſſet accedere; quòd carnes ſatis latæ, in omni luxuriâ nutritæ, graviorem ex corruptione nidorem putredinis exhalabant. Denique pleroſque Medicorum, quòd nec morbo aliquid mederi, nec vim fœtoris tolerare poſſent, interfici jubet. In quibus cum quidam jugulandus potiùs, quàm medicaturus aſſiſteret, inſpiratus à Deo; (Cur, *inquit*, Imperator erras? & quod Deus infert, ab hominibus putas poſſe revocari? Nec humanus eſt iſte morbus, nec ab hominibus curatur. Sed recordare, quanta in ſervos Dei egeris, quámque in Religionem divinam impius & profanus extiteris; & intelliges unde tibi poſcenda ſint remedia: nam ego quidem mori cum cæteris potero, tu tamen à Medicis non curaberis.)

Additque Euſebius, his Medici verbis in ſe reverti Maximianum cœpiſſe, & agnoſcentem erraſſe ſe atque impiè egiſſe, edicta in Chriſtianorum favorem fruſtrà tuliſſe; quibus, illos ſua templa reædificare permiſit, eorumque precibus ſe, imperiumque commendavit: ſed obſervat Baronius mendum irrepſiſſe in inſcriptione iſtius edicti quòd Maximianum habeat pro Maximino, & Conſtantium pro Conſtantino.

Baron ad an. Chr 311. n. 5.

Baron. ad ann. Chriſti 314. n. 2

Maximini.

Maximinus Imperator poſt diram Chriſtianorum perſecutionem, coactus ex miſero rerum ſuarum ſtatu, laudem Deo illorum tribuere, pro eorum pleniſſimâ libertate promulgavit edictum, quo etiam loca publica eis reſtitui juſſit, & Eccleſias reædificare permiſit: moxque repentinâ divinitùs plagâ percuſſus, putrefactâ, & pedetentim exesâ carne, & ſponte exilientibus è propriâ ſede oculis, cæco reddito; demùm invocatâ morte, & propter ſcelera in Chriſtianos admiſſa, meritò ſe illa pati confeſſus, miſerabiliter animam efflavit.

Maxentius Tyrannus, poſtquàm uſurpato Romæ

Imperio in Conſtantinum Magnum rebellavit: etiam Chriſtianis crudele bellum indixit, ſed non impunè. Nam à Conſtantino, ingenti prælio victus, ſuis ubique fugatis, & pleriſque in flumine, quod à tergo erat, ſubmerſis, fugam & ipſe arripiens, pariter è ponte, quem ſcaphis conjunctis ſuper Tiberim ad ſe recipiendum, vel Conſtantinum demergendum conſtruxerat; (ſive tignis tanto fugientium oneri ſuſtinendo imparibus, ut vult Zozimus; ſive eâ arte à Maxentio antè compactis, ut artificis arbitrio nullo negotio ſolverentur; ſicque Conſtantinum, pontem occupare tentantem in aquas facilè dejicerent, ut tradit Euſebius,) in fluctus decidens, abſorptus eſt. Ejuſque corpore mox ab urinatoribus educto, ſectum caput haſtæ affixum, in urbem delatum eſt: inde verò poſteà in Africam miſſum; ut quam vivus Maxentius maximè afflixerat, laceratus expleret.

Baron. ad ann. Chriſti 309. 312. n. 8. *Maxentij tyranni.* Euſeb. hiſt. Eccleſ. c. 9.

Licinius à Galerio Auguſto Cæſar creatus, cùm à Chriſtianâ Religione, quam cum Conſtantino ſuſceperat, morum perverſitate defeciſſet; in Chriſtianorum perſecutorem converſus, à Conſtantino ſemel atque iterùm ſuperatus, ejus mandato interfectus eſt. Quanquàm eum anteà incredibilibus morbis, & calamitatibus vexatum Euſebius tradit. Joannes Preſbyter Nicomedienſis, qui hoc ipſo tempore Nicomediæ, ubi victus eſt, agebat, ſcribit illum iiſdem ulceribus, quibus Maximinus extinctus fuerat, excruciatum ex hac vitâ miſerè exceſſiſſe.

Licinij Baron. ad an. Chriſti 318. n. 2. Euſeb. l. de vitâ Conſtantini. *In actis ſancti Baſilij.*

Julianus Apoſtata in Perſicam expeditionem profectus, cùm imprudenter ſecutus eſſet ducem viarum, Perſam ad ipſum de induſtriâ transfugam, ut exercitum ejuſdem Juliani perderet; in magnas locorum difficultates adactus eſt; incenſis etiam ſtolidiſſimè, proditoris ſuaſione, navibus & commeatu. In

Iuliani Apoſtatæ. Baron. ad an. Ch. 363. n. 12. & ſeq.

Digitized by Google

prælio acriter cum Perſis undique inſtantibus pugnanti, ſubita equeſtris haſta, coſtis perfoſſis, hæſit in imâ jecoris fibrâ. Itáque lethaliter vulneratus, in caſtra relatus eſt; ubi epotâ gelidâ aquâ, ſub medium noctis ſequentis, vitâ facilius ſolutus eſt. Sunt qui ſcribant, eum ſagittâ de cœlo miſſâ, fuiſſe vulneratum; traditque Theodoretus, Julianum ſtatim ac plagam accepit, ſanguine manum impleviſſe, eoque in aërem projecto, exclamaſſe, (*Viciſti Galilae, viciſti.*) Quod & alij plerique teſtantur. Nicephorus verò, dixiſſe; (*ſaturare Nazarene.*) Hâc morte, funeſtâ æquè ac impiâ meruit ſceleſtus Apoſtata, & Chriſti perſecutor mori.

Theodoretus l. 3. c. 20.

Nimis prolixum eſſet, univerſos caſus & calamitates minutim percenſere, quas ob Fidelium perſecutionem, diverſis regionibus, provinciis & civitatibus, vel Romani Imperatores, vel Reſpublicæ leguntur pertuliſſe. Satis ſit ſanctum Cyprianum, in mediis perſecutionibus, hac ſuper re loquentem audire. *Certi ſumus*, inquit, *quòd inultum non remaneat, quodcunque perpetimur; quantóque major fuerit perſecutionis injuria, tantò eſt illuſtrior & gravior pro perſecutione vindicta.*

S. Cyp. ad Demetrianũ

Sectio Quarta.

Infauſti exitus Imperatorum hæreticorum qui Eccleſiam Chriſti ſunt perſecuti.

Poſt recenſitos Gentiles Eccleſiæ perſecutores, ex inſtituto noſtro videtur eſſe, ut iis ſubjiciamus Principes hæreticos, qui in eam, ſub erroneo prætextu Religionis, graſſati ſunt; ut in illis quoque exempla vindictæ divinæ cernantur. Non eſt animus

Digitized by Google

tamen omnium tragœdias & funeſtos exitus hîc exhibere; ſed eorum duntaxat, qui illuſtriores & famoſiores fuêre.

Primus qui ex Imperatoribus Chriſtianis, hæreticam perfidiam invexit in thronum, fuit Conſtantius Imperator, filius degener Magni Conſtantini, qui Arrianâ hæreſi ſeductus, Catholicos Præſules, præſertim Athanaſium, & Monachos dirè vexavit, nec impunè. Nam inprimis res bellicæ, quas in Oriente geſſit, infeliciſſimè illi ceſsêre. Scribit Oroſius, multa ab aliis narrata paucis complexus, Conſtantium adversùs Perſas & Saporem, novem prœliis ſuperatum fuiſſe. Unde jam videre licet, quàm diſpar fuerit conditio in bellis gerendis, Conſtantini parentis atque Conſtantij. Ille enim fide Catholicâ roboratus, ſecumque Catholicos Antiſtites ducens, prævio vexillo Crucis, nunquàm de Barbaris atque Tyrannis, non rediit victor & triumphator: Conſtantius verò tot prœliis cum Perſis initis, nunquàm niſi victus & cum ignominia reverſus, cùm ſocios haberet Epiſcopos Arianos, & inter alios inſignem impietate Euſebium Emiſſenum.

Conſtãtius in vitâ & morte infelix.

Eutrop. l. 10. Oroſius l. 7 c. 29. Ammianus l. 2[illegible]. Baron. ad an. Chriſti 345.

Nec mors vitâ felicior fuit; Nam poſtquàm diù conqueſtus eſt, quòd, inter cætera mala & indigna, quæ ſuo regno acciderant, miſerè fidem innovaſſet; pergens contra Julianum, qui inſignia Imperatoris aſſumpſerat, triſti ac violento morbo correptus, migravit è vitâ, inutili ut dicit S. Gregorius Nazianzenus, pœnitentiâ & animi dolore confectus.

Gregor. Nazianz. in oratione funebri S. Athanaſi. Baron. ad an. Chriſti 361. n. 5. & 6.

Valens Imperator Orientis, hæreſi Arianâ item imbutus, perſecutionem in Eccleſiâ tam gravem excitavit, ut fermè Ethnicorum Imperatorum perſecutiones ſuperaſſe videatur. Sub ejus imperio, multis calamitatibus publicis, ira Divina in Imperatorem, hoſtem Chriſti ſe ſe prodidit, grandine prodigioſâ,

Valens infœlicè regnat, miſeriùs moritur.

terræ motibus, fame, bellis, aliiſque flagellis; quæ Catholici non ſunt veriti, ipſi tanquàm malorum auctori in faciem exprobrare. Et inter alios Trajanus dux nobilis, qui cùm à Valente, conviciis ignaviæ & mollitiei perſtringeretur, quòd ab hoſtibus in aliquâ pugnâ ſuperatus fuiſſet, generosè reſpondit; *Non ego*, inquit, *victus ſum, ô Imperator; ſed tu ipſe victoriam perdidiſti, qui contra Deum aciem inſtruere non deſinis, & ita ejus auxilium Barbaris concilias; nam abs te oppugnatus ſe illis adjungit: Victoria autem ad eos ſemper accedit, quibus Deus ſe ducem præbet. Non noſti quos viros expuleris Eccleſiis, & quibus eas tradideris, &c.*

Gothis Thraciam depopulantibus, & ipſius Conſtantinopolis ſuburbiis inſultantibus, cùm eos aggredi & repellere decretum eſſet; Valens accepto nuncio de Alemannis à Gratiano victis, ejuſque propinquo adventu cum exercitu, ad auxilium ipſi præſtandum; ejuſdem gloriæ æmulus, quaſi ad majorem certamque victoriam proficiſceretur, Hadrianopolim venit; ibique Legatum Fritigernis Gothorum Regis, Preſbyterum Chriſtianum excepit, rogantem honeſtis conditionibus pacem. Sed ipſe mali dæmonis impulſu, & legationem Gothi Regis inanem remiſit; nec Gratianum Imperatorem proximè adfuturum, expectandum putavit, licet id præſtantiſſimi duces ſuaderent.

Baron. ad an. Christi 378. n. 6. 7. Oroſ. l. 7. c. 33.

Itaque in pugnam temerè proſiliens, ſuis mox in fugam converſis, & ipſe fugiens, interque milites gregarios latens, ſagittâ percuſſus eſt, delatuſque à ſuis in agreſtem caſam; quam intùs occluſam, cùm Barbari in prædam effuſi, tempus in eâ expugnandâ haud utile ſibi putarent; ſuppoſitis lignis & ſtipulâ incenderunt, & in eâ Imperatorem, cum omnibus quos ſecum habebat, combuſſerunt; uno excepto,

Digitized by Google

qui per feneſtram evadens, Imperatorem vivum intùs ardêre nuntiavit. Ita ferè omnes Hiſtorici, Ammianus, Ruffinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, quos refert & ſuis locis citat Baronius.

Id quod juſto Dei judicio accidiſſe, notat Oroſius, ut quos Gothos Valens à fide Catholicâ, ad ſectam Arianam adduxiſſet, imò conditione pactâ icti fœderis coëgiſſet: ab iiſdem, flammis ultricibus cremaretur; atque inſuper ſepulturâ privaretur, dignis ſuppliciis impiorum. Narrat autem Ammianus multa quæ præceſſerunt ſigna, illius mortis prænuntia; ut inter alia, vulgi clamores Antiochîæ editos, (*vivus ardeat Valens.*) Refertque Zonaras, cùm Valenti ad hoc bellum proficiſcenti, ſanctus Iſaacius prophetico ſpiritu diceret, ut Eccleſias Orthodoxis redderet, alioquin inde non eſſe reverſurum; his commotum Principem impium, cuſtodire juſſiſſe virum ſanctum, donec rediret: huncque reſpondiſſe; Si inde redieris, non eſt locutus per me Deus. Zonar. Annal. part. 5. de Valente.

Valentinianus junior à Juſtinâ matre in pueritiâ, Arianâ hæreſi corruptus, cùm Orthodoxis infenſus eſſet, & faveret Arianis; ſubinde Maximi & Eugenij Tyrannorum potentiâ perterritus, temerarios auſus, per ipſius manus Deo vindicante, mortem ſibi laqueo conſcivit, ut teſtantur Epiphanius, Socrates, Zonaras. Sozomenus tamen negat ſpontaneo laqueo periiſſe; ſed Arbogaſtis ducis perfidiâ, in palatio ſtrangulatum tradit. Theodoſius autem tum temporis, Orientis Imperator, prædictæ tyrannidis exurgentis cauſam, ad Valentinianum auxilia petentem ſcribens, Chriſtianè & ſapienter expoſuit. (*Non eſt*, inquit, *mirandum, ſi ſervus ſeditioſus, eo domino ſit ſuperior, qui Dominum ſuum*, (i. Chriſtum) *repudiet, & creaturam ac ſervum appellet Conditorem, pari dignitate cum Patre præditum.*

Infeliciter exit ex hâc vitâ Valentinianus.

Baron. ad an. Chriſti, 392. n 2. Zonaras

Leo Iſaurus. Leo Iſaurus, cognomento Iconomachus, cùm adversùs imagines bellum moviſſet, diramque ob id in Chriſtianos perſecutionem in Oriente excitaſſet: poſt ingentes urbis Conſtantinopolitanæ terræ motus, quibus magna hominum multitudo perierat; poſt Nicomediam & Nicæam terræ motu item ſubverſas; poſtquàm in Reip. perniciem propter eorum ſæculorum peccata, 24. annos imperaſſet, ex inteſtinorum morbo, animam infeliciter eructavit. *Baron. ad an. Chriſti 740. n. 1*

Conſtantinus Copronymus. Conſtantinus Copronymus paternæ hæres impietatis, poſt ſanctarum reliquiarum ludibria, poſt multorum Præſulum & Monachorum cædes, omnibus mortalibus inviſus periit. Nempè impiiſſimus Imperator in expeditione adversùs Bulgaros, divinitùs fuit in cruribus plagâ percuſſus, quam Græci ἄνθρακα, Latini carbunculum appellant. Unde febre validiſſimâ correptus, navigio delatus in caſtellum Strongylum, ibi *Animæ & corporis*, (inquit Cedrenus,) *mortem obiit, vociferans; ſe adhuc viventem inextinguibili igni traditum, propter Mariam, (cujus ſcilicet honorem & imagines violaverat,) jubenſque eam exinde honorari, tanquam ſanctam Virginem, ac verè Deiparam.* Teſtantur iſta pariter reliqui omnes Græci Auctores. Sepultus eſt autem Conſtantinopoli in templo ſanctorum Apoſtolorum, nactus quam non meruerat ſepulturam. Quâ cùm penitùs eſſet indignus, poſtmodùm juſto Dei judicio effoſſus eſt, & ejus oſſa publicè in foro cremata ſunt, ut aſſeritur à Græcis in Martyrologio. *Zonaras. Baron. ad an. Chr. 775. n. 1.*

Leo IV. Porphyrogenitus. Leo IV. cognomento Porphyrogenitus, prædicti Conſtantini filius, mali corvi, ut dicitur, malum ovum, ſanctarum imaginum hoſtis item acerrimus; poſtquàm patris exemplo, omnes, etiam præcipuos Aulicos, Imaginum cultores, ignominiâ & graviſſimis ſuppliciis affecit; non diù poſt impius Divinam *Baron. ad an. Ch. 780. n. 2. 8.*

Digitized by Google

vindictam ſenſit, quippe quem ſtatim, cælitùs percuſſum ſuſtulit. Cùm enim inſaniens, (ut ait Theophanes) circa lapides pretioſos, coronam magnæ Eccleſiæ, à Mauritio Imperatore olim Deo conſecratam, capiti impoſitam geſtaret, exierunt in ejus capite carbunculi, & vehementi febre correptus, interiit.

Leo Armenius VII. Errore item Iconomachorum implicitus, poſtquàm in Oriente aliquot annis in Orthodoxos ſæviit, anno Imperij 8. in ipſo die Natali Chriſti, de Michaële Balbo, Majeſtatis reò ſupplicium ſumpturus, deprecante Auguſtâ diſtulit pœnam, quæ in ipſum reſiliit. Nam Balbus nocte inſequenti elapſus è carcere, cuſtodis operâ contrahit veteratorum conjuratorum manum: Cum quibus, ſub Monachorum habitu, ſicas ferentibus, Imperatorem in Symphoniacorum loco canentem interficit. Baron. ad an. Chriſti 820. n. 1.

Michaël Balbus, homo etiam hæreticus, & bardùs, cùm impietati multa ſuperadderet ſcelera, defunctâ conjuge, deſponſatam Chriſto Virginem Monialem, nomine Euphroſynam, uxorem duxit, Auguſtamque nuncupavit. Sed Deus in pœnam tot criminum, Imperatori impio ingentia inflixit mala. Nam ipſius exercitus in Cretam miſſus, ad expellendos inde Saracenos, ab eis penitùs exciſus eſt; Et Dalmatia ab imperio Orientali defecit. Hæc pluribus Curopalates. Cúmque imperaſſet annos octo & aliquot menſes, dyſenteriæ morbo, cum maximis inteſtinorum doloribus ex hâc vitâ diſceſſit, maledictionibus omnium, pro panegyricis, infamatus. *Michaël Balbus.* Baron ad an Ch. 826. n. 7. Baron ad an. Ch. 829. n. 2.

Anaſtaſius Imperator in Oriente, cùm initio Imperii, rectè & moderatè gubernaſſet; poſteà inexplebili pecuniæ cupiditate accenſus, & Eutychianâ hæreſi infectus, Orthodoxos, ipſosque ſummos Pontifices Symmachum & Hormiſdam, omnibus modis dirè *Anaſtaſius Imper. fulmine percutitur.*

vexavit. Inter cætera multis Conſtantinopoli turbis pro defenſione fidei contra ipſum excitatis, Macedonium Antiſtitem Conſtantinopolitanum, conſtanter ei pro fide Synodi Chalcedonicæ reſiſtentem, ejectum è ſede Epiſcopali in exilium ablegavit; Ejuſque loco Timotheum, impium hæreticum ſubrogavit; Acta Chalcedonenſis Synodi combuſſit, populo quantumvis reclamante. Sed Deum tandem expertus eſt vindicem.

Baron. ad an. Ch. 511. 512.

Nam primò cùm agnoſceret ſe innumerorum malorum auctorem, ut populum Conſtantinopolitanum rursùs in ſe graviter commotum, aliquo modo ſedaret, & ſui commiſerationem excitaret, ad circum veniens, coronâ depoſitâ per præcones proclamavit, ſe paratum eſſe ad populi nutum, imperio cedere. Quo facto populus quidem placatus eſt. Sed brevi pòſt tempore idem Imperator, qui totum fermè orientem, igne perſecutionis exuſſerat; cùm jam antè oraculo edoctus fuiſſet, igne ſibi pereundum eſſe: multis fruſtrà adversùs illud mortis genus paratis remediis, conſtitutis in quolibet Palatii angulo balneis; multiſque portentoſis territus inſomniis; (quorum uno vir quidam terribilis, librum manu geſtans, ei dixit; *Ecce ob perverſitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vitæ tuæ deleo*) tandem anno 518 die 9. Julii, cùm tonitrua horrendum in modum reſonarent, fulgura ſubinde multa eliderentur, unde ipſe perterrefactus è cœnaculo in cœnaculum deſcenderet, & alios atque alios thalamos ſubiret, fulmine ictus interiit.

Baron. ad an. Ch. 518. n. 1.

Evagr. l. 2. c. ult. Zonar. Annal. part. 3. Cedrenus in Compēdio &c.

SECTIO V.

Infauſti exitus Hæreticorum qui ſuis erroribus Eccleſiam Chriſti dilaceraverunt.

QUòd ſi non tantùm Principes hæreticos, & armatos Eccleſiæ perſecutores, ſed etiam privatos Hæreſiarchas, qui ſuis dogmatibus impiis, Eccleſiam Chriſti corrumpere & ſubvertere conati ſunt, attendere velimus; videbimus quoque eos ferè omnes funeſtâ morte vitam clauſiſſe. *Hæreſiarchæ miſerè periere.*

Etenim ut auſpicemur ab Ario; Is cùm totum penè orientem, ſuâ in Chriſti Divinitatem impietate infeciſſet, & damnatus ac perculſus Anathemate à Concilio Nicæno, non modò non reſipiſceret, ſed etiam à ſuis fautoribus Epiſcopis Conſtantinopolim revocatus ab exilio, ut cauſam ſuam iterùm diceret, & in integrum reſtitueretur; Poſtquàm S. Alexander Pontifex, enixè & magnis precibus in templo Deum oraſſet, ut ſi Arîus ad Synaxim Fidelium reducendus eſſet, ipſe Alexander priùs eriperetur è vitâ; ſin autem Deus Eccleſiæ ſuæ miſereri dignaretur, Arîum è medio tolleret; ultio Divina ſtatim ſecuta eſt. Accidit enim, ut cùm poſtridiè ſummo mane, Arîus ab Euſebianis Epiſcopis domo eductus eſſet, ut antequàm Eccleſia ab Alexandro præoccuparetur, ipſi eam invaderent; dum in viâ pergit, ſentiens ſe ventris neceſſitate urgeri, ſubitoque motu ad latrinas publicas acceſſerit; ibique cum excrementis inteſtina omnia, & fœtidam animam effuderit. Cujus rei teſtis Athanaſius in oratione 1. contra Arianos, & Ruffinus l. 10. hiſtor cap. 13. *Arius.* Baron. ad an. Ch. 336. n. 8.

Eunomius, qui Spiritûs-Sancti Divinitatem negavit, quique, ut ait Ruffinus, erat corpore & animo *Eunomius.*

Digitized by Google

Ruffinus l.10.c.15. Theodoret. hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 24. Socr. l. 5 c. 20 Sozom. l. 7. c. 4.

leproſus; interiùs exteriúſque morbo regio corruptus: cùm ab Imperatore Conſtantio, ſolio Pontificali quod indignè aſcenderat, fuiſſet detruſus, & in exilium deportatus; tandem poſt omnium mortalium graviſſima odia, cùm ipſi penè in totâ Eccleſiâ non eſſet locus, apud Dacoram Cæſarêæ, ex infelici vitâ infeliciùs migravit.

Neſtor. Baron. ad an. Ch. 436. n. 1. Niceph. l. 12. c. 29 & c. 36.

Neſtorius cùm ſumma mala in exilio, quæ ipſe in Epiſtolâ ad quendam Thebarum Præſidem recenſet, pertuliſſet; tandem linguâ à vermibus corrosâ, ad majora & ſempiterna ſupplicia, pœnas graviores ſoluturus diſceſſit.

Macedonius, Pelagius, Donatus &c.

Plures adduci poſſent ex antiquis Hæreſiarchis, ut Macedonius, Pelagius, Donatus &c. quos omnes, tragicos & infelices exitus habuiſſe teſtantur hiſtoriæ; ſed eos breviter indicaſſe ſat eſt.

Lutherus.

Neque meliori fine hinc exierunt noſtri temporis Novatores. Nam Lutherus, ut teſtatur Cochlæus in ejus vitâ, morte repentinâ ſublatus eſt. Cùm enim opiparè cum amicis ſuis cœnaſſet lætus & ſanus; & facetiis ſuis omnes ſuo more exhilaraſſet, poſt mediam noctem, crapulæ doloribus oppreſſus, fœtentem ſpiritum exhalavit.

Zuinglius. Oecolampadius.

Zuinglius in bello contra Catholicos trucidatus eſt. Et paulo poſt Baſileæ, frater ejus ſpiritualis Oecolampadius, cùm veſperi ſanus cubitum iviſſet, manè inventus eſt ab uxore, mortuus in lecto, ut auctor eſt idem Cochlæus in actis Lutheri, an. 1531.

Carolſtadius.

Andream Carolſtadium à dæmone interfectum ſcribunt Miniſtri Baſileenſes, in Epiſtolâ quam addiderunt de morte Carolſtadii.

Calvinus.

Joannes Calvinus vermibus conſumptus expiravit, ut olim Antiochus, Herodes, Maximinus, & Hunericus. Id teſtatur Hieronymus Bolſecus in ejus vitâ: Qui etiam addit, eum dæmonibus invocatis, blaſphemantem & execrantem obiiſſe.

Digitized by Google

Sectio VI.

Proſperitas & felix obitus eorum qui Eccleſiam promoverunt, aut defenderunt.

HActenùs habemus Perſecutorum Chriſtianæ Religionis infortunia & infelices exitus; E contrà verò ſi evolvatur hiſtoria, tum profana, tum Eccleſiaſtica, perſpicuum fiet, & eos Principes, qui Religionem Catholicam ſuâ auctoritate & armis foverunt; & Doctores qui illam ſcriptis aut doctrinâ propugnarunt, in vitâ & morte felices extitiſſe.

Proſperitas, & obitus felix Imperatorum qui Religionem Chriſtianam foverunt.

Et ut in paucis exemplum fiat, nemo neſcit, Conſtantino Magno, qui primus ex Imperatoribus publicè, ſuſceptam fidem defendit, nullum glorioſiùs nec feliciùs imperaſſe. Nam imprimis tres Imperatores in ipſum inſurgentes, Maximinum, Licinium, Maxentium, totidem præliis, præeunte Labaro Crucis, ſub cujus auſpiciis ſe certare profitebatur, fudit, vicit, ac contrivit: Sarmatas & Gothos domuit, atque omnes nationes barbaras ipſi non ſubditas; quibuſdam ſe ultrò dedentibus, de quo ſcribit S. Auguſtinus; *Conſtantinum Imperatorem, non ſupplicantem dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem, tantis Deus terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. Univerſum orbem Romanum unus Auguſtus tenuit, & defendit; in adminiſtrandis bellis & gerendis victorioſiſſimus fuit; in Tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt, grandævus, ægritudine & ſenectute defunctus eſt; filios imperantes reliquit.*

Felicitas Conſtantini magni. S. Aug. l. 5. de Civ. c. 25.

In illo genere pietatis & felicitatis fuêre item Theodoſius Senior, Honorius, Theodoſius junior, Valentinianus Senior, Carolus Magnus Pipini filius, aliique.

Alii Imperatores pii, & felices.

Digitized by Google

Vita & mors felix ſanctorum qui Eccleſiam verbo & ſcriptis defenderunt.

Quibus item annumerandi ſunt ſancti illi viri, qui gladio verbi divini, Eccleſiaſticam fidem, tum contra Gentes, tum contra hæreticos, generosè defenderunt. Quales fuêre, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Nyſſenus, Bernardus, aliique complures; quorum omnium vita & mors, coram Deo & hominibus honorabilis fuit.

Sectio VII.

Concluſio hujus argumenti.

Cum igitur manifeſtum per ſe videatur, ejuſmodi perſecutorum punitiones, non caſu, non fortuito eventu contigiſſe; ſed à Deo ſuorum protectore, & impietatis vindice immiſſas eſſe: quid aliud arguunt, quid clamant, niſi Chriſtianæ Religionis veritatem, adeoque ipſius Divinitatem Chriſti? Si enim vanam tantùm, & falſam ſuperſtitionem inſectati fuiſſent; ſi cultum hominis falsò ſibi Divinitatem arrogantis evertere conati eſſent: tantùm abeſt ut eâ re ultionem divinam fuiſſent promeriti; ut potiùs præmiis & remuneratione magnâ dignos ſe præſtitiſſent.

Iſtæ hoſtium Eccleſiæ ultiones, non ſine ſpeciali Dei providentia contigerunt.

Atqui è contrà iſtis ſanctorum, & cultorum Chriſti perſecutionibus, apertè iracundiam Dei in ſe provocaverunt, ut vidimus. Conſtat igitur, Religionem quam perſecuti ſunt, veram eſſe; & ejus Auctorem Chriſtum, quem ut Deum, & mundi Salvatorem colit, verum eſſe filium Dei. Ad Chriſtianos quippè pertinet, quod dicit Apoſtolus; *Non vos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ; ſcriptum eſt enim; mihi vindictam & ego retribuam.* Et quod ait David; *Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperis.*

Rom. 12.

Pſ. 139.

Digitized by Google

DE VERITATE DIVINITATIS CHRISTI.

CAPUT DUODECIMUM.

Argumentum duodecimum illius demonſtrativum.

VNANIMIS CONSENSVS Sanctorum Patrum, ac totius Eccleſiæ.

SECTIO PRIMA.

Authoritas Sanctorum Patrum eſt magni ponderis ad veritatem fidei ſtabiliendam.

TOT ac tantis hactenùs teſtimoniis, prophetiarum, Evangeliſtarum, prodigiorum, miraculorum, Martyrũm, aliiſque recenſitis Divinitas Chriſti comprobata eſt; ut nunc adducere plura, ſupervacaneum videatur. Nihilominùs ut propoſitæ veritatis probatio undique ſit completa & convincens; prædictis adhuc ſuperaddo teſtimonium omnium Sanctorum Patrum, ac totius Eccleſiæ: quod quamvis unicum eſſet, & a cæteris ſejunctum, poſſet cuilibet homini non pervicaci, ad firmiſſimè credendum ſufficere.

Maximi ponderis ad fidem perſuadẽdam eſt au-

Digitized by Google

eſt, ſi præditi ſint eximiâ quadam ſapientiâ & probitate. A ſapientiâ enim habent, quòd non errent aut decipiantur; à probitate verò quòd nolint decipere, ſeu falſum teſtari. Quorum ſapientia tantò minùs eſt obnoxia errori, quò magis à Deo illuminantur; ab eoque eſt omninò immunis, ſi à Deo infallibiliter dirigitur in loquendo. *gravitas hominũ teſtium.*

Tales autem ſunt teſtes, quos hîc proferimus, videlicet ſancti Patres Eccleſiæ, qui uno ore, & unanimi conſenſu, omnibus à Chriſto ſæculis, conſtanter Divinitatem Chriſti crediderunt, & tum verbo, tum ſcriptis conteſtati ſunt. Quot verò ab illo tempore extiterint, quis enumerare valeat? In quibus fuerunt ſancti, Cyprianus, Cyrillus, Athanaſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Nyſſenus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius magnus, Thomas, Bonaventura, innumerique alii, ejuſdem auctoritatis & nominis.

Et illi, quales fuerint, quàm excellentis ingenii, quantæ ſapientiæ, & eruditionis, quis ignoret? Scripta quæ poſteritati tranſmiſerunt, ſunt luculenta monumenta illuſtris doctrinæ, quâ toti præluxerunt mundo: quibus conſtat, illos, non tantùm humaniores literas; ſed etiam omnes Philoſophiæ partes; in primis Theologiam, omneſque ſcientias tam divinas quàm humanas, eximiè calluiſſe; Myſteriorum noſtræ fidei arcana diligenter examinaſſe, de iis ſubtiliter & ſolidè ſecundùm divinas revelationes, ſeu ſcriptas, ſeu traditas, diſputaſſe: & omnia quæ Fidelibus credenda propoſuerunt, non niſi ex gravibus argumentis, fidei certitudinem oſtendentibus, crediſſe. *Quanti ingenii, & doctrina fuerint Sancti Patres.*

Sed præterea duo maximè contulêre, ut de rebus divinis rectè ſentirent. Primum eſt, quòd cùm eſſent eximiæ ſanctitatis, & rerum terrenarum perfe- *Duo maximè contulerent*

Sancti Patres, de rebus fidei ſanè judicarent. ćti contemptores; ad judicandum non movebantur, neque cupiditate avaritiæ, neque ambitione honoris, neque ullo affectu pravo, qui judicium ſolet corrumpere; ſed ſolo veritatis deſiderio ſtudioque Deum verâ religione colendi. Affectus quippè inordinatus

1. affecti recti. ad res temporales, & bona delectabilia, maximum eſt impedimentum rectè credendi. Ideò Chriſtus

Ioan. 5. v. 44. Dominus Pharizæis dicebat; *Quomodò vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam quæ à Deo eſt, non quæritis.* Et de improbis ſapiens;

Sapient 2. v. 21. *Erraverunt*, inquit, *excæcavit illos malitia eorum.* Sicut enim oculus corporeus aliquo vitio affectus, vel humore ſuffuſus, nequit objecta percipere clarè & diſtinctè: ita oculus mentis, id eſt, intellectus, niſi ſit ab omni labe, & affectu pravo purgatus, nullatenùs poteſt de rebus fidei rectè judicare. Ex adverſo animus ab omni pravâ cupiditate, & amore terrenorum liber, (qualis erat, & eſt mens ſanctorum de quibus loquimur,) myſteria fidei purè & ſincerè ſub luce divinæ revelationis intuetur.

2. Illorum ad Deum, veri luminis fontem adhæſio. Alterum eſt, quòd cùm viri illi ſanctiſſimi, Deo omnis luminis & ſapientiæ fonti, intimè conjuncti eſſent; tum per charitatem quâ flagrabant; tum per continuas preces, quibus humiliter à Deo, veræ fidei lumen efflagitabant: ſine dubio longè congruentiùs diſpoſiti erant, ut divino lumine illuſtrarentur, quàm Gentiles, aliive homines vitiis dediti, & à ſuo Creatore procul ſepoſiti.

Divinæ Providentiæ ſunt non permittere, ut illi à verâ fi- Et verò quis non cenſeat ad rectum Providentiæ ordinem, & ad eam quamcunque juſtitiam, quæ Deum inter & homines intercedere poteſt, omninò pertinere, ut qui toto corde ad ipſum convertuntur, non ſinat à viâ ſalutis aberrare; aut ſi fortè aberrent, gratiam eis ſuppeditet, ut in eam reducantur. Nihil enim rationabilius eſt, quàm ut Deus non deſit iis,

Digitized by Google

qui illum toto animo inquirunt, præſertim in rebus tanti ponderis, & pertinentibus ad ſalutem. Siquidem ille ſæpê promiſit, ſe iis affuturum, qui ipſum ſincerè & toto corde quærerent, ut ſignificavit per Pſalmiſtam dicentem; *Quærite Deum, & vivet anima veſtra*, & apud Jeremiam. *Quæretis me, & invenietis; cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, inveniar à vobis.*

de aberrarent, qui ſincerè Deum quærebant.
Pſ. 6.8.
Ierem. 29.

Quis igitur jure exiſtimet tot Doctores Eccleſiæ integerrimos & ſanctiſſimos, qui cum Apoſtolo, omnia arbitrabantur ut ſtercora, ut Deum & Chriſtum lucrifacerent, qui toto animi deſiderio ad ipſum aſpirabant, extra veram fidem & viam ſalutis vixiſſe? Olim Cornelius Centurio, eò quòd apud Cæſarêam, Deum quâ poterat ratione conquireret, erogans eleemoſynas, & deprecans Deum, Petri prædicationem audire meruit. Et Paulus Apoſtolus, quòd Judaïſmi ac paternarum traditionum eſſet æmulator, & obſequium arbitraretur ſe præſtare Deo; in ipſo prædicationis ardore, Chriſto ipſi apparente, grandi prodigio proſtratus, & ad Ananiam perductus, illuſtrationem fidei recepit. Quomodò igitur fieri poſſet, ut qui non tantùm bona ſua, ſed etiam ſeipſos totos, in obſequium Dei & officia charitatis tradidêre, permiſſi eſſent à Deo, in falsâ & impiâ ſuperſtitione permanere.

Ad Philip. 3.
Act. 10.
Galat. 1.
Act. 8.

Magna profectò fiducia eſt fidei noſtræ, magna ſecuritas conſcientiæ, poſſe dicere; Credo quod crediderunt Apoſtoli, Petrus & Paulus, Jacobus, Joannes, Andreas, cæterique, qui fuerunt Oracula Divinitatis, & Religionis Chriſtianæ fundamenta. Credo quod crediderunt ſancti, Athanaſius, Ambroſius, Hieronymus, aliique ejuſmodi Doctores penê innumeri, qui fuerunt orbis Chriſtiani lumina. Credo quod crediderunt omnes Martyres, qui pro Chri-

Magna omnino eſt fidei noſtra ſecuritas, quâ credit quod omnes ſancti crediderunt.

ſto confitendo mortui ſunt. Credo denique quod ſemper credidit, quodque nunc ubique credit, credetque ad finem mundi tota Eccleſia; Chriſtum Dominum eſſe verum Deum, & Filium Dei. Hoc pro re indubitatâ crediderunt, creduntque omnes ſapientes, omnes ſancti, Mundus univerſus; (Eccleſia enim Catholica toto orbe diffuſa eſt.) Nonne igitur oportet, illum eſſe, non tantùm impiè, ſed etiam ſtultè pertinacem, qui toto mundo credente, poſt tot, tamque evidentia credibilitatis argumenta non credit; ſuumque judicium privatum, totius mundi judicio & ſenſui anteponit?

Sectio Secunda.

Summa vis eſt auctoritatis Eccleſiæ & Conciliorum Generalium ad veritates fidei confirmandas.

QUòd ſi auctoritas ſanctorum Patrum ſigillatim ſpectatorum, & privatim loquentium, tanta eſt ad fidem Chriſti perſuadendam: quantò efficaciùs perſuadebit auctoritas eorundem in Conciliis Generalibus congregatorum? Concilium, quod Græci Synodum vocant, nihil eſt aliud, quàm Comitia quædam Eccleſiaſtica Epiſcoporum & Prælatorum, in quibus de rebus ad fidem, aut Eccleſiæ regimen pertinentibus ſtatuitur. Concilia Generalia ſeu Oecumenica dicuntur, ad quæ convocantur legitimè Epiſcopi & Prælati totius orbis; ſummo Pontifice in iis per ſeipſum, aut per ſuos Legatos præſidente; quæ proinde univerſam Eccleſiam repræſentant. Iis interſunt Præſules ex omnibus mundi partibus & regnis; celeberrimi ac doctiſſimi quique Theologi. Ubi poſt Divinam opem, & aſſiſtentiam Spiritûs-Sancti, multis precibus & ſacrificiis imploratam,

Quid ſit Concilium.

Quid Concilia generalia.

ſummâ diligentiâ res in fide controverſæ diſcutiuntur, inveſtigando & expendendo accuratè ſcripturas & traditiones ſacras, id eſt, verbum Dei ſcriptum & non ſcriptum; tandemque ex Spiritûs Sancti directione, quæ ex promiſſione Chriſti iis infallibiliter exhibetur; quid juxta fidem tenendum ſit, tanquàm à Deo revelatum, definiunt, ac toti Eccleſiæ credendum pronuntiant.

Quamvis autem ſinguli Prælati & Patres Eccleſiæ potuerint errare ut privati doctores, ſive prout ſolitariè quidpiam docuerunt, aut ſcripſerunt: tamen Concilia œcumenica congregata, in ſtatuendis fidei dogmatibus errare non poſſunt, ut pro certo tradunt omnes Theologi tanquam de fide; cùm iis à Deo promiſſa ſit infallibilis aſſiſtentia Spiritûs Sancti.

Concilia œcumenica ſunt auctoritatis infallibilis.

Id quod habetur primò ex ſcripturâ Joan. 16. ubi dicitur; *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem.* Quæ promiſſio facta eſt non ſolùm Apoſtolis, ſed etiam Prælatis eorum ſucceſſoribus. Nam cap. 14. Dominus apertè teſtatur, Spiritum Sanctum manſurum cum Apoſtolis in æternum, id eſt, cum eis, & cum eorum ſucceſſoribus perpetuò. At Epiſcopos ſeorſim exiſtentes Spiritus Sanctus non docet infallibiliter omnem veritatem: ergo ſaltem Epiſcopos omnes in unum congregatos docebit omnem veritatem. Et verò, ut rectè advertit Bellarminus, cùm non ſit in Eccleſiâ, major aliqua Cathedra, per quam Deus nos doceat, quàm ſummi Pontificis Cathedra, adjuncto conſenſu Concilii univerſalis; ſi hæc etiam Cathedra falli poteſt, cùm univerſam Eccleſiam docet, non apparet quomodò vera ſit illa promiſſio; *docebit vos omnem veritatem.*

Bellarm. l. 2. de Concil. Auctoritate, c. 2.

Item Actorum 15. Apoſtoli, in primo Concilio congregati, ſic in formâ definiendi loquuntur; *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Quòd ſi Concilium illud,

ex quo formam acceperunt omnia alia Concilia, aſſerit decreta ſua, eſſe decreta Spiritûs Sancti: certè idem poſſunt aſſerere cætera legitima, quæ univerſæ Eccleſiæ regulas credendi, & operandi præſcribunt. Illi quippè Concilio ideò adfuit Spiritus Sanctus, quia id neceſſe erat pro Eccleſiæ conſervatione: At non minùs aliis temporibus, novis hæreſibus exorientibus, id neceſſarium fuit, atque etiam in poſterum erit: igitur non minùs aliis Conciliis aſſiſtit, quàm iſti.

Si Concilium œcumenicum errare poſſet poſſet, errare tota Eccleſia.

Prætereà idem conficitur ex iis ſcripturæ locis, quibus probatur, Eccleſiam errare non poſſe, neque in credendo, neque in docendo; qualia ſunt hæc Matthæi 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Et primæ Timothei 3. *Eccleſia Dei vivi, eſt columna & firmamentum veritatis.* Si autem Concilia Generalia poſſent errare, cùm illa repræſentent Eccleſiam univerſalem in perſonis omnium Præſulum, & præcipuorum membrorum congregatorum; & omnem populum Chriſtianum doceant, obligentque ad credendas res in Conciliis definitas: ſequeretur totam Eccleſiam in rebus fidei errare poſſe; quod tamen ſalvâ fide dici nequit.

Longum eſſet hìc referre teſtimonia Patrum, iſtam Conciliorum œcumenicorum infallibilitatem aſſerentium, quæ apud Bellarminum legi poſſunt libro 2. de Conciliis, cap. 3. Non eſt tamen omittendum, quod ait S. Gregorius Papa lib. 1. Epiſt. cap. 3. nimirùm, *quatuor prima Concilia univerſalia recipienda eſſe, ſicut quatuor Evangelia*, ſcilicet, quoad certitudinem in rebus definitis. Neque quod S. Auguſtinus ſcripſit Epiſt. 118. *Diſputare de eo, quod univerſa Eccleſia ſentit, inſolentiſſima dementia eſſe.*

Fuit

Ratio autem Theologica prædictæ infallibilitatis

Digitized by Google

Conciliorum Generalium, hæc facilis reddi poteſt. Quia videlicet Divinæ Providentiæ fuit, dare ſuæ Eccleſiæ, regulam aliquam vivam, quæ poſſet in controverſiis fidei infallibiliter docere, quid tenendum ſit. Et cùm ipſius ſæpiùs aſſiſtentiam ſpecialem promiſerit; credi non poteſt, Deum in re tanti momenti, Eccleſiæ ſuæ defuiſſe. Atqui hæc regula non poteſt eſſe totum corpus myſticum Eccleſiæ, prout includit omnem populum laïcum; imò nec totum Clerum: propter impoſſibilitatem omnes congregandi, & plebis inſufficientiam; cum etiam quia non omnes ſunt Paſtores, vel Doctores Eccleſiæ. Ergo nulla inter homines cogitari poteſt regula majoris auctoritatis, & cui magis infallibilitas convenire debeat, quàm Concilium univerſale cum ſummo Pontifice; ſiquidem ibi eſt caput Eccleſiæ, & alii Principes Eccleſiaſtici, qui ſimul congregati, meritò cenſentur totam Eccleſiam repræſentare. Igitur hæc maximè regula eſt infallibilis. Id quod apud Catholicos ita certum eſt, ut Theologi omnes affirment eſſe de fide; & citra hæreſim negari non poſſe.

divina Providentia dare ſua Eccleſia, regulā fidei infallibilem. Qua apud omnes eſt Concilium generale, totam Eccleſiam repræſentans.

Sectio III.

Conciliorum & totius Eccleſiæ definitiones de Divinitate Chriſti.

Quòd ſi auctoritas Conciliorum certa eſt, & infallibilis, ut vidimus: ex hoc jam evidenter concluditur Divinitas Chriſti, teſtimonio tam auguſto, tam univerſali & indubitato ſæpiùs conteſtata. Siquidem omnia Concilia generalia, quæ hactenùs habita ſunt, vel expreſſè illam, contra impugnantes definierunt; vel implicitè illam, ut minimè controverſam ſuppoſuerunt, atque confirmarunt.

Omnia Concilia generalia, Divinitatem Chriſti

Digitized by Google

aut definierunt expreſſè, aut minimè controverſam ſuppoſuerunt.

1. Synodus œcumenica Nicæa contra Arianos congregata.

Et quidem prima Synodus œcumenica, quæ habita eſt anno Chriſti 325. ſub Sylveſtro Papâ, & Conſtantino magno Imperatore, in hunc finem fuit coacta, ut contra Arianos ſtabiliret Divinitatem Chriſti. Arius enim Preſbyter Alexandrinus, novam in orbem hæreſim invexerat, quâ negabat Filium Dei eſſe Patri coæqualem, conſubſtantialem, & coæternum: aſſerens eum in tempore fuiſſe creatum à Patre, diverſæ ab eo eſſentiæ & naturæ; ac proinde Chriſtum fuiſſe puram creaturam, non Deum.

Quæ peſtis magnam Orientalium Epiſcoporum partem paulatim corruperat. Nam cùm huic impio dogmati ſeſe imprimis oppoſuiſſet Alexander Epiſcopus Alexandrinus, & præmonitum Arium, ſed indocilem, & obſtinatum, anathemate percuſſiſſet; Arius ad Euſebium, Cæſarêæ in Palæſtinâ Epiſcopum confugit; quem hæreſis ſuæ, ſocium & fautorem nactus, cum alio item Euſebio Nicomediæ Epiſcopo, cujus magna erat apud Conſtantinum Imperatorem gratia & auctoritas, adjunctis quoque aliis non paucis Epiſcopis, omnem Meletianorum factionem ſuas in partes pertraxit. Dehinc ſerpente latiùs malo, cùm Ariani, deſpectâ Concilii Alexandrini auctoritate, inſolentiùs tumultuarentur, & perverſum dogma longiùs propagarent; viſum eſt impiam illam doctrinam non aliter reprimi poſſe, quàm Synodo Generali.

Hânc itaque Sylveſter Papa, Nicææ in Bithiniâ indici jubet, conſpirante unà Conſtantino Imperatore, & omnibus Epiſcopis ac Prælatis convocatis, ſecuritatem itinerum, & commeatum, magno fidei zelo, providente; quare anno Chriſti citato 325. trecenti Epiſcopi, ex diverſis orbis plagis, Nicæam convenerunt.

Epiſcopi

Inter quos primus ſedit Oſius, Epiſcopus Cordu-

benſis, Sylveſtri Romani Pontificis vicem gerens, Collegarumque Legatorum primarius. Interfuerunt Alexander Alexandriæ, Euſtathius Antiochiæ, Macarius Hieroſolymorum, Patriarchæ; aliique Præſules, quorum plerorumque eximia ſanctitas faſtis Eccleſiæ conſignata colitur. S. Nicolaus Myræ in Lyciâ Epiſcopus, Potamon Heraclêæ, Paphnutius Thebaïdis ſuperioris Epiſcopus; ille in Maximini perſecutione, altero oculo privatus ob fidem; hic dextro oculo effoſſo, & poplite ſiniſtro ſucciſo ad metalla damnatus; quem & in Eremo ſub magno Antonio militaſſe, auctor eſt Athanaſius; Ruffinus verò, & miraculis claruiſſe, atque in tantâ veneratione fuiſſe Conſtantino, ut ſæpiùs intra Palatium advocatum amplecteretur, oculumque evulſum piis & avidis oculis demulceret. Adfuit item Paulus Neocæſarêæ Euphrateſiæ Epiſcopus, qui in perſecutione Licinianâ, ob fidei confeſſionem, fuerat candentibus laminis excruciatus: Jacobus Niſibis in Meſopotamia Epiſcopus, qui Theodoreto teſte, mortuos ad vitam revocavit: Et Spiridion Epiſcopus Trimithuntis in Cypro, qui etiam fuit unus ex illis nobiliſſimis Confeſſoribus, quos Maximinus oculo dextro eruto, & poplite ſiniſtro ſucciſo ad metalla damnaverat.

inſignes qui huic Synodo interfuerũt.

Baron. ad an. Chriſti. 325. n. 6. 7. &c. Ruffin. l. 1. c. 4.

Et ex ſuperiore Armeniâ advênit Aroſtanes, ſucceſſor magni Gregorii Armeni, qui majoris Armeniæ Regem ad fidem converterat. Alexander Conſtantinopolitanus, cujus precibus poſteà Arius fœdâ & inopinatâ morte abſumptus eſt. Item magnus Athanaſius, tunc Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconus, quem ſibi comitem Alexander Patriarcha delegerat; cujuſque ſublimitas ingenii, & inſignis eruditio, cum zelo Religionis conjuncta, Arianorum odium capitale ipſi concitavit. Denique, ut ait Theodoretus, in iſto Concilio cernere erat multitudinem Martyrum,

Confeſſorum, Sanctorum, & totius Eccleſiæ lumina.

Iob. 1. Verùm ſicut olim, *cùm veniſſent filij Dei, ut aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan*; ut ſcriptum eſt in libro Job: ita in ſanctiſſimo hoc Patrum conſeſſu adſtitit Diabolus in membris ſuis, nempe Ariani Epiſcopi, quorum duces fuerunt, Euſebius Epiſcopus Nicomedienſis, alterque Euſebius Cæſarienſis, Paulinus Tyri, Theognis Nicææ, Menophantes Epheſi, Patrophilus Scythopoleos, aliique Præſules Arii aſſeclæ. Qui primùm ut Conſtantinum Catholicis infenſum redderent; & ad expugnandam fidem Catholicam, faciliorem hoc pacto ſibi viam aperirent; calumnioſis accuſationibus, & famoſis libellis orthodoxos Antiſtites apud Imperatorem inſectati ſunt. Hic oblatos ſibi libellos legere noluit, ſed comburi juſſit; palàm ſignificans, Epiſcopos à ſolo Deo eſſe judicandos; ſe verò ipſorum judicio, in iis quæ ad animæ ſalutem pertinent, ſubeſſe: addens, occultanda eſſe ſacerdotum peccata, ne inde populus ſcandali anſam arripiat, & contemptus ſacri miniſterij. Quin & illud adjecit, *ſi ſuis oculis Epiſcopum, alienæ uxori injuriam inferre videret, facinus illud nefandum, ſuo paludamento ſe obtecturum, ne facinoris aſpectus, oculos intuentium offenderet.*

Adſunt quoque Præſules Ariani.

Baron. ad an. Chriſti 325. n. 12.

Ruff. l. 1. c. 2. Sozom. l. 1. c. 16. Theod. l. 1. c. 11.

Illud autem memoriâ dignum inprimis accidiſſe teſtatur Athanaſius; ut cùm ex conſuetudine, ſcripta Arii de hæreſi quam protulerat, legerentur; omnes quotquot aderant Epiſcopi, adeò blaſphemiam exhorruerint, ut mox ſuas aures obſtruxerint: quemadmodùm & cùm lectæ pariter eſſent literæ Euſebii Nicomedienſis, totius Satanicæ molitionis præcipui architecti, eas in omnium conſpectu diſcerptas fuiſſe, teſtis eſt Euſtathius Antiochenus. Poſt accuratam verò diſcuſſionem dogma-

Athanaſ. orat. 1. contra Arianos.

Ad lectionem hæreſis Arianæ, omnes Epiſcopi aures obſtru-

Digitized by Google

tum Arianorum, tandem exploſâ & confutatâ penitùs hæreſi, à Patribus Nicænis ſtatutum eſt in primis pro inconcuſſo fundamento, nihil contra fidem ab antiquo traditam, & hactenùs in Eccleſiâ receptam, innovandum eſſe; & rejectis cum execratione, nefandis Arîi dogmatibus, conclamatum eſt, & definitum; *Filium, eſſe Patri coëſſentialem, & coæternum, non creatum, non factum; ſed genitum, ὁμόουσιον id eſt, conſubſtantialem Patri, Deum verum, de Deo vero; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt, & homo factus.* Id quod ſancta Synodus toti Eccleſiæ indixit credendum, verbis in ſymbolo Nicæno expreſſis; quod ex illo tempore, diebus Dominicis, & ſolemnioribus in Miſſâ decantari voluit.

xerunt. Baron. ad annũ Chriſti. 325. n. 21. Euſtath. apud Theod. l. 1. c. 8. Sozom. loco cit.

Tota Synodus definit Verbum incarnatum eſſe verè filium Dei, Patri conſubſtantialem.

Secunda Synodus œcumenica, quæ habita eſt anno Chriſti 381. Conſtantinopoli ſub Damaſo ſummo Pontifice, & Theodoſio Imperatore; ad quam convenerunt Epiſcopi 150. ad profligandam hæreſim Macedonii, negantis Spiritûs Sancti Divinitatem. Sed ante omnia, Fides Nicæna tot Arianorum procellis jactata, & pſeudoſynodis ab iis reprobata, de novo adversùs Arianos fuit confirmata.

2. Synodus œcumenica fidẽ Synodi Nicanæ confirmat.

In tertiâ item Synodo œcumenicâ, quæ celebrata eſt Epheſi, quæ eſt minoris Aſiæ Metropolis, ſub Cæleſtino Papa, & Imperatoribus Theodoſio 2. & Valentiniano 3. anno Chriſti 431. contra Neſtorium, confirmata eſt veritas Catholica Divinitatis Chriſti. Iſte enim Hæreſiarcha Eccleſiæ Antiochenæ ex Monacho Preſbyter, deinde electus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, novo & pernicioſo dogmate, Mariam Virginem negavit eſſe θεοτόκον, hoc eſt, Deiparam, ſolum Chriſtiparæ nomen illi tribuens. Duas quippe perſonas aſſerens in Chriſto, Divinam & humanam, conſequenter docebat, Mariam virgi-

3. Synodus, Epheſina idem pronuntiat, definitque B. Virginem fuiſſe θεοτόκον ſeu Deiparam.

nem genuiſſe perſonam humanam, omninò diſtinctam à Divinâ.

Cúmque Neſtorius ſuum virus, tum voce, tum ſcripto diffundere niteretur, graveſque per omnem Eccleſiam turbas excitaret: Concilium generale Epheſi apertum eſt; cui interfuerunt Epiſcopi, plus minúſve trecenti. Ubi ter citatus Neſtorius, & ex pervicaci judicio recuſans comparêre; Synodus eum ut hæreticum obſtinatum condemnavit, ac ſede Epiſcopali abdicavit. Cúmque periculum eſſet, ne Monachos ſui olim Monaſterii, falsâ doctrinâ perverteret, in inſulam Oaſin relegatus, ibi vitam infelicem calamitoſo exitu concluſit; blaſphemâ ejus linguâ per divinam ultionem, vermibus exesâ.

Baron. ad an. Ch. 431. n.5.6.&c

Quamvis autem Theodoſius Imperator initio à Neſtorianis fuiſſet deceptus & circumventus; tamen poſteà fraude illorum agnitâ, Pulcheriâ Auguſtâ multùm annitente, damnationem Neſtorii ratam habuit. Quare hæreſi penitùs profligatâ, veritas Chriſtiana triumphavit; & ſanctiſſima Virgo Maria, (quæ, ut canit Eccleſia, *cunctas hæreſes interemit in univerſo mundo*,) Mater Dei, omnium ore cantata & prædicata eſt. Tuncque Angelicæ Salutationi hoc additum fuiſſe creditur; *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis, &c.* Factumque eſt, ut licet illius cultus jam anteà frequens eſſet; poſthac divino excitante Spiritu, longè frequentior, celebriorque fuerit; adeò ut vix ullus deinceps illam abſque titulo Dei-genitricis nominaret. Non eſſet autem Dei-genitrix, niſi Chriſtus eſſet Deus.

Idem definitum in 4. Synodo Chalce-

In quartâ pariter Synodo œcumenicâ, in quâ Eutychetis hæreſis fuit damnata & contrita, Divinitas Chriſti ſecundùm fidem Catholicam declarata eſt. Iſte Eutyches erat Preſbyter, & Monaſterij in urbe Conſtantinopoli celeberrimi Archimandrita; qui ze-

Digitized by Google

lo exuberanti abreptus contra hæreſim Neſtorii, contra quam magno animo & indefeſſo labore dimicaverat, eò proſiliit, ut ad eam declinandam, non tantùm duas in Chriſto perſonas negaverit, ut fides docet; ſed etiam duas naturas: aſſerens per unionem Verbi cum Humanitate Chriſti, naturam Divinam & humanam ita fuiſſe in illo confuſas, ut in unam mutuâ commixtione coaluerint.

done habita; contra Eutychetem. Baron. ad an. Ch. 448: n. 2.

Hic primùm in Concilio 30. Epiſcoporum Conſtantinopoli celebrato, auctoritate Flaviani, ejus urbis Epiſcopi, accuſatus ab Euſebio Dorylæi in Phrygiâ Epiſcopo, ob prædictam hæreſim, in quâ contumaciter perſiſtebat, omnium ſententiâ damnatus eſt, & Preſbyteratûs exercitio, & Monaſterii præfecturâ privatus. Cujus ſententiæ cùm reſciſſionem, & reſtitutionem in integrum obtinuiſſet, in Pſeudoſynodo Nicænâ; quæ hujus impulſu, Chryſaphii Eunuchi, gratiâ apud Theodoſium Imperatorem potentis, interventu, ac Theodoſio ipſo ad conſentiendum inducto, cum omni erga orthodoxos violentiâ & tyrannide celebrata eſt, ſub Dioſcoro præſide, Alexandrino Patriarchâ indigniſſimo; utpote viro projectiſſimæ nequitiæ, plurimis adulteriis, ſacrilegiis, rapinis, & homicidiis inquinato: qui Flavianum ſanctiſſimum Antiſtitem, appellantem ad Apoſtolicum tribunal, ex Epiſcopo factus Carnifex, tam atrocibus verberibus excepit, ut mox in exilium deportatus, toto corpore dilaceratus, contuſus & vulneratus poſt triduum è vitâ exceſſerit: qui denique eò proceſſit furoris, ut in ipſum Leonem Papam, ejus & Pſeudoſynodi facta improbantem, anathema exploſerit, audaciâ hactenùs inauditâ.

Cùm, inquam, ita per vim Conciliabulum Epheſinum flagitiis refertum, hæreſim Eutychetis à damnationis ſententiâ vindicaſſet: tandem Theodoſio

Digitized by Google

Imperatore extincto, Pulcheria Auguſta pro defenſione fidei, imperii gubernaculum reſumens, approbante Senatu, Marciano Principi religioſiſſimo, Orientis imperium, & ſeipſam nuptui dedit; eâ tamen conditione, ut ſibi virgini eſſe liceret. Marcianus igitur, literis Leonis acceptis, ſuffragante Pulcheriâ, Synodum generalem indixit Chalcedone, in templo ſanctæ Virginis & Martyris Euphemiæ celebrandum, anno Chriſti 451. revocatis adhuc ſuperſtitibus Epiſcopis Orthodoxis, quos tyrannica Synodus expulerat, ut ad legitimam Synodum advenirent. Adfuerunt ſexcenti triginta ſex Epiſcopi; præſidentibus Leonis Papæ Legatis, Paſchaſino Lilybetano, Lucentio Aſculano, Juliano Coenſi Epiſcopis.

Dioſcorus qui aderat, ſcelerum admiſſorum convictus, de gradu & ſeſſione in Synodo ejectus eſt. Epiſcopis verò Epheſinis, qui Eutycheti faverant, veniam ſuppliciter orantibus, poſt editam ab eis convenientem fidei profeſſionem, facilè indultum fuit. Ibas Edeſſæ, & Theodoretus Cyri Epiſcopus, priſtinis ſedibus, & Eccleſiis, quibus eos privaverat Pſeudoſynodus Epheſina, redintegrati ſunt. Fideſque unanimi omnium conſenſu ſtabilita fuit, ad normam Epiſtolæ Leonis. Declaratumque eſt, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ex duabus diſtinctis naturis, Divinâ & humanâ, inconfuſis & impermixtis conſtare; & Divinitate quidem Deo Patri, humanitate nobis, eſſe conſubſtantialem, & per omnia nobis ſimilem, excepto peccato.

Definitio Concilij.

Ecce igitur fidem Divinitatis Chriſti per quatuor prima Concilia generalia, imò & per omnia ſubſequentia, uſque ad Tridentinum, quod fuit ultimum & 18. œcumenicum, clarè ſtabilitam & definitam. Tametſi enim quatuordecim poſteriora Concilia,

eam expreſsè non definierint, quia à nullis poſthac hæreticis fuit oppugnata: illam tamen ſemper confirmarunt, & ſuppoſuerunt tanquàm veritatem indubitatam, & omnibus ſæculis receptam.

Poſt illa teſtimonia tam gravia, tam luculenta & expreſſa Sanctorum Patrum, ſive ſeorſim, ſive in Conciliis conjunctim loquentium, cum infallibili directione Spiritûs-Sancti; poſt conſenſum unanimem totius Eccleſiæ & omnium ſæculorum; poteſt-ne aliquis mediocriter doctus, & rerum Divinarum parum intelligens, tantæ authoritati ſe ſapienter opponere? unus contra omnes? ignarus contra doctiſſimos & ſapientiſſimos? cæcus contra perſpicaces Aquilas, & homines non tantùm humanis ſcientiis, ſed etiam divinis eximiè illuſtratos? Poteſt-ne ſine ſummâ temeritate, & imprudentiâ, imò & inſaniâ, veritatem ita undique & tam ſolidè confirmatam Divinitatis Chriſti, nolle amplecti, aut toto ut debet corde, non credere?

Poteſt-ne ſapienter aliquis privatus tantæ Authoritati ſe opponere.

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

TOTIUS OPERIS.

Ad impios, & ſemifideles Chriſtianos.

VIDES, mi Lector, quàm claris & lucentibus radiis ſol Divinus, hoc eſt, Chriſtus Deus, humanæ menti reſplendeat: In quo quamvis nube humanitatis, Divinitas latens obtegatur; diffuſo tamen undique lumine ita ſe prodit & coruſcat, ut ab omnibus, oculos claudere nolentibus, manifeſtè conſpici queat. Revoca, quæſo, in memoriam omnia credendi motiva quæ ſuprà deduximus; & quæ ſigillatim fuêre diſperſa, nunc collectim ſub unum aſpectum conſtitue; & attende quanta inde dies veritatis effulgeat. Etenim ſi ſingula, ſeorſim conſiderata, rectéque expenſa ſufficere poſſunt, ut homini ſano, & rationabiliter ſentienti, rem de quâ agimus, planè perſuadeant: quantam vim, & quantum robur obtinebunt ſimul juncta, ut hominem non planè pertinacem & obfirmatum convincant!

In memoriam revocētur jam omnia argumēta ſuperius declarata.

Enimverò poteſt-ne quidpiam credibilius exiſtere, quàm quod Deus pluribus & manifeſtis prophetiarum oraculis declaravit? quod ſignificavit innumeris prodigiis in nativitate, vitâ, & morte Chriſti? quod infinitis & indubitatis miraculis; tum ab ipſo Chriſto, tum per ejus Apoſtolos, horumque ſucceſſores editis,

omnibus

Digitized by Google

omnibus Eccleſiæ ſæculis atteſtatus eſt? Quod nobis aperuit in Scripturis ſacris, multiplici & minimè ſuſpecto teſtimonio ſancti Joannis Baptiſtæ, omnium Evangeliſtarum & ſacrorum ſcriptorum, ipſiuſque Chriſti, non minùs veracis quàm ſancti? Quod multi milliones Martyrum non tantùm voce, ſed & ſui ſanguinis effuſione per omne tormentorum genus conteſtati ſunt? Quod certiſſimè comprobat, facta in oculis Judæorum, Chriſti Reſurrectio, mirabilis & ſtupenda Evangelij per univerſum Orbem propagatio; totius mundi ab idolis ad Deum converſio; Religionis Chriſtianæ diris & innumeris perſecutionibus oppugnatæ ſtabilitas inconcuſſa, & perpetuitas; Extrema Judæorum à tam diuturno tempore, ob Chriſti necem diſperſorum deſolatio; funeſta mors, & miſeri exitus omnium ferme, qui Chriſtum & ejus Eccleſiam perſecuti ſunt? Quod denique tradit, tenuitque ſemper tota Eccleſia, unanimi Conciliorum, & ſanctorum Patrum conſenſu. Quid, inquam, poteſt ad fidem credibilius proponi, quàm quod tantâ probationum ſolidatum multitudine firmatur? Poteſt-ne aliqua veritas, citra omnimodam evidentiam, (quæ ut ſuprà oſtendimus, fidei naturæ & perfectioni omninò repugnat,) pluribus & gravioribus argumentis eſſe ſtabilita, quàm quibus Divinitatem Chriſti comprobatam & demonſtratam fuiſſe cognoſcimus!

Poteſt-ne aliqua veritas ſolidiùs & fortiùs eſſe ſtabilita. Suprà cap. 4. ſect. 12. ad Object. 2.

Quis igitur non judicet, nos maximè prudenter & ſecurè de Chriſto credere, quod credimus; & non niſi inſipientiſſimè poſſe in dubium revocari. Adeò ut, ſi per impoſſibile, (ut loquuntur) in errore verſaremur, error noſter in Deum, tanquàm noſtræ deceptionis Authorem juſtè refunderemus, meritóque cum Richardo à ſancto Victore, illud humiliter obtenderemus, quod jam ſuprà retuli, mereturque ſæpiùs

Digitized by Google

repeti; *Domine ſi error eſt quod credimus, à te decepti ſumus; tot enim ac tantis ſignis confirmaſti, quæ non niſi à te fieri potuerunt.*

Ex ſummâ iſtâ Divinitatis Chriſti credibilitate, exurgit obligatio ſtricta, illam firmiter credendi.

Quòd ſi ita eſt, jam inde in unoquoque noſtrûm naſcitur obligatio ſtricta credendi. Deus quippè, ut antè dictum eſt, pro ſuo ſummo in homines tanquàm in ſuas Creaturas dominio, jus habet exigendi à nobis ſubmiſſionem intellectûs in rebus credendis; & ſub gravi pœnâ præcipiendi, ut ejus authoritati aliquam veritatem ſub tantâ credibilitatis luce declaranti, aſſenſum fidei firmum præſtemus.

Virtus fidei media eſt inter nimiam credulitatem & incredulitatem obſtinatam.

Quâ in re illud ſciendum eſt, virtutem fidei quam Deus à nobis requirit, inter duo extrema conſiſtere, nimirùm inter nimiam credulitatem, & incredulitatem. Certum eſt autem eos reprehenſione dignos eſſe, qui leviter & nimiâ facilitate, id eſt, ſine motivis ad aſſentiendum ſufficientibus, rebus propoſitis credunt. Quos Scriptura ipſa redarguit, dicens; *Qui citò credit, levis eſt corde.* Ideò credulitas nimiùm facilis, & malè fundata, vitioſa eſt, neque expetitur à Chriſtianis. Alterum verò extremum, in negotio ſalutis magis periculoſum, eſt incredulitas, durities mentis, & obſtinata ad credendum pervicacia; quamvis res propoſitæ, ita evidenter cernantur credibiles, ut omnium ſapientum judicio, non niſi valdè imprudenter & protervè poſſit aſſenſus denegari.

Eccleſ. 19. v. 4

Credulitas levis reprobatur.

Incredulitas obſtinata eſt adhuc longè magis reprehenſibilis.

Quod vitium incredulitatis, tanquàm Deo maximè injurioſum, & pietati prorsùs inimicum, vehementer in Scripturis ſacris redarguitur; ita ut Salvator noſter, inſigni quamvis manſuetudine præditus, acriter in illam excanduerit, dicens; *O generatio incredula, & perverſa, quouſque ero vobiſcum? uſquequò patiar vos?* Et apud Marcum, increpat eorum duritiem, qui teſtibus Reſurrectionis, fidem non adhibuerunt; *Noviſſimè recumbentibus illis undecim ap-*

Digitized by Google

paruit, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderunt eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit illis, Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni Creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Ecce damnationem, in eos qui noluerint credere, pronuntiatam.

Deus illud vitium incredulitatis acriter redarguit. Matth. 17. v. 17. Marc. ult. v. 14. &c.

Ideò Apoſtolus graviter Hebræos admonet, ut à peccato infidelitatis ſummoperè caveant; ne à Deo tandem exterminentur; quemadmodùm ij, qui in deſerto, poſt viſa multa miracula, increduli perſiſtentes, Deo ulciſcente, variis modis periêre. *Quibus autem infenſus fuit* 40. *annis? nonne illis, qui peccaverunt*, (peccato infidelitatis,) *quorum corpora proſtrata ſunt in deſerto. Quibus autem juravit non introire in requiem ipſius; niſi illis qui increduli fuerunt? Et videmus, quia non potu:runt introire propter incredulitatem.*

Ad Heb. 3. v. 8. & 18. Pſal. 54. Numer. 14. v. 27.

Specialiter autem ij dicuntur à Deo condemnati, qui infideles ſunt circa Divinitatem Chriſti, ut ipſe Dominus paſſim ſignificat, dum ait; *Qui credit in me, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filij Dei.* Et paulò poſt, *Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non habet vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Ii ſpecialiter dicuntur à Deo cōdemnati, qui ſunt infideles circa Divinitatem Chriſti. Ioan 3. 18 & 36.

Non eſt igitur ſperandum, aliquem ullo modo ſalutem conſequi poſſe, qui poſt tam illuſtria ſigna, hujus de quâ agimus, veritatis Chriſtianæ, nimirùm Divinitatis Chriſti, quæ totius Religionis & ſalutis fundamentum eſt, renuit illam confiteri; Chriſtumque, ut Deum & Salvatorem ſuum ſupremo cultu venerari. Nec dubium eſt, quin infidelibus & pſeudo-Chriſtianis hujus temporis, gravius longè judicium immineat, quàm olim Judæis, ab ipſo Chriſto Domi-

Illorum ſalus eſt deſperata, qui non credunt.

ut par eſt, Divinitatem Christi.
Ioan. 15. v. 22.

no reprobatis; de quibus ſibi non credentibus dicebat; *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem, & viderunt & oderunt.*

Chriſtiani infideles ſunt Iudæis infidelibus culpabiliores.

Quòd ſi Judæi, poſt viſa, vel audita Chriſti miracula, eum non agnoſcendo ut Meſſiam, inexcuſabiles fuerunt: quantò magis qui nunc illum diffitentur, aut non colunt ut par eſt; convicti non tantùm miraculorum à Chriſto & ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus patratorum multitudine; ſed etiam aliis tam multiplicibus prodigiis & argumentis evidentibus, anteà explicatis? Quibus perſpectis, ſi quis adhuc pergit veritati clarè cognitæ reſiſtere; is neceſſe eſt, ut ſe omni Judæorum perfidiâ duriorem, & culpabiliorem fateatur. Videant ergò noſtri Infideles impij, quâ ſpe ſalutis vivant, & quam excuſationem Infidelitatis ſuæ, Chriſto, ſuo ſupremo Judici, quem contempſerunt, ſint allaturi.

Stultè autem increduli arrogant ſibi laudem fortium ingeniorũ.

Vanum eſt autem, & ſtultâ plenum illuſione, ob pervicacem incredulitatis obſtinationem, fortium ingeniorum appellationem ſibi vindicare: quam laudem ſibi arrogant nonnulli, qui vim ingenij conſtituunt in eo, quòd præfractè & impudenter negent, quæcunque non vident, & quæ præ imbecillitate mentis aut ignorantiâ percipere non valent. Quibus olim S. Auguſtinus ſe ſimilem fuiſſe teſtatur, dum ſcilicet errorum ſuorum tenebris obſeptus adhuc teneretur. *Tunc*, inquit, *in præjudicium errorum meorum, nihil placebat credere, niſi tantâ claritate oſtenderetur, quantâ cognoſcebam, tria & ſeptem, decem efficere.* Ita illi pro unicâ credendi regulâ ſtatuentes, oculorum ac ſenſuum judicium: qui cùm in rebus Divinis, & myſteriorum noſtrorum intelligentiâ tenebriones &

Lib. 6 Confeſſ. 4.

Digitized by Google

noctuæ ſint, putant ſe inter aquilas ingeniorum excellere, dum myſterium aliquod Religionis ſugillant & omnium ſapientum, ſæculorumque fidem, ineptâ quapiam cavillatione infirmant, vellicant & carpunt.

Quaſi verò ingenij fortitudo atque præſtantia ſita ſit in ſtupidâ duritie cordis, in judiciorum divinorum inſenſibilitate & contemptu, in impiâ profligatorum ac deſperantium hominum petulantiâ; qui nec Deum vindicem timent, nec jubentem reverentur. Ergo dignus erit eximij & fortis ingenij præconio, ſi quis, omnibus contra affirmantibus, vehementer neget nivem eſſe albam, aut ignem calidum eſſe: ſi obnixè contra publicam omnium fidem contendat Romam non eſſe aut Conſtantinopolim; Cæſarem aut Rempublicam Romanam nunquam extitiſſe. Ejuſmodi hominem cenſeat qui volet ſapientem, aut excellentis ingenij, quia quod non vidit, pertinaciter negat; & ſtatutum habet apud ſe, nihil omninò credere, niſi quod oculis ſuis percepit: Ego ſanè non verebor illum, ſtolidum, vertiginoſum, & inſanum appellare.

Inſani potiùs dicendi ſunt, quàm fortes.

Sic enim D. Auguſtinus pertinaces in fide Chriſtianâ incredulos nuncupat, qui cæcutire volunt in mediâ luce. Utique meritò; nam nonne inſani putandi ſunt, qui toto mundo credente, recuſant credere? qui fide ſanctorum & Martyrum à ſe abdicatâ, ultrò ſe in voraginem infelicitatis æternæ præcipitant? qui ſalutis aut damnationis æternæ negotium immenſum, ſuæ malunt imprudenti temeritati committere; quàm doctrinam omnium ſæculorum, & fidem ſanctorum Patrum & totius Eccleſiæ tutiſſimam amplecti? In negotio gravis momenti & irreparabilis, qualis eſt æterna felicitas, aut exitium ſempiternum; quis dubitat prudentis eſſe, viam tutiorem, & minimè dubiam ſe-

In negotio ſalutis certum teneri oportet, & di-

Digitized by Google

mitti incertũ. qui? Audi, ſi lubet, Auguſtinum ſapienter hac ſuper re monentem; *Vbi*, inquit, *de ſummâ rerum, & negotio ſalutis agitur; ſi ſapis, tene certum, dimitte incertum.* Crede quod ſecundùm prudentiam, longè credibilius eſt, quodque ad vitam beatam longè ſecuriùs ducit.

Longè ſapientiores ſunt, & ſaluti ſuæ prudentiùs conſulunt, qui toti inhærent Eccleſiæ cum tãtis ſignis, quàm privatæ pertinaciæ. Quis non videt, fidelem Chriſtianum, qui cum unanimi Eccleſiæ conſenſu, adhæret firmiter veritatibus à Deo revelatis, ac Divinitatem Chriſti tam multis & illuſtribus ſignis conteſtatam profitetur, longè tutiùs ſuæ ſaluti proſpicere, quàm qui obfirmato animo, impudenti pertinaciâ, fidei jugum excutit, & authoritatem Dei viſibiliter loquentis aſpernatur. Si enim falſum eſſet, quod juxta præceptum Dei, & cum totâ Eccleſiâ credimus, (quod tamen ſtante Dei providentiâ, & æquitate fieri nequit,) error iſte planè eſſet inculpabilis, cùm crediderimus, quod ſecundùm omnem prudentiam debuimus credere; indéque nullum incurreremus damnationis, aut vindictæ divinæ periculum. Sed, ſi verum eſt, quod Deo jubente credimus; tu impie & infidelis certiſſimè in æternum, & irreparabiliter periiſti.

Quare, dum adhuc tempus eſt, mi Lector, ſi hactenus infidelis extitiſti, muta ſententiam: ſi vis ſapienter agere, ſi te amas, ut debes; amplectere fidem indubitatam innumerabilium Martyrum, omniumque ſanctorum, ac doctorum virorum; qui ſe à Deo deceptos eſſe non timuerunt, nec etiamnum timent. Chriſtum cole ut Deum, ſalvatorem tuum; ipſi firmiter adhære, doctrinam ejus ſectare, mores tuos ex ejus præceptis & conſiliis dirige, ſobriè, piè, & juſtè vivendo; tunc tranquillè vives, & ſecurè morieris.

Libro de fide cap. 1. Quòd ſi generoſi & præſtantis ingenij laudem ambias, *Scito*, inquit Guillelmus Pariſienſis, *veram for-*

tiorum ingeniorum notam, eſſe fidei Chriſtianæ profeſſionem; ſiquidem fides eſt vera fortitudo ac generoſitas noſtri intellectûs. Manifeſtum eſt enim, quod credere inviſibilia, & noſtræ rationis captum longè excedentia, eximiæ fortitudinis eſt, atque vigoris noſtræ mentis; ſicut amare diſplicentia, moleſta, & ignominioſa, fortitudinis eſt noſtræ voluntatis: utrumque enim arduum eſt.

Fortis ingenij eſt, credere ſapienter quod non videtur, Deo ita præcipiente.

Id quod antè pronuntiaverat S. Leo, in hæc verba; *Magnarum hic vigor eſt mentium, & valde fidelium lumen eſt animarum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu; & ibi figere deſiderium, quò nequeas inferre conſpectum.* Eò igitur tende, mi Lector chariſſime, in quo & honorem tuum, & requiem animæ tuæ, & æternæ ſalutis intrepidam ſecuritatem reperies.

Serm. 2. de Aſc.

CONCLUSIO II.

AD FIDELES CHRISTIANOS.

SECTIO I.

Fidei Chriſtianæ, bona opera ſunt adjungenda.

QUamvis certum ſit, eos omnes, qui fide Chriſtianâ deſtituti ſunt, extra viam ſalutis verſari; nec quidquam efficere poſſe, quo beatitudinem æternam promereantur; ſiquidem ex Apoſtolo, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Non omnes tamen qui fidem profitentur, viam inſiſtunt ſalutis. Ita quippè fides eſt ad ſalutem neceſſaria; ut ſine bonis operibus ſola non ſufficiat.

Ad Hebræ. 11. v. 6.

1. *Quia fides ſine bonis operibus, non ſufficit ad ſalutem.*

Iacob. Epiſt. cap. 2. v. 14 & 17. &c.

Id quod disertè multis in locis docet Scriptura, præſertim apud S. Jacobum, ubi ait; *Quid proderit, fratres, ſi quis fidem dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſalvare? Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipsâ*, id eſt, non poteſt hominem vivificare, nec Deo gratum reddere, niſi charitate & gratiâ juſtificante compleatur. Pergitque; *Tu credis*, inquit, *quoniam unus eſt Deus; benè facis; dæmones credunt, & contremiſcunt. Vis autem ſcire, ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus otioſa eſt? Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare. Vide quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operi-*

Geneſ. 22. v. 9.

Digitized by Google

bus fides conſummata eſt. Et ſuppleta eſt ſcriptura, dicens; (Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.) Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Similiter autem & Rahab meretrix, nonne ex operibus juſtificata eſt, ſuſcipiens nuntios, & aliâ viâ ejiciens. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt; ita & fides ſine operibus mortua eſt. Hactenùs S. Jacobus. Geneſ. 15. 6. Roma 1. 4. v. 8. Galat. 3. 6. Ioſue 2. v. 21.

Quod item declarat Apoſtolus ad Corinthios ſcribens; *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam; factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero &c. nihil ſum, nihil mihi prodeſt.* 1. Cor. 13. v. 1. &c.

Et alibi; *In Chriſto Ieſu neque Circuncifio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.* Ad Gal. 5. v. 5.

Quem in ſenſum Chriſtus Dominus dixit; *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Matth. 7. v. 2.

Ex quibus perſpicuum eſt fidem ſine bonis operibus ad ſalutem nihil prodeſſe. Addo inſuper nonnunquàm per accidens, (ut loquuntur) fieri damnoſam & noxiam. Etenim graviùs peccant, & majori pœnâ digni ſunt, qui cùm norint viam ſalutis, ab eâ volentes aberrant; & qui cùm ſciant Domini ſui voluntatem, eam tamen negligunt adimplere. *Fides ſine bonis operibus occaſio erit majoris damnationis.*

Verùm & illi, quorum vita, doctrinæ Chriſtianæ, quam profitentur, difformis eſt; qui cæleſtibus imbuti præceptis, rebus tamen terrenis perditè inhiant; qui toti ſunt in oblectationibus ſenſuum perquiren *2. Quia vix poteſt eſſe vera fi-*

Digitized by Google

des, quin operetur. dis; qui pietatis officia, eleemoſynam, juſtitiam, charitatem erga proximum nihili faciunt, ſuam fidem valdè ſuſpectam reddunt, oſtenduntque illam eſſe plurimùm languidam, infirmam, & fortè adulterinam. Etenim vera fides non eſt ſterilis, nec infructuoſa, ſed ſanctas actiones operatur. *Sancti,* inquit Apoſtolus, *per fidem operati ſunt juſtitiam*: Id eſt, fide & ſpe futurorum animati, aſpera quæque & difficilia æquo animo perpeſſi ſunt; aggreſſi ſunt ardua; omnia terrena, intuitu beatitudinis promiſſæ, conculcarunt; præcepta Dei ſtudioſè obſervarunt, & omnium virtutum opera coluerunt.

Hebræ. 11. v. 33.

Ibidem v. 4. &c. Id quod pluribus exemplis declarat Apoſtolus; *Fide,* inquit, *plurimam hoſtiam Abel, quàm Caïn obtulit Deo: fide Abraham obedivit exire, & exiit neſciens quò iret: fide obtulit Iſaac cùm tentaretur: Fide & Moyſes negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis. Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Baruch, Samſon, Zepthe, David, Samuël & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, diſtenti ſunt, lapidati ſunt, ſecti ſunt, &c.*

Quamobrem fides vitiis deformata, phantaſma eſt, & potiùs fidei cadaver, quàm fides: ſicut homo mortuus, non eſt homo. Imò ſecundùm Apoſtolum, eſt mera infidelitas; *Confitentur,* inquit, *ſe noſſe Deum, factis autem negant; cùm ſint abominati, & execrabiles, & ad omne opus reprobi.*

Ad Tit. 1. v. 16.

Cujuſmodi Chriſtianos ad improbitatem projectos, eloquenter ſuo more perſtringit Salvianus; in hunc modum; *Chriſtus tibi & pro bonis temporalibus, bona immortalia; & pro malis breviter tranſituris, mala æterna proponit: & tu nec bonis cæleſtibus flecteris, nec malis perennibus commovêris. Et credere te Domino tuo dicis, cujus nec remunerationem deſideras, nec iracundiam contremiſcis. Non credis: & licet de converſorum*

Salvian. l. 3. ad Eccleſ. c. 2.

venerabili choro eſſe videaris, licet Religionem veſtitu ſimules, licet fidem cingulo adſeras, licet ſanctitatem pallio mentiaris, omninò non credis.

Idem multis in locis confirmat S. Auguſtinus; *Hæretici*, inquit, *negant Chriſtum in carne veniſſe; hoc negant Iudæi, & Manichæi: quid miramini? ſed dico ampliùs charitati veſtræ; etiam omnes mali Catholici, verbis quidem confitentur, Chriſtum in carne veniſſe, factis autem negant, ut Apoſtolus dicit. Nolite ergo eſſe tanquàm de fide ſecuri: adjungite fidei rectæ, vitam rectam; ut Chriſtum confiteamini in carne veniſſe, & verbis, vera dicendo, & factis, benè vivendo. Nam ſi confiteamini verbis, & factis negetis; talis fides non eſt Chriſtianorum, ſed dæmoniorum. Etenim ſicut dixit S. Jacobus*, (Dæmones credunt & contremiſcunt.) *Illi enim, ſicut Petrus, dixerunt Chriſto*; (Tu es Filius Dei.) *Confitebantur dæmones, quod non credebant homines; illi tremuerunt, iſti occiderunt. Diſcernenda eſt igitur fides Dæmonum, à fide ſanctorum; hanc Dæmones non habent, quæ per dilectionem operatur; ſed ſoli ſervi Dei, ſoli ſancti Dei, ſoli Filij Abrahæ, ſoli filij dilectionis.*

Serm. 32. de verbis Apoſt. Homil. 50. 17. tract. 10. in Epiſt. 1. Ioan. Ad Tit. 1.

S. Iacob. Epiſt. c. 2. v. 19. Matth. 8. v. 29.

Et alibi S. Doctor rationem reddit, cur vera fides erumpere ſoleat in opera pietatis; *Quia*, inquit, *quod radix eſt in arbore, hoc fides eſt in corde; eſt in animâ ut radix bona, quæ pluviam in fructum ducit.* Idemque probat ex fidei notione; *Credere in Chriſtum, fides vocatur; difficile eſt ut malè vivat, qui benè credit: fides appellata eſt ab eo, quòd fit, quod dicitur: duæ ſyllabæ ſonant, cùm dicitur fides; prima ſyllaba eſt à facto, ſecunda à dicto. Interrogo ergo te utrùm credas? dices, credo: fac quod dicis, & fides eſt.*

S. Aug. præfat. in Pſal. 139.

Auguſt. ſerm. de temp. 1. Dominicæ 19. poſt Trinit.

Quòd ſi quis nihilominùs velit contendere, quamvis vitam liberiorem & genio indulgentem ducat; ſe tamen ſummâ firmitate cum totâ Eccleſiâ credere,

3. *Quia rectè credere.*

& malè vivere, inſania eſt.

non modò Divinitatem Chriſti ; ſed etiam quæcunque revelavit ac docuit. Certè ſi ita eſt, quod ægrè poteſt contingere ; hoc ipſum, malè viventem apertæ condemnat inſaniæ. Id quod ſapienter adnotavit Joannes Picus, Mirandulæ Princeps. vir pius æquè ac doctus, qui hanc in rem diſſerens, ſic ait ; *Tenet me, Deum teſtor, aliquandò exſtaſis, & quaſi ſtupor quidam, cùm mecum incipio ſtudia hominum, aut, (ut dixerim ſignificantiùs) meras inſanias, neſcio an cogitare potiùs quàm dolere, mirari an deplorare. Profectò qui Evangelio tam gravibus nixo fundamentis non credit, omninò mente captus eſt. Sed longè major inſania eſt, ſi de Evangelij veritate non dubitas, vivere tamen quaſi de ejus falſitate non dubitares. Ad hæc quid poſſumus aliud dicere, niſi multos eſſe nomine Chriſtianos, ſed re pauciſſimos.*

Epiſtolâ ad Nepotē Ioan. Franc.

Certè res eſt admiratione digna, & quæ ab homine ſapiente vix percipi poteſt ; quòd Chriſtiani homines credant quæ credunt, & plerique vivant, ut vivunt ; neque immeritò in hoc inſanire cenſentur. Quid enim ſtultius, quàm credere ex. gr. propoſitam nobis vitam æternam, omnium bonorum aggregatione cumulandam, facili mandatorum divinorum obſervatione conſequendam ; & tamen ita bonis terrenis incumbere, ut de illâ conſequendâ vix cogitetur ? Quid ſtultius, quàm credere, ſceleribus hominum, pœnam ignis eſſe decretam in inferis, horrendam, interminabilem, & ſine fine duraturam : & tamen tantâ libertate peccare, ac ſi nihil ſupplicij peccantibus immineret ? Credere, unicuique, poſt aliquot annos, fortaſſe menſes aut dies, ex hâc vitâ migrandum eſſe, & omnia hæc temporalia, morte adveniente eſſe relinquenda ; & tamen ea tanto ardore proſequi, ac ſi nunquàm eſſent dimittenda ? Credere poſt obitum, coram ſupremo judice Deo, omnium geſtorum ra-

ſtrorum conſcio, comparendum eſſe: ac rationem rigidam omnium actionum, bonarum & malarum, illi eſſe reddendam; & tamen cum tantâ ſecuritate quidvis perpetrare, ac ſi nullius judicis tribunal ſubeundum eſſet? Credere, Deum ita juſtum eſſe, ut, ſicut omne opus aliquâ mercede præmiatur; ſic nullum peccatum, niſi propriâ ſatisfactione fuerit expiatum, impunitum relinquat; & tamen perinde vivere, ac ſi omnia crimina eſſent apud Deum impunita? Hæc credere, hæc facere, quis non judicet extremæ eſſe dementiæ?

Illud verò maximoperè timendum eſt, ne ex pravæ vitæ conſuetudine accidat, quod fieri aſſolet, ut videlicet vitia corrumpant fidem, & obruant. Quemadmodùm enim actiones pietatis, & opera virtutis, fidem alunt, roborant & conſervant: ita vitæ diſſolutione fides langueſcit, debilitatur, ac tandem emoritur; ut experientia quotidiana ſatis oſtendit. *4. Quia fides vitiis deformata, brevi extinguitur.*

Nec mirum ſi prava vita fidem corrumpat; cùm homo voluptatum illicitarum amore irretitus, non poſſit quin eam legem & doctrinam oderit, aut ſaltem graviter ferat, quæ res ſibi jucundas prohibet; in eamque propendeat Religionem, quæ ipſius cupiditatibus favet, approbatque ea quibus perditè delectatur. Nam ut docet Philoſophus; *quiſque judicat prout eſt affectus*: opiniones noſtræ deſideria cordis ſequuntur. Si voluntas vitio corrupta eſt, vim magnam habet, ut intellectum ſibi obtemperantem in rebus fidei corrumpat.

Neque ex alio fonte communiter naſcuntur hæreſes & infidelitas in Chriſtianis, ut rectè notavit Cyprianus; *Nemo æſtimet*, inquit, *bonos poſſe de Eccleſiâ recedere, triticum non rapit ventus; nec arborem ſolidâ radice fundatam procella ſubvertit: inanes paleæ tempeſtate jactantur; invalidæ arbores turbinis incurſione evertuntur.* Cypr. lib. de unit. Eccleſ.

1. Timoth. 1. v. 19. Hoc apertè indicat Apoſtolus loco jam citato, dum ſcribens ad Timotheum, commendat illi inprimis, ut conſcientiam illibatam ſtudeat conſervare; *Habens*, inquit, *bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Et infrà; *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt in fide.*

Cap. 6. v. 10.

Et hæc eſt una ex pœnis graviſſimis, quas Deus in hac vita hominibus flagitioſis infligit; ut in infidelitatem devolvantur. Quod S. Gregorius declarat, hæc Jobi verba interpretans; *quaſi impios, percuſſit eos in loco videntium.* Ubi nomine (impiorum), graves peccatores intelligit; & per (locum videntium), Eccleſiam ſanctam, in quâ ſolâ, ſol juſtitiæ, radios fidei in hominum corda diffundit; dicitque, eos qui in Eccleſiâ, iſto divino lumine illuſtrati, verbis Chriſtum fatentur, & factis negant, ut ait Apoſtolus, fide ſpoliatum iri. *Divino*, inquit, *judicio ſæpè contingit, ut per hoc quod nequiter vivunt, & illud perdant, quod ſalubriter credunt; & ſæpè, cùm benè vivere negligant, etiam perſequente nullo, uſque ad perfidiam dilabantur.*

Iob. 34. v. 26. S. Greg. l. 25. Moral. c. 10.

Pſal. 56. 7. Ad hoc reſpiciebat Propheta Regius, dùm in perſona dæmonum loquentium, dixit; *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in eâ.* Animam peccatricem penitùs denudate; illiuſque ædificium ſpirituale ſubvertite ſus déque, ita ut lapis ſuper lapidem non remaneat. *Quod contingit*, inquit S. Gregorius, *quando perverſi ſpiritus à corde Fidelium, deſtructo priùs ædificio boni operis, ſoliditatem quoque exhauriunt Religionis.*

Gregor. ſuprà.

Quâ in re, eodem modo ſe gerunt illi, quo homines in ædificio deſtruendo. Cùm enim is qui illud extruere aggreditur, incipiat à fundamentis, & deinde poſitis muris, culmen ſuperaddat; è contrà qui demo-

Digitized by Google

ritur, à culminis ſubverſione incipit; tum disjectis muris & fulcimentis, fundamentum eruit. Similiter diabolus, culmine charitatis & bonorum operum disjecto, fundamentum ſtructuræ ſpiritualis, & ſalutis, fidem ſcilicet, nullo negotio ſubvertit.

Itaque quàm neceſſaria eſt fides ad ſalutem: tam ad fidem conſervandam neceſſaria eſt, recta, & fidei conformis vita.

Sectio Secunda.

Pietatis Officia, Chriſto à Fidelibus exhibenda.

CUm autem unicuique Chriſtiano generatim incumbat, honeſtè piéque vivere, ne ſint membra ſuo Capiti difformia: omnes tamen peculiariter ad quadruplex erga Chriſtum, obſequium adſtringuntur.

Ac primò debemus illi ſupremum adorationis cultum, profundamque animi venerationem, ob ejus excellentiam, infinitè ſuper omnes creaturas eminentem; in multis titulis fundatam, præſertim Filij Dei, naturalis per æternam generationem, & aſſumptionem Humanitatis in unionem perſonalem naturæ Divinæ.

1. Obſequium Chriſto debitū, eſt ſingularis cultus & reverentia.

Quam ſublimitatem his magnificis verbis expreſſit S. Paulus; *Noviſſimè diebus iſtis* (Deus Pater) *locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula; Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis tantò melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquandò Angelorum*, (Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Ego ero illi in

Ad Hebr. 1. v. 2. & ſequ. Sapient. 7. v. 26.

Pſal. 2: v 7.

2. Reg. 7. v. 14. Patrem, & ipſe mihi erit in filium.) *Et cùm iterùm intro-*
Pſal. 96. v. 6. *ducit Primogenitum in Orbem terræ, dicit*; (Et adorent
eum omnes Angeli Dei.) *Et ad Angelos quidem dicit*;
Pſal. 103 v. 4. (qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos
Pſal. 44. 7. flammam ignis.) *Ad filium autem* (Thronus tuus Deus
in ſæculum ſæculi; virga æquitatis, virga regni tui.
Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea
unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participi-
Hebr. 1. v. 13. bus tuis.) *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando*;
Pſal. 10. 26. (Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos
Pſal. 116. 1. tuos ſcabellum pedum tuorum.) *Nonne omnes ſunt
adminiſtratorij ſpiritus; in miniſterium miſſi propter eos
qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

Coloſ. 1. v. 14. Item ad Coloſſenſes de Chriſto loquens, ait; *In quo
habemus redemptionem, remiſſionem peccatorum. Qui
eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis Creaturæ;
Ioan. 1. v. 4. quoniam in ipſo condita ſunt univerſa, in cœlis & in
terrâ; viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Domi-
nationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates; omnia per
ipſum, & in ipſo creata ſunt. Et ipſe eſt ante omnes, &
omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt Caput Eccleſiæ, qui
eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omni-
bus principatum tenens; quia in ipſo complacuit omnem
plenitudinem inhabitare, & per unum reconciliare om-
nia in ipſum: pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive
quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.*

Ex quo titulo filiationis Divinæ, alij ampliſſimi
conſequuntur; nimirùm, quòd ſit Dominus abſolu-
tiſſimus omnium creaturarum, hominum & Angelo-
rum; ut ſignificatur his verbis apud Pſalmiſtam, *Po-*
Pſal. 2. v. 8. *ſtula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, &
Actor. 10. poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et in Actis Apoſto-
Apocal. 1. & 19. 16. lorum; *Annuncians pacem per Ieſum Chriſtum, hic
eſt omnium Dominus.* Quòd ſit Rex Regum terræ, ut
dicitur Apocal. cap. 1. & c. 19. *Habet in femore*, (id
eſt,

Digitized by Google

eſt, in Humanitate) *ſcriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Quòd ſit Rex omnium ſæculorum immortalis, *cujus regni non erit finis.* Cæterorum Monarcharum imperium, paucorum annorum eſt; Chriſti regnum eſt æternum, *Poteſtas ejus æterna, quæ non auferetur; & regnum ejus quod non corrumpetur.* Quòd denique ſit Judex futurus omnium hominum, ipſorumque Principum; *Ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum.*

Daniel. 7. v. 14. Mich. 5. v. 1. Actor. 10. v. 40.

Quæ omnes dignitates ac tituli exigunt à nobis humilem cordis, erga Chriſtum Salvatorem, Regem & ſupremum Dominum noſtrum, reverentiam, mentiſque ac corporis ſubmiſſionem; non tantùm confitendo nos ejus ſervos, ſed etiam eâ ſervitute gloriando; ex hâc verâ perſuaſione, glorioſius eſſe Chriſto ſervire, quàm toto mundo regnare. Hinc D. Paulus totam ſuam gloriam ſumebat, dum in Epiſtolarum fronte, paſſim in titulum dignitatis, ſe inſcribit, ſervum Jeſu Chriſti. Et ſancta Catharina, Agatha, aliæque Virgines, nobilitatis genere illuſtres, cùm à Tyrannis arguerentur, quaſi genus ſuum, Religionis Chriſtianæ profeſſione obſcuraſſent; non ſunt veritæ palàm edicere, ſervitutem Chriſti, longè honorabiliorem eſſe ſceptris Regum ac coronis.

Rom. 1. & alibi.

Ex quo ſequitur ut debeamus nos totos in ejus obſequium conſecrare; ejuſque amicitiam ac benevolentiam tanti facere, ut eam quorumlibet hominum amicitiæ, boniſque omnibus hujus vitæ præferamus.

Secundum obſequium Chriſto debitũ, eſt frequens gratiarum actio.

Alterum quod Chriſtiani debent ſpecialiter Chriſto Salvatori reddere, eſt jugis memoria innumerorum ejus in nos beneficiorum, tum naturæ, tum gratiæ; ac frequens pro iis gratiarum actio: præſertim pro beneficio Redemptionis, cujus magnitudo ſatis æſtimari non poteſt, nec ab homine comprehendi; ſive ſpectetur res nobis in redemptionem data, ſive modus

Digitized by Google

quo collata eſt, ſive ingens emolumentum noſtrum, & multiplex fructus inde perceptus.

Nam quod attinet ad rem datam, ea eſt immenſa, nempe ipſe filius Dei. Multùm quidem fuiſſet, ſi Deus ad ſalvandum genus humanum; ad nos erudiendos & dirigendos in viam ſalutis; unum aliquem è ſupremis Angelis miſiſſet, qui noſtram carnem aſſumendo, viſibiliter nobiſcum verſatus eſſet, & humanarum miſeriarum perpeſſione, pro peccatis hominum ſatis feciſſet. Sicut ſi Rex terrenus unum ex ſuis principibus ad ſublevandos captivos, & liberandos mitteret. Ejuſmodi enim beneficio homines erant prorsùs indigni. Quod verò Filium ſuum miſerit, quódque Filius ſe in liberationem noſtram totum expenderit, id ſanè majus eſt, quàm ut à nobis percipi queat.

Jam verò ſi attendatur modus, quo ſe tradidit nobis, quanto ſcilicet amore, quantâ humiliatione, & exinanitione, quantis laboribus, ærumnis, & pœnis noſtri causâ perferendis; quis beneficentiam tantæ Majeſtatis, quæ ſuis Creaturis nullatenùs indigebat, non vehementer admiretur? Is enim qui erat in ſinu Patris, ipſi coæternus, & æqualis, Majeſtatem ſuam infinitam ad noſtram uſque vilitatem demiſit; carnem noſtram aſſumpſit, hujus vitæ miſerias, ipſamque mortem ſubire voluit, ut nos è miſeriis temporalibus & æternis in cælum beandos eveheret. *Cùm enim in formâ Dei eſſet*, inquit Apoſtolus, *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Philip. 2.

Si Monarcha terrenus ad mancipium liberandum à morte, & ſuppliciis, ſuam Majeſtatem dejiceret ad conditionem ſervi, & ſervi causâ fieret ſervus; quanti hoc beneficium æſtimaretur? ſed ſi ejuſdem ſervi gratiâ, magnos labores & ærumnas ſuſciperet, atrocia ſubiret ſupplicia, mortemque ipſam: poſſetne iſte

ſervus tantam ſui Regis miſericordiam ſatis æſtimare, aut ſufficientem gratiarum actionem pro ejuſmodi beneficio exhibere? Hoc, & longè majora, noſtri cauſâ fecit Chriſtus, Filius Dei, volens & lubens. Quæ enim incommoda, quos cruciatus, quas ignominias, totâ vitâ, per annos triginta tres & ampliùs, uſque ad mortem Crucis, ignominioſam æquè ac crudelem, ſuſtinuit.

Ingentis quidem beneficentiæ opus fuit, quòd nos ex nihilo, & omnes alias creaturas, in uſus noſtros creaverit; quòd ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condiderit; quòd ad ſtatum divinum æternæ beatitudinis ſupernaturalis poſſidendæ extulerit: ſed facile fuit Deo, hæc homini præſtare, quæ ſimplici voluntatis nutu, & unius duntaxat vocabuli prolatione, ſine ullo ejus incommodo effecta ſunt, veluti ex bonorum ejus, & divitiarum internarum redundantiâ. At ſuppoſito decreto, condignæ pro peccatis hominum ſatisfactionis exigendæ; non ita facile fuit homines perditos redimere, & ab exitio æternæ damnationis revocare: ſed plurima gravia mala, imò & acerbiſſima ſupplicia fuerunt toleranda.

Unde S. Bernardus ſolidè & devotè colligit, quantùm unuſquiſque noſtrûm Chriſto Salvatori ſit obſtrictus, his verbis; *Si totum me debeo tibi, Domine, pro me facto; quid addam pro refecto, & refecto tali modo? Nec enim tam facilè ſum refectus, quàm factus. Nam qui me ſemel & tantùm dicendo fecit; in reficiendo & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura: nec tantùm dura, ſed & indigna, &c.* S. Bernard. tract. de diligendo Deo.

Et alibi; *In exinanitione Chriſti Domini pro nobis, tria vobis præcipuè intuenda commendo. Non enim ſimplex, aut modica fuit illa exinanitio; ſed ſemetipſum exinanivit uſque ad carnem, uſque ad mortem, uſque ad Crucem. Quis dignè penſet, quanta fuerit humilita-* S. Bernard. Serm. 11. in Cantica.

tis, manſuëtudinis, dignationis, Dominum Majeſtatis, carne indui, mulctari morte, turpari Cruce? Si homo propter beneficium Creationis ingratus eſt, quia quicquid donavit, nihil ipſi conſtitit, non attendens amorem, & liberalitatem gratuitam, quâ omnia nobis donavit: adverte ſaltem ô homo, quantum in negotio Redemptionis, pro te diſpendium fecit. De Domino ſervus, de divite pauper, Caro de Verbo; & de Dei Filio, hominis filius fieri non deſpexit. Memento igitur, te etſi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia; At verò per totos triginta annos operatus eſt ſalutem tuam in medio terræ. O quantùm laboravit, ſuſtinens carnis neceſſitates, hoſtis tentationes? nonne hæc ſibi Crucis aggravavit ignominiâ? mortis cumulavit horrore?

Hæc, opinor, ſufficiunt, ut conſtet, quantam debeamus Chriſto Salvatori, & quàm jugem gratiarum actionem; Redemptionis beneficium, & ejus magnitudinem animo ſæpe recolentes, ejus memoriam perennem conſervando, gratias immortales reddendo; denique tantum benefactorem noſtrum indeſinenter laudando, benedicendo, & toto corde redamando.

3. Debent Chriſtiani amorem ſingularem Chriſto rependere.

Tertium quod Chriſto Domino debet Chriſtianus, eſt amor. Nihil quippè ſic ad amandum provocat, quàm amor & beneficia, quibus etiam feræ tanguntur: Chriſtus autem nos gratìs, tantillos, tantus, & tantùm dilexit; ut pro ſalute ſervorum inutilium reparandâ, non dubitarit totum ſe, & vitam ipſam expendere.

S. Aug libro Medit. c. 16.

Cujus amoris magnitudinem piè exponit Auguſtinus in hæc verba; *Magna & multa, imò innumerabilia ſunt, quæ mihi Domine Deus, contuliſti beneficia; pro quibus mihi ſummè diligendus, & ſemper es laudandus. Quicquid enim habeo, vel habui, à te ſummo bono eſt; à quo omne quod bonum dicitur, & eſt, & procedit.*

Unum autem eſt quod me plus his omnibus accendit, urget & movet ad te diligendum: ſuper omnia, inquam, amabilem te mihi reddit, ô bone Jeſu, ignominioſiſſima & amara mors, quam ſuſtinuiſti, Opus noſtræ Redemptionis. Hoc ſolum totam vitam meam, totum obſequium, & amorem meum tibi vindicat. Multum quippè in hoc opere laboravit Author mundi; nec in omni fabricâ hujus Univerſi, tantam fatigationem ſuſtinuit. De mundo enim & de iis quæ in mundo ſunt; (dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt.) *At verò pro reparatione generis humani, magnos, & multos, & diuturnos labores ſuſtinuit, & dolores. Ecce quomodò me dilexit, qui nullâ ſuâ neceſſitate, ſed ſolâ charitate, tam dura & indigna toleravit.* Item. S. Bernard. Serm. 20. in Pſal. qui habitat. Pſal. 32. 9.

Enimverò cùm magnum ſit, aliquem ſua gratìs alteri conferre; majus certè eſt ſemetipſum impendere: Et cùm eximiæ charitatis ſit, animam, (ſeu vitam) *pro amicis ponere; multò tamen excellentioris charitatis eſt, quod Filius Dei pro nobis fecit:* Nam cùm inimici eſſemus, Deo reconciliati ſumus per mortem filij ejus. Vix autem pro juſto quis moritur; ipſe autem pro impiis eſt mortuus, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo. *Exul à cœlis factus, ut nos reportaret ad cœlos. O quàm ineffabilis charitas, quàm ineffabilis dulcedo charitatis, quàm ſtupenda dignatio fuit! Deum pro homine, hominem fieri; Deum pro homine, carne mortali tentatum per omnia, pro ſimilitudine, abſque peccato.* Rom. 5. v. 7

Ideò jure S. Bernardus cum Apoſtolo concludit; *Si quis non amat Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum, anathema ſit.* Subjicitque hæc plena amoris verba; *Valdè,* inquit, *omninò mihi amandus eſt, per quem ſum, vivo & ſapio. Dignus planè eſt morte, qui tibi Domine, recuſat vivere, imò & mortuus eſt; & qui tibi non ſapit, deſipit; & qui curat eſſe niſi propter te, pro nihilo eſt, & nihil eſt. Denique* (quid eſt homo, quia 1. Cor. 16. v. 22.

Digitized by Google

Pſal. 141. innotuiſti ei?) *Propter temetipſum Deus, feciſti hæc omnia; & qui eſſe vult ſibi, & non tibi, nihil eſſe incipit inter omnia. Sed quod me plus movet ad te amandum Jeſu bone, eſt Calix quem bibiſti, Opus Redemptionis noſtræ. Hoc omninò amorem noſtrum vindicat ſibi: hoc, inquam, eſt quod noſtram devotionem, & blandiùs allicit, & juſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs*, &c.

S. Bern. ſuprà. Docet autem idem ſanctus, quomodò Chriſtianus debeat Chriſtum redamare, his verbis; *Diſce ô Chriſtiane, quemadmodùm diligas Chriſtum; diſce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppreſſi, ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloriâ, ſeu carnis voluptatibus abducaris, dulceſcat tibi præ his ſapientia, Chriſtus. Ne ſeducaris ſpiritu mendacij & erroris, luceſcat tibi veritas, Chriſtus. Ne adverſitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei, Chriſtus. Zelum tuum inflammet charitas, informet ſcientia, firmet conſtantia; ſit fervidus, ſit circumſpectus, ſit invictus. Et vide annon tria illa tibi, & in lege tradita fuerint, dicente Deo:* Deuter. 6. (Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ virtute tuâ.) *Mihi videtur amor cordis ad Zelum quemdam pertinere affectionis; Animæ verò ad judicium rationis; virtutis autem dilectio, ad animi poſſe referri conſtantiam, vel vigorem. Dilige ergò Dominum Deum tuum, toto & pleno cordis affectu; dilige totâ rationis vigilantiâ, & circunſpectione; dilige & totâ virtute, ut nec mori pro* Cantic. 8. *ejus amore pertimeſcas. Sicut ſcriptum eſt;* (quoniam fortis eſt ut mors dilectio.) *Ergò amemus affectuosè, circunſpectè, & validè.* Hæc S. Bernardus, quibus nihil adjicio.

4. Chriſtiani Quartum deniqne genus obſequij & cultus, quo Chriſtiani debent Chriſtum proſequi, eſt ipſius vitæ,

& virtutum imitatio. Nam ut ait S. Petrus, *paſſus eſt pro nobis, relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Chriſtus quippè in hunc mundum venit, non tantùm ad ſatisfaciendum Patri pro peccatis hominum: ſed etiam ad mores noſtros ſuâ doctrinâ & exemplo informandos; ad oſtendendam viam ſalutis, quæ anteà hominibus, cæcitate peccati Originalis, & ignorantiâ veritatum cœleſtium præpeditis, penitùs ignota erat; Eramus enim, ut loquitur Pſaltes, *in terrâ deſertâ, & inviâ*; venit ut in itinere felicitatis occulto, ducem ſe nobis præberet. *debent Chriſto imitationem vitæ & virtutum.* Epiſt. 1. c. 2. Pſal. 61. 2.

Id quod ipſe ſignificavit, cùm dixit; *Ego ſum via, veritas, & vita.* Quaſi dicat, inquit S. Auguſtinus, *ambulare vis? Ego ſum via; falli non vis? Ego ſum veritas; mori non vis? Ego ſum vita. Hoc dicit tibi Salvator tuus; non eſt quò eas, niſi ad me; non eſt quò eas, niſi per me.* Et alibi; *Ego ſum*, inquit, *via, veritas & vita*: tanquàm ſi dicat; *Quos vis ire? Ego ſum via: quà vis ire? Ego ſum veritas: ubi vis pervenire? Ego ſum vita. Securè ergò ambulemus in viâ, ſed inſidias timeamus juxta viam. Inimicus inſidiari non audet in viâ, quia Chriſtus eſt via; ſed juxta viam planè non deſinet. Vnde in pſalmo dicitur*; (juxta ſemitas, ſcandala poſuerunt mihi.) *Quid formidas in viâ? tunc time, ſi deſeras viam, &c.* Ioan. 14. Auguſt. tract. 22. in Ioan. & libro 50 Homil. 34. Pſal. 36.

Multa autem ſunt, quibus ad Chriſtum ducem noſtrum ſequendum provocamur. Primò quia profeſſio Chriſtiana in ejus imitatione, tota conſiſtit. Quid enim quæſo eſt, eſſe Chriſtianum, niſi per ſuſceptionem baptiſmi, doctrinam Chriſti profiteri, credendo & faciendo quod docuit. Hoc diſertè ſignificat Apoſtolus, dum ait; *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Quid hoc eſt, Chriſtum induiſtis? niſi, veteris & corrupti hominis mores perverſos exuiſtis; inolitas & profanas Gentilium conſuetudi- Ad Galat. 5.

nes abdicaſtis; obligationem ſuſcepiſtis, vitam, vitæ Chriſti ſimilem, & ejus præceptionibus conformem ducendi; abrenunciaſtis diabolo, & mundo, ac pompis ejus, ad vacandum Deo, pietati, atque operibus ſanctis.

Unde S. Auguſtinus ait; *Chriſtianus ille eſt, qui non nomine tantùm, ſed & opere Chriſtum ſequitur.* Ideò S. Malachias, ſancto Bernardo teſte, ſolebat olim dicere; *ſine causâ ſum Chriſtianus, ſi Chriſtum non ſequor,* id eſt, indignus ſum, qui geram nomen Chriſtiani, ſi Chriſti Domini veſtigiis non inſiſto. Quod quidem rectè & ſapienter ab eo dictum fuit; Etenim cùm Chriſtianiſmus in Chriſto tanquàm in ſuo auctore ejuſque doctrinâ fundetur; conſtat, eum Chriſtiani nomen non mereri, qui vitam legibus & doctrinæ Chriſti diſſentaneam degit.

S. Bern. in vitâ ſancti Malachiæ.

Quamobrem quicunque Chriſtianum nomen ſibi vindicat, ut ejus tituli gloriâ ſe dignum præſtet; debet, ut Chriſtus, res hujus mundi tranſitorias nihili facere; divitias & honores ſæculi, tanquàm res vanas, & inanem fumum contemnere; humilitatem ſectari, Deo adhærere, colere pietatem, temperantiam, charitatẽ, aliaſque Religionis Chriſtianæ virtutes; illúdque exequi quod Apoſtolus præcipit; *Sicut accepiſtis Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate, radicati, & ſuperædificati in illo.* Subdito nihil poteſt eſſe glorioſius, quàm ſuum Regem in rectè factis præeuntem ſequi, & veſtibus ſimilibus indui.

Ad Coloſſ. 2.

2. Magnumincentivum imitandi Chriſtum, eſt quòd noſtræ ſalutis ſecuritas, in ejus imitatione poſita eſt. Tum quia, cùm ipſe ſit ſapientia Patris, quæ nec fallere nec falli poteſt; eſt infallibilis regula vitæ ſalutariter inſtituendæ; unde fit, ut nemo, qui eam ſequatur, aberrare poſſit Tum quia indubitatum prædeſtinationis ſignum, eſt ſimilitudo & conformi-

tas cum vitâ Chriſti; ita ut ij certiſſimè ſint de numero Electorum, qui ipſi ſimiles fuerint; ſicut è contrà, illi infallibiliter ſunt de numero Reproborum, qui diſſimiles; ut expreſsè docet Apoſtolus dum ait; *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui, hos vocavit, juſtificavit, & glorificavit.* Et ad Epheſios ſcribens, Electos, vocat *in Chriſto ſignatos:* quia nimirùm fundamentum æternæ hominum prædeſtinationis, in prædictâ, cum Chriſto, ſimilitudine conſiſtit. Qui vult igitur certò beatus eſſe, Chriſtum Dominum in vivendi ratione imitetur.

Rom. 8. v. 29.

Epheſ. 1. v. 13.

Tertium motivum, quo vehementer nos incitari convenit ad vitam Chriſti imitandam, eſt amor quo ipſum Chriſtum aut proſequimur, aut ex multiplici causâ proſequi debemus. Non enim poſſumus indicio certiori, noſtrum erga illum amorem patefacere, quàm ſi eum, quantùm per ejus gratiam in nobis eſt, imitari ſtudeamus. Amoris quippè proprium eſt, amantem in perſonam amatam transformare; ejus omnes affectus, inclinationes, geſtus & modum agendi exprimendo. Id quod in ſe factum teſtatur Paulus, perfectus amator Chriſti, dum ait; *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

Galat. 2. v. 20.

Præterea Amor gignit in amante ſingularem amati exiſtimationem, approbando quicquid facit, quicquid dicit; inclinatque ad eam ipſi teſtificandam, non tantùm verbis, quæ ſuſpicioni adulationis obnoxia ſunt; ſed præſertim geſtorum ac morum imitatione, quæ exiſtimationis internæ certiſſimum indicium eſt. Quare non poſſumus expreſſiùs ſignificare, nos Chriſtum Dominum magnifacere, quàm actiones illius & virtutes imitando, quatenùs illum noſtrâ imitatione dignum judicamus: unde rectè Lactantius dixit; *Religioſiſſimus cultus, eſt imitatio.*

Adde inſuper, noſtram imitationem etiam ex hoc

Digitized by Google

effici ſpeciale noſtri erga Chriſtum amoris argumentum; quòd qui alterum amat, affectat & enititur quantùm poteſt, illi placere. Certum eſt autem Chriſto nihil fieri gratius poſſe, quàm ut illi nos vivendo conformemus.

Denique iſto amoris noſtri erga Chriſtum teſtimonio, nihil eſt potentius, nihil efficacius ad benevolentiam ejus promerendam, favoreſque & omnis generis benedictiones alliciendas.

Quare ſi diligimus Chriſtum, ſi noſmetipſos, ſi ſalutem noſtram; ipſum colamus toto affectu, toto corde diligamus, & cum omni veneratione imitemur.

Ipſi laus, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM HUJUS OPERIS.

A

APOSTOLI. Apoſtolis data fuit à Chriſto facultas patrandi miracula, 103
Apoſtoli de ſe inepti erant ad Religionem diſſeminandam, & Gentes ad Chriſtum traducendas, 226

B

BABYLAS. Ob vicinitatem ſepulcri ſancti Babylæ Martyris, ſimulacrum Apollinis conticeſcit, 345
Eius Reliquiæ ſacræ, cum exultatione fidelium, & confuſione Juliani Apoſtatæ tranſportantur, 346
BAPTISMUS. Baptiſmo ſuſcepto Judæi graveolentiam innatam deponunt, 153. & 253

C

CHRISTIANI. Chriſtiani per contumeliam dicti Sarmentitij & Semiaſſij, 290
Chriſtianorum multiplicatio ex perſecutionibus, & cædibus illorum, 321
Sanguis Martyrum, erat Chriſtianorum quaſi ſemen, 321
Eccleſia in modum vitis creſcebat putatione, 322
Sanguis Chriſtianorum, ut pinguedo terræ, Eccleſiam fœcundabat, *ibid.*

Digitized by Google

Chriſtiani infideles, ſunt Judæis infidelibus culpabiliores, 504
Chriſtiani debent Chriſto quædam ſpecialiter officia pietatis, 515
Primum obſequium Chriſto debitum, eſt ſingularis cultus, & reverentia, *ibid.*
Secundum eſt frequens gratiarum actio, 517
Tertium eſt amor ſingularis erga Chriſtum, 520
Quartum eſt imitatio vitæ & virtutum ejus, 522
CHRISTUS. Chriſti Divinitas ſub triplici lumine generatim eluceſcit, 1
Chriſti Divinitas ex 12. argumentis explicatis clarè innoteſcit, 500
Non poteſt aliqua veritas, fortiùs & ſolidiùs eſſe ſtabilita, quàm Divinitas Chriſti, 501
Ineſt cuique obligatio ſtricta credendi Divinitatem Chriſti, tot argumentis comprobatam, 502
Chriſtus non pro ſuis peccatis, ſed pro noſtris, morti ſe obtulit, 16
Chriſtus eſt Meſſias olim promiſſus, 3
Chriſtus, ſeu Meſſias promiſſus eſt Deus, 22
Chriſtus ad Joannis baptiſmum accedit, 48
Joannes eum divino lumine afflatus agnoſcit, 49
Joannes detrectat Chriſtum baptizare, *ibid.*
Chriſti ſanctitas, 57. & 88. & 116. & ſequ.
Chriſti doctrina ſancta, 119
Chriſti Crucifixi innocentia, 118
Chriſtus agnovit & prædixit res liberè futuras, 182
Chriſtus internas animi cogitationes perſpectas habuit, 196
Chriſto debent Chriſtiani, quatuor ſpecialiter officia pietatis, 515. & ſequ.
Vide plura de Chriſto, ubi de Prodigiis, prædictionibus, miraculis, &c.
Digitized by Google

CONCILIUM. Quid ſit Concilium, 488
Quid Concilia Generalia, *ibid.*
Concilia Oecumenica ſunt auctoritatis infallibilis, 489
Si Concilium œcumenicum errare poſſet, poſſet errare tota Eccleſia, 490
Fuit Divinæ Providentiæ, dare Eccleſiæ ſuæ regulam fidei infallibilem, *ibid.*
Ea regula apud omnes eſt Concilium generale, totam Eccleſiam repræſentans, 491
Omnia Concilia generalia Divinitatem Chriſti aut definierunt expreſsè, aut minimè controverſam ſuppoſuerunt, *ibid.*
Prima Synodus Oecumenica Nicææ contra Arianos congregata, 492
Epiſcopi inſignes, qui huic Synodo interfuerunt, *ibidem.*
Adfuerunt quoque Præſules Ariani, 494
Ad lectionem hæreſis Arianæ, omnes Epiſcopi aures obſtruxerunt, *ibid.*
Tota Synodus definit, Verbum incarnatum eſſe verè Filium Dei, Patri conſubſtantialem, 495
Secunda Synodus Oecumenica Conſtantinopoli habita, fidem Synodi Nicænæ confirmat, *ibid.*
Tertia Synodus, Epheſina idem pronuntiat, definitque B. Virginem Mariam, fuiſſe θεοτόκον, ſeu Deiparam, *ibidem.*
Idem definitum in 4. Synodo, Chalcedone habitâ, contra Eutychetem, 496
Definitio Concilij, 498
Non poteſt aliquis privatus ſapienter tantæ auctoritati totius Eccleſiæ ſe opponere, 499
CONSTANTIA Martyrum V. Martyres.
CONVERSIO mundi brevi tempore facta, 232
Non obſtantibus tempeſtatibus perſecutionum, *ibid.*
Digitized by Google

Modus quo Apoſtoli Gentes, & totum mundum ad Chriſtum adduxerunt, 234
Vi miraculorum id peregerunt, *ibid.*
Si converſio mundi ſine miraculis facta eſt, ipſa eſt maximum miraculum, 235
Converſio totius mundi ad Chriſtum, unum eſt ex maximis miraculis, 219
Converſionem mundi, & fidei per totum mundum dilatationem, multa videbantur impoſſibilem reddere, *ibid.*
Converſio populorum ex miraculis, 104
Crux Chriſti inventa, ſui multiplicatione orbem implevit, 71
Honor ubique exhibitus ſanctæ Cruci, 72
Effigies ipſa, & ſignum Crucis toti mundo eſt venerationi, 73

D

Deus. Deus qui eſt ſummè verax, non poteſt falſum atteſtari, 100. &c.
Deus ſolus futura libera certò cognoſcit, 176
Deus ſolus perſpectas habet occultas animi cogitationes, 180
Ratio cur ſecreta cordis debeant eſſe cuivis creaturæ ignota, 181
Homines interdum per divinam potentiam penetrant arcana cordis, 182
Dæmones. Quomodò futura libera præcognoſcant, 178
Non cognoſcunt occultas cordis cogitationes, 181
Dæmones triplici tantùm modo poſſunt ad extra operari, 12
Divinitas Chriſti. V. Chriſti Divinitas.

E

ECCLESIÆ propagatio. V. Religio Chriſtiana.
Eccleſiæ ſtabilitas. V. Religio Chriſtiana.
Divinæ Providentiæ fuit, dare Eccleſiæ ſuæ regulam fidei infallibilem, 491
Proſperitas & obitus felix Imperatorum qui Religionem Chriſtianam foverunt. V. Religio Chriſtiana.
ECLIPSIS. V. Prodigia.
EVANGELISTÆ, ſeu Scriptores ſacri in atteſtatione Divinitatis Chriſti, ſunt fide digniſſimi, 91
Non ij fuerunt, ut vellent homines in rebus fidei decipere, 92
Eorum concordia oſtendit veritatem narrationis, 92
Ex ſtylo ſimplici Evangelij, ſinceritas ſcribentium eluceſcit, *ibid.*
Eo tempore ſcripſerunt, quo nihil temporale poterant à Chriſto ſperare, *ibid.*
Et ab aliis non niſi perſecutiones, 93
Id ſine dubio verum crediderunt, pro cujus veritate tuendâ mortui ſunt, *ibid.*
De eorumdem ſinceritate in referendis Chriſti miraculis. V. Miracula, 108. & ſequent.

F

FIDES, INCREDULITAS Res. fidei non debent habere evidentiam ut credantur, ſed potiùs obſcuritatem, 170
Ad firmitatem fidei ſufficit evidens credibilitas, omnem excludens prudentem dubitationem, 171
Qui renuit credere ſcripturæ & Eccleſiæ, miraculis etiam viſis, non crederet, 173

Divinæ Providentiæ fuit, non permittere, ut à verâ fide aberrarent, qui ſincerè Deum quærebant, 486
Magna omninò eſt fidei noſtræ ſecuritas, quæ credit, quod omnes ſancti crediderunt, 48æ
Pertinebat ad Providentiam Divinam, dare Eccleſi ſuæ, regulam fidei infallibilem, 491
Virtus fidei media eſt inter nimiam credulitatem, & incredulitatem obſtinatam, 502
Credulitas levis reprobatur, *ibid.*
Incredulitas obſtinata eſt adhuc longè magis reprehenſibilis, *ibid.*
Deus illud vitium incredulitatis acriter redarguit, *ibid.*
Ij ſpecialiter dicuntur à Deo condemnati, qui ſunt infideles circa Divinitatem Chriſti, 503
Illorum ſalus eſt deſperata, qui non credunt, ut par eſt, Divinitatem Chriſti, *ibid.*
Chriſtiani infideles ſunt Judæis infidelibus culpabiliores, 504
Stultè autem increduli arrogant ſibi laudem fortium ingeniorum, *ibid.*
Inſani potiùs dicendi ſunt quàm fortes, 505
In negotio ſalutis, certum teneri oportet, & dimitti incertum, *ibid.*
Longè ſapientiores ſunt, & ſaluti ſuæ prudentiùs conſulunt, qui toti inhærent Eccleſiæ, cum tantis ſignis; quàm privatæ pertinaciæ, 506
Fortis ingenij eſt, credere ſapienter, quod viſu non percipitur, Deo ita præcipiente, 507
Deo loquenti tenemur credere, quando evidenter, & valdè credibile eſt, ipſum revelatione ſuâ aliquid dixiſſe, 100. &c.
Ex ſummâ Divinitatis Chriſti credibilitate, exurgit obligatio ſtricta illam credendi, 507
Fidei Chriſtianæ bona opera ſunt adjungenda, 508

Digitized by Google

1. Quia fides ſine operibus non ſufficit ad ſalutem, *ibidem.*
Imò fides bonis operibus deſtituta, occaſio eſt majoris damnationis, 509
2. Quia vix poteſt eſſe vera fides, quin operetur. *ibidem.*
3. Quia rectè credere, & malè vivere, inſania eſt, 511
4. Quia fides vitiis deformata, brevi extinguitur. 513

G

GENTILES. Quomodò cum Gentilibus procedendum in rebus fidei, 25

H

HÆRETICI nonnunquàm tentarunt edere miracula, 164
Aliquos etiam apud ſe recenſent Martyres, 324
Hæreſiarcharum infauſti exitus, 479
HEBDOMADÆ Danielis, quales fuerint & quando inceperint. V. Prophetia Danielis.
HUMANÆ res, & hominum opera cum tempore intereunt, 328
HIEROSOLYMA. Chriſtus prædixit Hieroſolymæ deſtructionem, 247
Hieroſolymæ ſtatus, quando fuit obſeſſa, 248
Civitas obſidetur à Tito, *ibid.*
Innumeri cives egreſſi, crucibus affiguntur, *ibid.*
Civitas undique circumvallata, *ibid.*
Multorum viſcera aperiuntur, *ibid.*
Ingens fames in civitate, *ibid.*
Extrema urbis miſeria, 250.
Templi Hieroſolymitani conflagratio, *ibid.*
Civitatis incendium, *ibid.*
Urbs capta, *ibid.*
Mortuorum & captivorum numerus immenſus, 251.
Superſtitum diſtributio, *ibid.*

Ee

Digitized by Google

Titus fatetur, ſe tantùm iracundiæ divinæ inſtrumentum fuiſſe, 252

I

JUDÆI. Quatuor errores Judæorum, propter quos Meſſiam non agnoverunt, 19
Deus diù diſtulit Judæorum ultionem, 246
Judæorum pœna, & diſſipatio in deſtructione Hieroſolymæ, V. ſuprà 248. & ſequ.
Judæi alterâ clade, ſub Adriano, penitus exterminati fuere, 252
Judæi ſolo & patriâ ejecti, ubique gentium vagi & extorres, 253
Graveolentia illis indita, *ibid.*
Vectigalibus oppreſſi, 254
Divinâ Providentiâ factum eſt, ut in omnes Orbis partes diſpergerentur, 25. & 254
Hanc duriſſimæ ſervitutis calamitatem Daniel vaticinatus eſt, 255
Quinque differentiæ inter hanc poſtremam Judæorum calamitatem, & priores, 257
Aliarum ſervitutum finis fuit illis præſignificatus, hujus nequaquam, 257
Hæc ſervitus longè cæteris eſt diuturnior, 258
Nunc nullos, ut olim, habent Prophetas conſolatores, *ibid.*
In hâc, nulla in eorum gratiam fiunt miracula; quæ tamen fiebant in prioribus, *ibid.*
Nullos nunc habent, qui gratiâ & auctoritate polleant apud Principes, 259
Non eſt dubium, quin hæc tanta & tam diuturna calamitas illis acciderit in pœnam Chriſti occiſi, *ibid.*
Certum eſt iſtam deſolationem illis eveniſſe in pœnam criminis alicujus, 260
Non poſſunt aſſignare aliud crimen, quod fuerit cauſa tantæ deſolationis, quàm Deïcidium in Chriſt

commiſſum, 261
Si Chriſtus fuiſſet Impoſtor, & Pſeudo-Meſſias, Judæi non pœnam, ſed magnam mercedem promeruiſſent, 262
Judæorum pœna non tantùm corporalis fuit, ſed etiam ſpiritualis, ſita in excæcatione, & obduratione cordis, 263. & ſeq.

M

MACHABÆI ex tribu Judâ oriundi per maternum genus, 6
MAHOMETES, Mahometana ſecta.
Quis fuerit Mahometes, 237
Illius ſectæ primordia, *ibid.*
Multiplici artificio uſus eſt, ut ſectam ſuam diffunderet, 238
Fabulæ ridiculæ & figmenta Alcorani, 239
Regnum Arabum uſurpat, *ibid.*
Progreſſus Mahometanorum per vim armorum, & regnorum latrocinia, 240
Conſtat, quàm violento, & quàm diſpari modo ſecta Mahometana propagata eſt, à modo Religionis Chriſtianæ, *ibid.*
Quanta diſparitas & diſſimilitudo inter Chriſtum, & Mahometem, *ibid.*
Quàm diſſimilis utriuſque doctrina, 241
Quàm diverſus modus propagationis, 243
Secta Mahumetana nullo nititur motivo credibilitatis, *ibid.*
Amplitudo dominationis Turcicæ non debet Chriſtianorum fidem turbare, 244
MARTYRES, MARTYRIUM. Juſtas ob cauſas Deus permiſit, ſui cultores à tyrannis torqueri, 266
1. Ad gloriam ſuam, 267
Martyrium eſt honorabile Deo ſacrificium, *ibid.*
Deus eſt qui in ſuis Martyribus vincit, & triumphat, 268

Digitized by Google

2. Martyribus eſt valde honorificum, & glorioſum, mori pro ſuo Creatore, 269
Magna eſt Martyris merces & gloria, 269
Tria martyrij privilegia, 271. & ſequ.
Deus Martyres non deſerit in tormentis, 273
Martyrium eſt illuſtre Divinitatis Chriſti teſtimonium, *ibid.*
Nullos habuit Romulus Martyres, ſuæ divinitatis aſſertores, 274
Innumerabiles omnis conditionis, generis & ætatis, pro Divinitate Chriſti aſſerendâ, mortem & tormenta ſubiere, 275
Multæ circunſtantiæ veros Dei Martyres diſcernunt à falſis, *ibid.*
* *Ingens Martyrum Eccleſiæ multitudo*, ibid.
Olim accuratè nomina & geſta Martyrum in faſtis ſcribebantur, 276
Multitudo Martyrum agnoſci poteſt ex Martyrologiis, *ibid.*
Item ex numero & diuturnitate perſecutionum Eccleſiæ, *ibid.*
Legio integra militum Chriſtianorum unâ operâ trucidantur, 277
Sub Adriano decem millia uno die interficiuntur, *ibidem.*
Sub Diocletiano numerata ſunt uno menſe 17000. Martyrum, 278
Quanta multitudo in Ægypto aliiſque Provinciis, *ibidem.*
20. millia unâ die in templo combuſta Nicomediæ, *ibidem.*
Una Civitas integra martyrio coronata in Phrygia, 279
Innumeri Martyres Treveris, *ibid.*
Lugduni, 280

Multitudo Martyrum, numero ſtellarum & arenæ maris comparatur, *ibid.*
Supputatio Martyrum ex Genebrardo, 281
Quis alius quàm Deus, potuit tot milliones hominum inducere, & animare ad tormenta, mortemque pro Chriſto ſubeundam, *ibid.*
* *Innocentia & ſanctitas Martyrum.*
Innocentia & pietas Martyrum clarè oſtendit veritatem, pro quâ moriebantur, 282
Morti addicebantur, non tanquàm criminũ rei, *ibid.*
Totum eorum crimen erat, fidelitas in Chriſtum, quem colebant, *ibid.*
Plinius illorum innocentiam teſtatur, *ibid.*
Martyres in tormentis Deum laudabant, ac benedicebant, 283
Pro perſecutoribus ac tortoribus ſuis Deum orabant, *ibid.*
Charitas ardens Martyrum erga Deum, 284
Non erat Providentiæ & Juſtitiæ divinæ, permittere, ut ſancti errarent in fide, 284
* *Conſtantia Martyrum.*
Conſtantia Martyrum fuit planè mirabilis, 286
Tormentorum acerbitas, *ibid.*
Martyres in omnibus tormentis, non tantùm intrepidi, ſed & alacres fuêre, 287
Horrenda ſævitia in Martyres, 289
Palis transfixi ardebant tædarum inſtar, *ibid.*
Martyres ad ſtipitem combuſti, dicti ſarmentitij 290
Edicta Imperatorum Diocletiani & Maximiani contra Chriſtianos, *ibid.*
Diverſa Martyrum ſupplicia, 291
Apud Nicomediam claruit imprimis nobilis Chriſtiani conſtantia, 292
Petrus idem nobilis Aulicus dirè torquetur, *ibid.*
Dorotheus & Gorgonius, 293

Martyres in Ægypto ſub Diocletiano, 292
Martyres apud Thebaïda Ægypti, *ibid.*
Certatim Martyrium ſubeunt, 295
Eorum pietas, 296
Nova ſupplicia ad libitum cujuſque, *ibid.*
Martyres apud Alexandriam, 297
Carnificina Martyrum apud Pontum, *ibid.*
Sancti Laurentij conſtantia admirabilis, 299
S. Ambroſius illius paſſionem deſcribens, 300
S. Auguſtinus de eodem, *ibid.*
Sancti Vincentij alacritas in pœnis, *ibid.*
Sanctus Cyprianus jubet, mercedem ſuo tortori rependi, 301
Sancti Ignatij Martyris mira cupiditas moriendi pro Chriſto, *ibid.*
Sanctus Simeon annorum 120. Crucis ſupplicium fortiter ſuſtinet, 302
Sancta Potamenia puella petit in picem ferventem paulatim immergi, *ibid.*
Sancta Apollonia ſeipſam in rogum ſibi paratum projicit, 303
Sanctæ Blandinæ Martyrium longum & multiplex, 303. & ſequ.
Vis tormentorum obtundebatur ad hanc vocem, quam ſubinde proferebat; *Chriſtiana ſum*, *ibid.*
Sanctæ Blandinæ cruciatus varij, 304
S. Diaconus nomine ſuo ſuppreſſo, nihil aliud ad interrogata reſpondebat, niſi *Chriſtianus ſum*, 305
Martyrium S. Theodori, 346
* *Ardor patiendi in Chriſtianis*, 306
In unâ civitate omnes ſe ſiſtunt ad tribunal Præfecti, Chriſtianos citantis, *ibid.*
Omnes Chriſtiani currunt ad locum martyrij, 307
Et inter alios mater cum puerulo ſuo, *ibid.*
Tanta Martyrum fortitudo, & tam ardens moriendi

pro Chriſto deſiderium, non potuit eſſe à naturâ, ſed à ſolo Deo, 308
Non erant dementati Martyres, ut ſponte, & ex naturali inſtinctu, proſilirent ad ſupplicia, & ad mortem, 309
* *Miracula in gratiam Martyrum edita.*
Multa confertim miracula in gratiam Martyrum patrata, 310
S. Petrus ab Angelo mirabiliter educitur è carcere, catenis fractis, *ibid.*
Duplex miraculum in obtruncatione S. Pauli, 311
Mare recedens, iter præbet Chriſtianis, ad corpus ſancti Clementis, adeundum, venerationis gratiâ, *ibidem.*
Sancta Lucia immobilis perſtat, & à flammis non attingitur, 312
Mammillæ crudeliter abſciſſæ ſanctæ Agathæ, divinitùs reſtituuntur, *ibid.*
Alia miracula in ejus martyrio, 313
Miracula ad Martyrium S. Agnetis, *ibid.*
Miracula ad Martyrium ſanctæ Catharinæ, 314
S. Sebaſtianus ſagittis confixus, & pro mortuo habitus, ſtatim convaleſcit, 315
Miracula ad Martyrium SS. Pergentini, & Laurentini, *ibid.*
Miracula in Martyrio ſancti Nicetæ, 316
S. Nicaſius avulsâ cervice loquitur, *ibid.*
Alia miracula, aliorumque ſimul cæciſorum, martyrio, 317
Sancto Damaſceno præciſa manus reſtituitur, *ibid.*
Carnificina Martyrum apud Tyrum, 319
Belluæ non attingunt Chriſtianos, *ibid.*
Etiam ab ipſis provocatæ, *ibid.*
Aliæ ſubmittuntur beſtiæ, pariter innocuæ, 320
Homines feris ſæviores. *ibid.*

* *Multiplicatio Chriſtianorum* ex perſecutionibus, & cædibus Martyrum, 321
Sanguis Chriſtianorum erat illorum quaſi ſemen, *ibid.*
Eccleſia in modum vitis creſcebat putatione, 322
Sanguis Chriſtianorum, ut pinguedo terræ, Eccleſiam fœcundabat, *ibid.*
Ex prædictis evidenter concluditur Divinitas Chriſti, 323
* *Pſeudo-Martyres.*
Hæretici aliquos etiam apud ſe recenſent Martyres, 324
Extra Eccleſiam nulli ſunt, nec poſſunt eſſe veri martyres, 325
Martyrem non facit pœna, ſed cauſa, *ibid.*
Illi ſoli ſunt martyres qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, non qui propter iniquitatem, 326
Multiplex diſcrimen inter noſtros Martyres, & Pſeudo-Martyres Hæreticorum, 327
MIRACULA. Deus per miracula reddidit nobis res fidei evidenter credibiles, 97
Miraculum dupliciter ſumitur, impropriè & propriè, 98
Quid ſit miraculum propriè dictum, *ibid.*
Eſt triplicis generis, 99
Deus ſolus eſt auctor verorum miraculorum, 98
Deus qui eſt ſummè verax, non poteſt atteſtari falſum, 100. &c.
Certiſſimè verum eſt, quod Deus per miracula teſtatur, 101
Inexcuſabiles ſunt, qui poſt viſa miracula, non credunt, 102
Ex atteſtatione miraculorum, jure Deus exigit à nobis fidem firmam, *ibid.*
Neceſſe fuit, ut initio naſcentis Eccleſiæ, miracula fierent, *ibid.*
Digitized by Google

Chriſtus dedit Apoſtolis facultatem miraculorum, 103
Apoſtolorum miracula frequentia, 104
Converſio populorum ex miraculis, *ibid.*
Rejecti Pſeudo-Evangeliſtæ, qui voluerunt ſe credi miſſos à Deo, ſine miraculis, *ibid.*
Hæretici tentant edere miracula, *ibid.*
Lutherus in exorciſmo, malè habetur à Dæmone, 105
Miracula ſunt proprium ſigillum Dei, 106
Chriſtus ea miracula, quæ ab Evangeliſtis narrantur verè patravit, 107
Fides non poteſt Evangeliſtis, miracula Chriſti referentibus, rationabiliter denegari, *ibid.*
Evangeliſtæ nec per ignorantiam, nec per malitiam falsò ſcripſerunt Chriſti miracula, 108
Erant teſtes oculati, *ibid.*
Non ſcripſerunt falsò in gratiam Chriſti, *ibid.*
Sanctitas Evangeliſtarum, 109
Potuiſſent à præſentibus convinci falſitatis, *ibid.*
Sinceritas illorum in narrandis Chriſti miraculis, 110
Hanc ſinceritatem apertè indicat ſtylus illorum ſimplex, *ibid.*
Perverſa incredulorum ſtoliditas in repudiandis Evangeliſtis, 111
Stulti fuiſſent, ſi pro mendaciis tuendis mortem ſubiiſſent *ibid.*
Nihil temporale poterant à Chriſto mortuo ſperare, *ibidem.*
Nec ab aliis, niſi infortunia, *ibid.*
Teſtimonium infidelium de miraculis Chriſti, 112
Joſephi, *ibid.*
Sibyllarum, *ibid.*
Pilati ad Tiberium, *ibid.*
Mahometis *ibid.*
* *Miracula Chriſti* non poſſunt adſcribi humanæ fa-

Digitized by Google

cultati, 113
Nec viribus Agentium naturalium, 114
Nec magiæ, aut dæmoni, 116. & ſequ.
Ab hoc crimine longè fuit aliena, mira ſanctitas Chriſti, *ibid.*
Multùm diſtant inter ſe, homo ſanctus & magus, 120
Chriſtus in hunc mundum venit, ad deſtruendum imperium diaboli, *ibid.*
Miracula Chriſti non ſunt facta per motum localem, nec fieri potuerunt, 121
Nec facta ſunt per applicationem cauſarum naturalium, 122
Nec per illuſionem ſenſuum, aut imaginationis, 122
Non illuduntur qui reales miraculorum effectus in ſe experiuntur, 123
Pharizæi diligenter examinarunt veritatem miraculorum Chriſti, 124
Non dixerunt eſſe præſtigias, *ibid.*
Miracula Chriſti non aliâ virtute facta ſunt, quàm divinâ, 125
Diverſas veritates poteſt Deus per miracula teſtari, *ibidem.*
Chriſtus ſua miracula edidit in probationem ſuæ Divinitatis, 126. & ſequ.
Nota à Prophetis data ad Meſſiam agnoſcendum, fuit miraculorum effectio, 129
Ingens multitudo miraculorum Chriſti, 131
* *Miracula per Apoſtolos facta*, 132. & ſequ.
Apoſtoli mundum per miracula converterunt ad Chriſtum, 134
* *Miracula per Apoſtolorum* ſucceſſores patrata, 135
Miraculum ſancti Gregorij Thaumaturgi in ſtagni litigioſi exſiccatione, 136
Miraculum ejuſdem de rupe motâ pro templo extruendo, 138
Digitized by Google

Oraculum Apollinis obmuteſcit ex adventu ſancti Gorgonij, *ibid.*
Eccleſia à ſancto Gregorio extructa, immunis à terræ motibus, 140
Cæcus ſanatur ad contactum Corporum SS. Gervaſij & Protaſij, *ibid.*
Linguis exciſis Confeſſores loquuntur, 142
Lapſi in infidelitatem privantur gratiâ loquendi ſine linguis, 143
Innumera miracula per S. Martinum edita, *ibid.*
Mendicus ad occurſum reliquiarum ſancti Martini ſanatur invitus, *ibid.*
Multa miracula à S. Bernardo patrata, 144
Inſigne illius Sancti miraculum publicè factum, *ibid.*
Miracula ſancti Franciſci de Paulâ, *ibid.*
Miracula ſancti Franciſci Xaverij, etiam ab Hæreticis prædicata, 145
Innumera miracula ab eodem S. Fr. Xaverio, in vitâ & poſt mortem edita, *ibid.*
Mortis præſcientiam Vellio mercatori prænuntiat, & reliquam vitam fortunis abundantem, 147
Ejus corpus poſt obitum conſervatur integrum, & vegetum, 148
Malacæ, ſæva peſtis ſubitò extinguitur, ad præſentiam ejus corporis, 150
Ex præmorſo mortui digito, ſanguis effluit, *ibid.*
Lampades ante ejus imaginem ardent ex ſolâ aquâ benedictâ, *ibid.*
Sanatio Patris Marcelli Maſtrilli plane mirabilis, prædictione confirmata, 151
S. Xaverius innumeros infideles ad Chriſtum traduxit, 153
* *Miracula permanentia* in veteri lege, & Eccleſiâ Chriſtianâ, 153. & ſequ.
Fœtor innatus Judæis, *ibid.*
Digitized by Google

Suſcepto baptiſmo abigitur, *ibid.*
Bullitio ſanguinis ſancti Januarij Neapoli, 154
Inſtrumenta Dominicæ Paſſionis efformata in corde ſanctæ Claræ, *ibid.*
Tres globuli ibidem reperti, ſigillatim & conjunctim æquiponderant, *ibid.*
Cerei quodam die accenſi Romæ, in Eccleſia ſanctæ Mariæ majoris, non minuuntur, 155
Stigmata corpori ſancti Franciſci, incorrupto immanentia, *ibid.*
Corpus mortuum ſtat rectum in pedes, *ibid.*
Sacra ſpina quotannis floret, *ibid.*
Velum ſanctæ Agathæ, flammas Ætnæas arcet, *ibid.*
In inſulâ Melitâ ſerpentes ſunt ſine veneno, 156
Fons intumeſcens, dum ſacra baptiſmatis vaſa benedicuntur, *ibid.*
Ampulla ſacra Remis in templo ſancti Remigij aſſervata, 157
Reges Galliæ ſolo tactu ſcrophulas curant, *ibid.*
Sacra Chriſti veſtigia in monte Oliveti, *ibid.*
Miraculoſa conſervatio duplicis ſudarij Chriſti, *ibid.*
Cereus Atrebatenſis qui non conſumitur, *ibid.*
Cauda innaſcens poſteris interfectorum ſancti Thomæ Archiepiſcopi Cantuar. 158
Miraculum præſervationis à rabie apud S. Hubertum, *ibid.*
Quatuor in ea re circunſtantiæ mirabiles, 158. & ſequ.
Plurima ſanctorum corpora incorrupta, 160
Quorum pleraque ſunt ſuaveolentia, & miraculorum effectiva, *ibid.*
Oraculorum ceſſatio, *ibid.*
Expulſio dæmonum per exorciſmos, *ibid.*
* *Miracula quædam* produntur ab Ethnicis facta, 161
Illa ut plurimùm aut falsò ſuppoſita fuerunt, aut tantùm impropriè dicta miracula, *ibid.*

Quid ſentiendum de miraculosâ curatione quæ attribuitur Veſpaſiano, ibid
Quid de miraculis adſcriptis Adriano, ibid.
Quid de aliis ſimilibus, ibid.
Suſcitatio mortuorum nulla per Gentiles facta, 163
Multi qui inter illos viſi ſunt revixiſſe, fuerunt Apoplectici, ibid.
Aut νάρκῃ correpti, ibid.
Aut Syncoptici, ibid.
Mulieres hyſterico morbo vexatæ, nonnunquàm mortuis ſimiles, 164
Veræ fuerunt ſuſcitationes à Chriſto factæ, & à viris Apoſtolicis, ibid.
Homines pravi, hæretici, & Pagani, vera interdùm patrarunt miracula, 166
Non omnia quæ iis attribuuntur, fuerunt vera miracula, 167
Non repugnat ut Deus per homines improbos aut infideles operetur miracula juſtos ob fines, ibid.
Nunquàm Deus per miracula falſum atteſtatur, 168
Cautio adhibenda in diſcernendo principio effectivo ſecundi generis, 169
Non ſunt neceſſaria miracula Chriſtianis, 172
Miracula ſunt irrigatio Eccleſiæ naſcentis, 173
Sunt ſimilia fulcris ædificiorum exſtruendorum, ibid.
Qui renuit credere ſcripturæ ſacræ, & Eccleſiæ, miraculis etiam viſis non crederet, ibid.
Poſt Apoſtolorum tempora, miracula non defuerunt, 174
Cur Hiſtorici Gentiles miraculorum Chriſtianorum mentionem non fecerint, 175

P

PERSECUTIO.
* *Multitudo perſecutionum*, 336
Eccleſiæ perſecutio in Judæâ, ſtatim poſt mortem

Chriſti, *ibid.*
Aliquantiſper ſopita renovatur, 337
Perſecutio ſub Nerone, *ibid.*
Perſecutio ſub Domitiano, *ibid.*
Perſecutio ſub Trajano, 338
Trajanus de innocentiâ Chriſtianorum admonitus, jubet ut non inquirantur, ſed inventi puniantur, *ibid.*
Perſecutio ſub Hadriano, 339
Perſecutio ſub Aurelio Antonino Vero, *ibid.*
Perſecutio ſub Septimio Severo, 340
Perſecutio ſub Maximino, 341
Perſecutio ſub Decio, *ibid.*
Perſecutio ſub Gallo & Voluſiano, 342
Perſecutio ſub Valeriano & Gallieno, *ibid.*
Perſecutio ſub Aureliano, *ibid.*
Perſecutio ſub Diocletiano & Maximiano, 343
Diocletianus & Maximianus deſperatâ Religionis Chriſtianæ exſtirpatione, ſe abdicant imperio, 344
Perſecutio ſub Licinio, *ibid.*
Perſecutio ſub Juliano, 345
Ob vicinitatem ſancti Babylæ Martyris, ſimulacrum Apollinis conticeſcit, *ibid.*
Reliquiæ Martyris juſſu Juliani tranſportantur, ſed cum fidelium exultatione, & ejuſdem Tyranni confuſione, 346
Julianus proficiſcens adversùs Perſas, omnia dira Chriſtianis comminatur, 347
Perſecutio in Perſide ſub Sapore Rege, *ibid.*
Perſecutio ſub Valente Imperatore Ariano, *ibid.*
Plures aliæ perſecutiones, *ibid.*
* *Atrocitas perſecutionum,* 348
* Univerſalitas perſecutionum, *ibid.*
Acclamationes populi, ut tollantur Chriſtiani, ſæpiùs repetitæ, 349
Exemplum furoris popularis adversùs Chriſtianos, in

Digitized by Google

perſonâ ſancti Polycarpi, 350
Martyrium & conſtantia ſancti Polycarpi, *ibid.*
Suos comprehenſores urbanè & lautè excipit, 351
Furor populi in S. Polycarpum, 352
Conſtanter reſiſtit, & reſpondet Præfecto ſollicitanti contra fidem, *ibid.*
Iterùm populus in ſanctum Polycarpum inclamat, ut beſtiis, deinde ut igni tradatur, 453. pro 353.
Rogus ipſi à populo præparatur, 453
Accingit ſe S. Polycarpus ad ſupplicium ignis, *ibid.*
Deo ſe commendat, & offert in holocauſtum, 454
Flamma viſibiliter refugit à ſancto Polycarpo, *ibid.*
Stat in medio flammæ illæſus, *ibid.*
Mucrone confoditur, 455
* *Diuturnitas perſecutionum*, *ibid.*
Hoſtes nominis Chriſtiani, & omnes Tyranni nihil contra Religionem promoverunt, *ibid.*
Imò Religio Chriſtiana poſt cædes & perſecutiones, de ipſâ Româ triumphavit, 456
Imperatores ſibi ſubjecit, & ex perſecutoribus fecit cultores, ac defenſores, *ibid.*
* *Perſecutorum Eccleſiæ punitiones*. V. Punitiones, infrà.
PRÆDICTIONES CHRISTI, 176
Chriſt. præſcivit, ac prædixit evẽtus liberè futuros, 182
1. Prædixit Paſſionem ſuam, mortem & Reſurrectionem, *ibid.*
2. Quòd eſſet tradendus ab uno ex Diſcipulis ſuis, 183
3. Quòd Petrus illum eſſet negaturus, *ibid.*
4. Effuſionem unguenti à Mariâ Magdalenâ factam, toto Orbe cum Evangelio eſſe memorandam, 184
5. Prædixit obſidionem Hieroſolymæ, illius ſubverſionem ac templi, 186
6. Prædixit Eccleſiæ ſuæ fundationẽ, & ſtabilitatẽ perpetuam; quæ duo videbantur incredibilia, 188. & ſeq.
7. Prædixit, Evangelium toto Orbe prædicandum, 191
Digitized by Google

Id quod mirabiliter effectum eſt, 192
8. Prædixit, Eccleſiæ, Apoſtolorum, ac fidelium perſecutiones, *ibid.*
9. Prædixit ſuis cultoribus afflictiones in hâc vitâ, 193
10. Prædixit hæreſes ſubinde orituras, 194
11. Prædixit calamitates publicas in mundo ante diem judicij extituras, *ibid.*
12. Prædixit adventum Spiritûs Sancti in Diſcipulos, à quo illuminarentur, & docerentur de omnibus, 195
Hæc omnia prædicta fuerunt, & ad amuſſim impleta, *ib.*

PRODIGIA.

* *In nativitate Chriſti.* 31
Prodigia Romæ, novum Regem & Dominum præſagientia, 33
Prodigium in Oraculo Delphico, quod mutum redditur, *ibid.*
Ara in Capitolio, primogenito Deo dicata, *ibid.*
Chriſto nato paſſim oracula conticeſcunt, 34
Circulus luminoſus Orbem ſolis ambit, *ibid.*
Tres circuli circa ſolem, *ibid.*
Tres ſoles viſi, *ibid.*
Oleum è terrâ erumpens fluxit totum diem, 34
Templum Romæ, dictum Æternitatis, Chriſto naſcente corruit, *ibid.*
Ingens prodigiũ, Chriſtus ex matre Virgine natus, 35
Deum decebat naſci ex Virgine, *ibid.*
Generatio Verbi ex Virgine, longè antè fuit prænuntiata, 36
Prodigia Domûs Lauretanæ, in quâ Verbum fuit incarnatum, 37
Concentus Angelorum, Chriſti nativitatem celebrantium, *ibid.*
Adoratio Paſtorum, *ibid.*
Fons exortus in ſpeluncâ, in quâ natus eſt Chriſtus, *ib.*
Eadem ſpelunca exornata, Chriſtianis eſt ſummæ venerationi, 38
Stellæ

Stellæ inuſitatæ apparitio, Reges ad Chriſtum adorandum ducentis, 39
Quâ ex regione venerint Magi ad Chriſtum adorandum, *ibid.*
Stella iſta, magnum prodigium fuit, 40
Res ſupra modum prodigioſa, Deus in terrâ natus ex Virgine, 43
* *Prodigia in vitâ Chriſti*, 44
Angelus S. Joſephum monet de Chriſto in Ægyptum transportando, 45
Arbor ſe ad Chriſti pedes inflectit, *ibid.*
Curatrix morborum effecta, *ibid.*
Ad Chriſti adventum in Ægyptum, omnia dæmonum ſimulacra corruunt, *ibid.*
Vaticinatio Jeremiæ de Idolorum demolitione in Ægypto, 46
Thebaïdos ſolitudo per adventum Chriſti ſanctificata, *ibid.*
Chriſtus puer inter Doctores, 47
Chriſtus doctus ſine doctore, *ibid.*
Vita Chriſti per 30. annos abſcondita, mirabilis, *ibid.*
Chriſtum ad Baptiſmum Joannis accedentem, Joannes divino lumine illuſtratus agnoſcit, 49
Spiritus Sanctus in Chriſtum viſibiliter deſcendit, 50
Aqua fluminis in quâ Chriſtus baptizatus eſt, effecta eſt miraculoſa, 51
Jejunium Chriſti per 40. dies continuos miraculoſum, *ibid.*
Chriſtus imaginem ſui, linteo impreſſam, ad Abgarum Regem tranſmittit, 53
Eadem imago miraculis clara, *ibid.*
Romæ aſſervata colitur, *ibid.*
Divina & prodigioſa Chriſti transfiguratio, 54
Rationes Transfigurationis factæ, 55
In monte Tabor, tres Eccleſiæ conſtructæ, cum Monaſterio, 56

Ff

Christus ipſe ingens prodigium fuit, ibid.
Scientia Chriſti fuit mirabilis, ibid.
Potentia Chriſti omnes vires creatas ſuperavit, 57
Ejus ſanctitas ipſis Angelis ſtupori fuit, ibid.
Prodigia in Paſſione & morte, ibid.
Chriſtus ſuos comprehenſores, verbo proſternit, 58
Aurem abſciſſam Malcho reſtituit, ibid.
Mira Chriſti patientia, & manſuetudo, inter tormenta & ludibria, ibid.
Eclipſis inſueta Solis, Chriſto in Cruce, patiente, 59
Velum templi ſciſſum in ejus morte, ibid.
Motus terræ ingens, ibid.
Veritas Eclipſis à Gentilibus ipſis atteſtata, ibid.
Quatuor aut quinque miracula in prædictâ Eclipſi, 60
Cur multi Hiſtorici Gentiles, hujus Eclipſis mentionem non fecerunt, 62
Sciſſio veli templi non vacat myſterio, 63
Petrarum & montium ſciſſio, ibid.
Omnia elementa & Creaturæ, Chriſto teſtimonium reddidêre, 64
Voces incognitæ Pana magnū occubuiſſe nunciant, 65
Centurio ex viſis prodigiis, aliique Chriſtum confitentur eſſe Filium Dei, ibid.
Tota natura Chriſtum Crucifixum, Deum prædicat, 66
Agnoſcat homo beneficium ſui Redemptoris, ibid.
Inſcriptio Tituli Crucis, divino inſtinctu appoſita, ib.
Inſtrumenta Paſſionis Chriſti in veneratione remanſerunt, 67. &c.
Sacrum Sudarium Taurinenſe, 68
Sacrum Sudarium Veſuntinum, ibid.
Miraculoſa Chriſti imago Edeſſena, ibid.
Imago Chriſti, Veronicæ dicta, 69
Terræ ſepulcro Chriſti adjacenti, vis miraculorum indita, 70
Ligni Crucis dominicæ multiplicatio miraculoſa, ibid.
Inventio Crucis Chriſti cum miraculorum operatione, ibidem.
Digitized by Google

Crux Chriſti inventa, ſui multiplicatione orbem implevit, 71
Honor ubique exhibitus ſanctæ Cruci, 72
Effigies ipſa & ſignum Crucis toti mundo eſt venerationi, 73
Veſtigia pedum Chriſti, in cælum aſcendentis, monti Oliveti impreſſa, 75
Nec delentur terræ abraſione, 76
Mirabilis, Spiritûs Sancti in Apoſtolos deſcenſus, *ib.*
Donum linguarum Apoſtolis conceſſum, 77
Apparitio Chriſti facta S. Stephano Protomartyri, 78
Mira Pauli per Chriſtum apparentem converſio, 79
PROPHETIÆ de Chriſto, 1
Primum argumentum Divinitatis Chriſti, ſumitur à Prophetiis antiquis, 3
Prophetia Jacob quæ deſignat tẽpus Meſſiæ venturi, 3
Prædictæ Prophetiæ, variæ interpretationes, 4
Quando Chriſtus venit in mundum, tempus venturi Meſſiæ ab omnibus putabatur, 7
Prophetia Danielis de adventu Meſſiæ, *ibid.*
Hebdomadæ Danielis ſunt hebdomadæ annorum, 8
Quandonam inceperint 70. hebdomadæ Danielis, 9
Omnia prædicta de Meſſiâ, apprimè in Chriſtum conveniunt, 11
Prænuntiata à Davide de Chriſto patiente, 14
Prænuntiata ab Iſaiâ de Chriſto patiente, 15
Reliquæ Prophetiæ Chriſtum deſignantes, 16
Mira concordia veteris & novi Teſtamenti, 18
Prædictiones allatæ nulli alteri conveniunt quàm Chriſto, 19
Signa prædicta fuerũt data ad Meſſiam agnoſcendũ, 19
Sibyllarum vaticinationes de Chriſto, 26
Sibyllæ decem numerantur, *ibid.*
Antiqua vaticinatio de Chriſto naſcituro, 30
PROSPERITAS defenſorum Eccleſiæ. V. Religio Chriſt.
PUNITIONES perſecutorum Eccleſiæ, 459

Digitized by Google

In hâc vitâ neque omnes mali puniũtur, neque nulli, *ib.*
Deus pravorum impietate utitur, tanquam inſtrumento iracundiæ ſuæ, quod poſteà in ignem projicit, 460
Judæorum pœna hactenùs durat, à pluſquàm mille & ſexcentis annis, 461
Infelix exitus Herodis Idumæi, *ibid.*
Herodis Antipæ mors infelix, 462
Herodes Agrippa ultione divinâ percuſſus, 462
Pilatus miſero exitu vitam claudit, 463
Neronis infauſtus exitus, *ibid.*
Item Domitiani, 464
Trajani, *ibid.* Hadriani, *ibid.*
Marci Antonini Veri, 465
Severi, *ibid.* Maximini, *ibid.*
Decij, 466 Valeriani, *ibid.*
Gallieni, 467
Calamitates publicæ illo imperante, *ibid.*
Aureliani, 468
Diocletiani & Maximiani, *ibid.*
Maximiani Herculei, 469
Galerij Maximiani, *ibid.* Maximini, 470
Maxentij Tyranni, 471
Licinij, *ibid.*
Juliani Apoſtatæ, *ibid.*
* *Imperatorum Hæreticorum punitiones,* 472
Conſtantius in vitâ & morte infelix, 473
Valens miſerè regnat, miſeriùs moritur, *ibid.*
Valentinianus junior infeliciter exit ex hac vitâ, 475
Leo Iſaurus, 476
Conſtantinus Copronymus, 476
Leo IV. Porphyrogenitus, *ibid.*
Michaël Balbus, 477
Anaſtaſius Imperator fulmine percutitur, *ibid.*
* *Hæreſiarcharum punitiones,* 479
Hæreſiarchæ ferè omnes miſerè periere, *ibid.*
Arius, *ibid.*

Eunomius, *ibid.* Neſtorius, 480
Macedonius, Pelagius, Donatus, &c. *ibid.*
Lutherus, *ibid.* Zuinglius, *ibid.*
Carolſtadius, *ibid.* Calvinus, *ibid.*
Iſtæ hoſtium Eccleſiæ ultiones, non ſine ſpeciali Dei Providentiâ contigerunt, 482

R

RELIGIO CHRISTIANA.

* *Religionis Chriſtianæ propagatio mirabilis,* 216
Si Chriſtiana Religio, quæ Chriſtum colit ut Deum, eſt vera, manifeſtè ſequitur, Chriſtum eſſe Deum, *ib.*
Paulò poſt Chriſti mortem, Religio Chriſtiana, fuit per totum fermè Orbem propagata, 217
Religio Chriſtiana jam à primis ſæculis dicta eſt Catholica, 218
Converſio totius mundi ab Idololatriâ ad Chriſtum, unum eſt ex maximis miraculis, 219
Converſionem mundi, & fidei per totum mundum dilatationem, multa videbantur impoſſibilem reddere, *ibid.*
1. Difficultas doctrinæ perſuadendæ, *ibid.*
Tum ex parte intellectûs; propter altitudinem myſteriorum, 220
Et propter novitatem, 221
Vis conſuetudinis inveteratæ, 222
Tum ex parte voluntatis, propter ſeveritatem rerum obſervandarum, 223
2. Prava Gentilium diſpoſitio; quæ erat maximum fidei impedimentum, 224
3. Ineptitudo eorum qui ad hoc munus aſſumpti fuerunt, 226
4. Multitudo & potentia obſiſtentium, ac perſequentium, 229
Effectus mirabiles prædicationis Evangelicæ, nonobſtantibus prædictis impedimentis, 231. & ſequ.
* *Religionis Chriſtianæ ſtabilitas perpetua,* 328

Digitized by Google

Opera hominum, ſucceſſu temporis diſſolvuntur, *ibid.*
Stabilitas inconcuſſa Religionis Chriſtianæ, eſt maximum argumentum Divinæ inſtitutionis, 329
Stabilitas Eccleſiæ à mille ſexcentis & ampliùs annis, nota eſt; 331
Eſt autem planè admirabilis, cùm multa, jam inde ab initio, ad illam evertendam concurrerent, *ibid.*
1. Inconſtantia rerum humanarum, 332
2. Difficultas Profeſſionis Chriſtianæ, quæ ſublimia credit, & ſeveram morum diſciplinam præcipit, *ibid.*
3. Carentia omnis auxilij humani, & protectionis, 334
4. Multitudo & ſævitia perſecutionum, 335
Stabilitas firma Religionis Chriſtianæ clarè oſtendit, illam divinâ virtute fuiſſe fundatam, 457
Regna & imperia cum tempore deleta ſunt, *ibid.*
Pauci Imperatores Chriſtiani totam idololatriam ſuſtulerunt, *ibid.*
Saraceni & Judæi, Ferdinandi juſſu, penitùs in Hiſpaniâ extincti ſunt, 458
Religio Chriſtiana non modò non extincta eſt, ſed etiam ſuis perſecutionibus in immenſum crevit, *ibid.*
Religionis Chriſtianæ defenſorum proſperitas, & felix exitus, 481
Felicitas Conſtantini magni, *ibid.*
Alij Imperatores pij & felices, *ibid.*
Vita & mors felix ſanctorum, qui Eccleſiam verbo & ſcriptis defenderunt, 482
RESURRECTIO CHRISTI, 199
Veritas Reſurrectionis Chriſti, eſt fundamentum Religionis Chriſtianæ, *ibid.*
Ideò neceſſaria fuit ad fidem ſtabiliendam, 200
Reſurrectio Chriſti eſt quaſi ſigillum divinorum operum, *ibid.*
Chriſtus illam aſſignavit in ſignum ſuæ Divinitatis, 201
Reſurrectio Chriſti probatur evidenter, 1. ex teſtimonio Apoſtolorum, qui eum ſuſcitatum, ſæpiùs vi-

derunt, 202
Probatur 2. ex convictione ipſorum Judæorum, 203
Moraliter impoſſibile erat, corpus Chriſti extrahi de ſepulcro clauſo, & ſigillato, quin cuſtodes perſentiſcerent, 205
Aliæ circunſtantiæ excludentes veriſimilitudinem ablationis, 206
Divinâ Providentiâ factum eſt, ut Chriſtus non ante, nec poſt diem tertium reſurrexerit, 207
Probatur 3. ex pluribus, & variis apparitionibus Chriſti, per 40. dies, 208
Omnibus modis explorandum ſe præbuit, ut non reſtaret ulla dubitatio, de verâ ejus Reſurrectione, 210
Tarditas Apoſtolorum in credendâ Chriſti Reſurrectione, multùm nobis profuit ad firmandá fidem, 210
Probatur 4. ex conſenſu omnium ſæculorum, ac totius Eccleſiæ, 211
Chriſtus ſuam Reſurrectionem prædixerat, 212
Miraculũ Chriſto proprium, eſt ſui ipſius ſuſcitatio, *ib.*
Suam reſurrectionem aſſignavit, in ſignum ſpeciale ſuæ Divinitatis, 213
Chriſtus reſurrexit non ampliùs moriturus, *ibid.*
Reſurrexit propriâ virtute, 214

S

SANCTORUM PATRUM auctoritas, 183
Maximi ponderis ad fidem perſuadendam, eſt auctoritas omnium ſanctorum Patrum, ac totius Eccleſiæ, 483
Multitudo & gravitas horum teſtium, 484
Quanti ingenij, & doctrinæ fuerint ſancti Patres, 485
Duo maximè contulêre, ut ſancti Patres de rebus fidei ſanè judicarent, *ibid.*
Primùm affectus recti, 486
Secundùm illorum adhæſio ad Deum, veri luminis fontem, *ibid.*
SALUS. In negotio ſalutis certum teneri debet, dimitti incertum, 506

Illorum ſalus eſt deſperata, qui non credunt, ut par eſt, Divinitatem Chriſti, 503
SCRIPTURA SACRA. Mira concordia veteris ac novi Teſtamenti, 18
Prædictiones ſcripturarum impletæ, oſtendunt illas eſſe Divinas, 24
Libri ſacri, quos à Judæis accepimus, non fuerunt à Chriſtianis confiсti, nec corrupti, 25
SIBYLLÆ. Sibyllarum prædictiones de Chriſto, 26
Sibyllæ decem numerantur, *ibid.*
SYNODUS. V. Concilium.

T

TESTES Divinitatis Chriſti, 81
* *Sacri.*
Quadruplex teſtimonium ſancti Joannis Baptiſtæ de Divinitate Chriſti, 81. & ſequ.
Teſtimonium ſancti Joannis Baptiſtæ eſt maximæ & certæ auctoritatis, 85
Teſtimonium Chriſti de ſuâ Divinitate, 86
Teſtimonium Chriſti de ſeipſo, non debet eſſe ſuſpectum, 87
Sanctitas Chriſti removet ab ejus teſtimonio, omnem falſitatis ſuſpicionem, 88
Teſtimonium Chriſti, ex miraculis certum redditur, *ibidem.*
Lumen alia, & ſeipſum demonſtrat, 89
Teſtimonium Evangeliſtarum de Divinitate Chriſti, *ibidem.*
* *Profani.*
Teſtimonium Joſephi de Divinitate Chriſti, 93
Teſtimonium Tiberij de Chriſto, 94
Teſtimonium Apollinis Mileſii de Chriſto, *ibid.*
Teſtimonium Hadriani Imperatoris, 95
Teſtimonium Alexandri Severi, *ibid.*
Teſtimonium Mahometis, *ibid.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

9—1—1

Digitized by Google

Digitized by Google